

eus inuicte Dn̄s uob̄c̄. oꝝ nipotens et̄ne deus: ut nu-
[illegible] auctor [illegible] in [illegible] dignare scm̄ [illegible]

effectum: p. epl'a Iustus lio mundi hui ad te rei

si morte. tentes. cū ipso corona



2

VALERIVS MAXIMVS.

ADDITO INDICE PERBREVI, CEV AD OMNEIS HISTORIAS ASYLO TVTISSIMO.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.



PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1535

COMPENDIOSA VITA VALERII MAXIMI.

VAlerius Maximus, ciuis Romanus, Patricio genere natus, omnem pueritiam, & magnam adoleſcentiæ partem literis percipiendis, & honeſtis artibus dedit. Inde ſumpta virili toga ſe cõtulit ad rei militaris diſciplinam: vbi aliquandiu ſtipendia feciſſe, & in Aſiam cum ſexto Pompeio nauigaſſe dicitur. Vnde reuerſus, cum videret ſe patriæ ſuæ tã benedicendo, q̃ benefaciendo poſſe prodeſſe, a quo incepto ſtudio militiæ gloria detinuerat, eodem regreſſus ſtatuit vrbis Romæ, exterarũq; gentiũ facta ſimul ac dicta memoratu digna, vt ipſe fatetur, literarum monumẽtis cõmendare: quod feliciter & glorioſe conſecutus eſt. Floruit autẽ Tiberij Cæſaris tẽporibus, & ſub eius imperio hãc ſcripſit hiſtoriam: cuius etiam numen inuocat. Imperatores enim Romani cum virtute ſua iuſte ſancteq; geſſiſſent imperium, diuino celebrabantur honore, & in deorum numerũ transferebantur: vnde etiam diuos imperatores appellamus. Genus vero ſuum paternũ a gente Valeria, maternum a Fabia duxiſſe fertur: vnde Valerius Maximus ab vtraq; familia ei nomen eſt: de cuius morte certi nihil poteſt afferri.

VALERII MAXIMI LIBRORVM NOVEM CAPITA.

CAPITA PRIMI LIBRI.

De cultu deorum Cap. I.
De neglecta religione Cap. II.
De simulata religione Cap. III.
De auspicijs Cap. IIII.
De ominibus Cap. V.
De prodigijs Cap. VI.
De somnijs Cap. VII.
De miraculis Cap. VIII.

SECVNDI LIBRI.

De institutis antiquis Cap. I.
De disciplina militari Cap. II.
De iure triumphandi Cap. III.
De censoria nota Cap. IIII.
De maiestate Cap. V.

TERTII LIBRI.

De indole Cap. I.
De fortitudine Cap. II.
De patientia Cap. III.
De ijs qui humili loco nati, clari euaserunt Caput IIII.
De ijs qui a parentibus claris degenerauerunt Caput V.
De ijs qui ex illustribus in veste aut cætero cultu licentius quàm mos patrius permittebat indulserunt Cap. VI.
De fiducia sui Cap. VII.

De constantia. Cap. VIII.

QVARTI LIBRI.

De animi moderatione. Cap. I.
De ijs qui ex inimicis iuncti sunt amicitia & necessitudine. Cap. II.
De abstinentia, & continentia. Cap. III.
De paupertate. Cap. IIII.
De verecundia Cap. V.
De amore coniugali Cap. VI.
De amicitia Cap. VII.
De liberalitate Cap. VIII.

QVINTI LIBRI.

De humanitate Cap. I.
De gratis Cap. II.
De ingratis Cap. III.
De pietate Coriolani Cap. IIII.
De pietate erga fratres. Cap. V.
De pietate erga patriam Cap. VI.
De parentum amore & indulgentia in liberos Cap. VII.
De parentum seueritate aduersus liberos Cap. VIII.
De parentum moderatione aduersus suspectos liberos Cap. IX.
De Horatio Puluillo Cap. X.

SEXTI LIBRI.

De pudicitia Cap. I.
Quæ libere dicta, aut facta Cap. II.
De seueritate Cap. III.
Grauiter dicta, aut facta Cap. IIII.
De iustitia Cap. V.

De fide publica. Cap. VI.
De fide vxorum erga viros. Cap. VII.
De fide ſeruorum erga dominos. Cap. VIII.
De mutatione morũ & fortunę Cap. IX.
De ijs qui à ſtatu humili ad altiora aſcenderunt. Cap. X.
De varietate caſuum. Cap. XI.

SEPTIMI LIBRI.

De felicitate. Cap. I.
Sapienter dicta, aut facta. Cap. II.
Vafre dicta, aut facta. Cap. III.
De ſtrategematis. Cap. IIII.
De repulſis. Cap. V.
De neceſſitate. Cap. VI.
De teſtamẽtis quæ reſciſſa ſunt. Cap. VII.
De teſtamentis quæ rata mãſerũt. Cap. VIII.
De Qu. Cęcilio, & Lucio Lucullo. Cap. IX.

OCTAVI LIBRI.

Infames rei quibus ex cauſis abſoluti, aut damnati ſunt. Cap. I.
De priuatis iudicijs Cap. II.
Quæ mulieres apud magiſtratus pro ſe aut alijs cauſas egerunt. Cap. III.
De quæſtionibus. Cap. IIII.
De teſtibus. Cap. V.
Qui quæ in alijs vindicarunt, ipſi commiſerunt. Cap. VI.
De ſtudio & induſtria. Cap. VII.
De otio. Cap. VIII.
Quanta vis eſt eloquentiæ. Cap. IX.
Quantum momentum ſit in pronunciatione, &

apto motu corporis. Cap. x.
Quam magni effectus artium sint. Cap xi.
Quædam nulla arte effici posse. Cap. xii.
Suæ quenq; artis & authorem & disputatorem optimum esse. Cap. xiii.
De senectute. Cap. xiiii.
De cupiditate gloriæ. Cap. xv.
Quæ cuiq; magnifica cõtigerunt. Cap. xvi.

NONI LIBRI.

De luxuria. Cap. i.
De crudelitate. Cap. ii.
De ira, & odio. Cap. iii.
De auaritia. Cap. iiii.
De superbia, & impotentia. Cap. v.
De perfidia. Cap. vi.
De vi & seditiõe, & de Populo Ro. Cap. vii.
De temeritate. Cap. viii.
Quantum valet error. Cap. ix.
De vltione. Cap. x.
Dicta improba, aut facta scelerata. Cap. xi.
De mortibus non vulgaribus. Cap. xii.
De cupiditate vitæ. Cap. xiii.
Quãm exquisita custodia vsi sunt quibus suspecti domestici fuerunt. Cap. xiiii
De similitudine formę. Cap. xv.
De ijs qui infimo loco nati, mendacio se clarissimis familijs inserere conati sunt. Cap. xvi.

FINIS.

VALERII MAXIMI FACTORVM AC DICTORVM MEMORABILIVM LIBER PRIMVS, AD TIBERIVM CAESAREM

PROLOGVS.



RBIS ROMAE, EXTERARVMQVE gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quàm vt breuiter cognosci possint, ab illustribus electa authoribus deligere constitui: vt documenta sumere volentibus, longæ inquisitionis labor absit. Nec mihi cuncta cõplectẽdi cupido inceſſit. Quis enim omnis æui gesta modico voluminũ numero cõprehenderit? Aut quis compos mẽtis, domesticæ peregrinæq; historiæ seriem felici superiorum stylo cõditam, vel attentiore cura, vel præstãtiori facundia traditurum se sperauerit? Te igitur huic cœpto, penes quem hominum Deorumq; cõsensus, maris ac terræ regimen esse voluit, certissima salus patriæ Cæsar, inuoco: cuius cęlesti prouidentia virtutes de quibus dicturus sum, benignissime fouẽtur, vitia seueriſſime vindicantur.

Nam si prisci Oratores ab Ioue Opt. Max. bene orsi sunt, si excellētissimi Vates a numine aliquo principia traxerunt, mea paruitas eo iustius ad fauorem tuum decurrerit, ꝙ cætera diuinitas opinione colligitur: tua, præsenti fide paterno auitoque syderi par videtur: quorum eximio fulgore, multum ceremonijs nostris inclytæ claritatis accessit. Reliquos enim deos accepimus, Cæsares dedimus. Et quoniam initium a cultu deorum petere in animo est, de conditione eius summatim disseram.

DE CVLTV DEORVM. Cap. I.

MAiores, statas solennesque ceremonias, Pontificum scientia: bene gerendarū rerum authoritates, Augurum obseruatione: Apollinis prędictiones, vatum libris: Portentorum depulsa, Hetrusca disciplina explicari voluerunt. Prisco etiam instituto rebus diuinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione: cum exposcendum, voto: cum exsoluendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis vel sortibus impertito: cū solenni ritu peragēdū, sacrificio: quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.

DE CERERE PLACANDA.

TAntum autem studium antiquis non solū obseruandæ, sed etiam amplificādæ religionis fuit, vt florentissima tum & opulentissima ciuitate, decem principum filij S.C. singulis Hetruriæ populis percipiendæ sacrorū disciplinæ gratia traderentur: Cereriq̄, quam more græco venerari

instituerant, sacerdotẽ à Velia, cum id oppidum nondum ciuitatis nomen accepisset, Chalcitanã peterent, vel, vt alij dicunt, Caliphenam, ne deæ vetustis ritibus perita deesset Antistes. Cuius cũ in vrbe pulcherrimum templum haberẽt Graco chano interitu pollutũ, moniti Sibyllinis libris vt vetustissimam Cererẽ placarent, Ennam, quoniam sacra eius inde orta credebant, quindecim viros ad eam propitiandam miserunt. Item matri Deûm sæpenumero imperatores nostri compotes victoriarum suscepta vota Pessinuntem profecti soluerunt.

DE METELLO PONTIFICE.

Metellus vero Pont. Max. Posthumum consulem, eundemque Flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne â sacris discederet multa indicta, inconsulto deo vrbem egredi passus non est: religionique summum imperium cessit: quòd tutò se Posthumus Martio certamini commissurus non videbatur ceremonijs Martis desertis.

DE TIBERIO GRACCHO.

Laudabile XII. fascium religiosum obsequiũ: laudabilior quatuor & viginti in consimili re obedientia. A Tiberio enim Graccho ad collegium Augurũ literis ex prouincia missis, quibus significabat, se, cum libros ad sacra populi pertinẽtes legeret, animaduertisse vitio tabernaculum captũ comitijs consularibus, quæ ipse fecisset: eaq; re ab auguribus ad senatum relata: iussu eius C. Figulus è Gallia, Scipio Nasica è Corsica Romã redierunt, & se consulatu abdicauerunt.

DE P. CAELIO, ET M. CORNELIO.

Consimili ratione post P. Cælius, Marcus Cornelius, M. Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris deorum immortaliũ, varijs temporibus, belliſq; diuerſis, Flaminio abire iuſſi ſunt, coactiq; etiam.

DE SVLPITIO.

At Sulpitio inter ſacrificãdum è capite apex prolapſus, eidem ſacerdotium abſtulit.

DE FABIO MAX.

Occentuſq; ſoricis auditus, Fabio Max. dictaturam, C. Flaminio magiſteriũ equitum deponendi cauſam præbuit.

DE PVBLIO LICINIO.

Adijciendum his quôd P. Licinio Pontifici Max. virgo veſtalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt quæ flagro admoueretur.

DE VIRGINE AEMILIA.

Maxime vero virginis Aemilię diſciplinã extincto igne tutã ab omni reprehenſione Veſtæ numen præſtitit: qua adorãte, cum carbaſum quam optimam habebat, foculo impoſuiſſet, ſubito ignis emicuit.

DE MARCELLO, ET TEMPLO Honoris & Virtutis.

Non mirum igitur ſi pro eo imperio augendo, cuſtodiendoq;, pertinax eorũ indulgentia deorum ſemper excubuit: q; tam ſcrupuloſa cura paruula quoq; momẽta religionis examinari vidẽtur: quia nunquam remotos ab exactiſſimo cultu ceremoniarũ oculos habuiſſe noſtra ciuitas exiſti-

manda est. In qua cum Marcellus quintum consulatum gerens, templũ Honori & Virtuti, Claſtidio prius, deinde Syracusis potitus, nũcupatis debitum votis consecrare vellet, à collegio Pontificum impeditus est, negãte vnam cellam duobus dijs recte dicari. futurum enim, si quid prodigij accidisset in ea, ne dignosceretur vtri rem diuinam fieri oporteret: nec duobus, nisi certis dijs vnà sacrificari solere. Ea Pontificum admonitione effectum est vt Marcellus separatis ædibus Honoris ac Virtutis simulacra statueret: neq; aut collegio Pontificum authoritas amplissimi viri, aut Marcello adiectio impensæ impedimento fuit quo minus religionibus suus tenor suaque obseruatio redderetur.

DE LVCIO FVRIO BIBACVLO.

Obruitur etiam tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exempliq; locũ vix post Marcellum inuenit. Sed pij simul ac religiosi animi laude fraudãdus non est: qui prætor a patre suo collegij Saliorũ magistro iussus sex lectoribus pręcedentibus arma ancylia tulit, quanuis vacationem huius officij, honoris beneficio haberet. Omnia nanq; post religionẽ ponẽda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis decus cõspici voluit. Quapropter nõ dubitauerunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene atq; cõstanter fuissent famulata. Quod animi iudicium in priuatorũ quoq; pectoribus versatum est. Vrbe enim à Gallis capta, cũ Flamen

Quirinalis, virgineſq; Veſtales ſacra onere partito ferrent, eaſque pontem Sublicium tranſgreſſas, & cliuum qui ducit ad Ianiculum, deſcendere incipientes, L. Aluanius plauſtro coniugem & liberos vehens aſpexiſſet, propior publicæ religioni, q̃ priuatę charitati, ſuis vt plauſtro deſcẽderẽt imperauit, atq; in id virgines & ſacra impoſita, omiſſo cœpto itinere, Cerete oppidum peruexit: vbi cum ſumma veneratione recepta, grata memoria ad hoc vſque tempus hoſpitalem humanitatem teſtantur. Inde enim inſtitutum eſt, ſacra, Ceremonias vocari: quia Ceretani ea in fracto Reipu. ſtatu perinde ac florente coluerunt. Quare agreſte illud & ſordidum plauſtrum tempeſtiue capax cuiuſlibet fulgentiſſimi triumphalis currũs vel æquauerit gloriam, vel anteceſſerit.

DE CAIO FABIO.

Eadem Reipublicæ tempeſtate C. Fabius Dorſo memorabile exemplũ ſeruatæ religionis dedit. Nanq; Gallis Capitolium obſidentibus, ne ſtatutum Fabiæ gentis ſacrificiũ interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humeriſq; ſacra gerens per medias hoſtium ſtationes, in Quirinalẽ collem peruenit: vbi omnibus ſolenni more peractis, in Capitolium poſt diuinam venerationem victricium armorũ perinde ac victor redijt.

DE P. CORNELIO, ET BEBIO PAMPHILO COSS.

Magna conſeruandæ religionis etiam Pub. Cornelio & Bebio Pamphilo c o s s. apud maiores noſtros acta cura eſt. Siquidẽ in agro Lucij Petilij

ſcribę ſub Ianiculo cultoribus terram altius verſantibus, duabus arcis lapideis repertis, quarum in altera ſcriptura indicabat corpus Numæ Põponij filij fuiſſe, in altera libri reconditi erant, latini ſeptem de iure Pontificum, totidemq; Græci de diſciplina ſapientiæ: latinos magna diligẽtia aſſeruandos curauerunt: Græcos, quia aliqua ex parte ad ſoluendam religionẽ pertinere exiſtimabantur, Petilius prætor Vrbanus ex authoritate ſenatus per victimarios facto igne in cõſpectu populi cremauit. Noluerunt enim priſci viri quicquã in hac ciuitate aſſeruari, quo animi hominum a deorum cultu auocarentur.

DE TARQVINIO REGE.

Tarquinius autem rex M. Tullium Duumuirum, quòd librum ſecreta ciuilium ſacrorum cõtinentem cuſtodiæ ſuæ commiſſum corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutũ in mare abijci iuſſit. idq; ſupplicij genus nõ multo poſt parricidis lege irrogatum eſt. Iuſtiſſime quidem, quia pari vindicta parẽtum ac deorum violatio expianda eſt.

DE MARCO REGVLO ATTILIO.

Sed in ijs quæ ad cuſtodiã religionis attinent, neſcio an omnes M. Attilius Regulus pręceſſerit, q ex victore ſpecioſiſſimo, inſidijs Haſdrubalis, & Xanthippi Lacedæmonij ducis, ad miſerabilem captiui fortunam deductus, ac miſſus ad S. P. Q. R. legatus, vt ex ſe & vno & ſene cõplures Pœnorum iuuenes penſarentur: in contrarium dato consilio, Carthaginem petijt, non ignarus ad

quàm crudeles, quamq; etiam merito sibi infestos deos reuerteretur: verũ quia his iurauerat, si captiui eorum redditi non forent, ad eos sese rediturum, potuerunt profecto dij immortales efferatã mitigare sæuitiam. cæterũ quo clarior esset Attilij gloria, Carthaginienses moribus suis vti passi sunt, tertio Punico bello religiosissimi spiritus tã crudeliter vexati, vrbis eorũ interitu iusta exacturi piacula. Quanto nostræ ciuitatis senatus venerabilior in deos? qui post Cãnensem cladem decreuit ne matronæ vltra trigesimũ diẽ luctus suos extenderent, vti ab his sacra Cereris peragi possent, quia maiore penè Romanarũ viriũ parte in execrabili ac diro solo iacẽte, nullius penates mœroris expertes erant. Itaq; matres ac filiæ, coniugesq; & sorores nuper interfectorum, absterſis lachrymis, depositisq; doloris ſignib⁹, candidam induere vestem, & aris thura dare coactæ sunt: qua quidem constantia obtinendæ religionis, magnus cælestibus iniectus est rubor vlterius aduersus eã sæuiẽdi gentẽ, quę ne iniuriarũ q̃dẽ acerbitate ab eorũ cultu absterreri potuerit.

Hæc proxima duo exempla inſeruimus & paulopoſt folio x. pag. j. q̃ in omnibus fere exẽplaribus ibi legantur: quãquam ad hunc titulum magis attinent.

De Perſarum in Apollinẽ religione.

Persæ mille nauium numero Delum cõpulsi, templo Apollinis religiosas potius manus, quàm rapaces adhibuerunt.

DE RELIGIONE ATHENIENSIVM, qui Philosophos etiã irreligiose disputantes non tulerunt.

Athenienſes Diagoram philoſophum pepulerunt, quia ſcribere auſus fuerat, primum ignoraſſe an dij eſſent: deinde ſi ſint, quales ſint. Idem Socratẽ damnauerunt, quòd nouam religionem introducere videbatur. Iidem Phidiã tulerunt, quãdiu is marmore potius quàm ebore Mineruam fieri debere dicebat, quòd diutius nitor eſſet manſurus: ſed vt adiecit, & vtilius, tacere iuſſerunt.

DE NEGLECTA RELIGIONE. Ca. II.

De Varrone conſule dimicante cum Carthaginienſibus.

CReditũ eſt Varronẽ cõſulem apud Cãnas cum Carthaginienſibus tam infeliciter dimicaſſe ob iram Iunonis, quòd cũ ludos Circenſes Aedilis faceret in Iouis Optimi Maximi tẽplo, eximia facie puerũ hiſtrionẽ ad excubias tenendas poſuiſſet: quod factũ poſt aliquot annos memoria repetitũ, ſacrificijs expiatũ eſt.

DE POTITIO NON OBSERuante ſacra.

Hercules quoq; detractæ religionis ſuæ & grauem & manifeſtam pœnam exegiſſe traditur. Nam cum Potitij ſacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorum ab ipſo aſſignatum velut hæreditarium obtinuerant, authore Appio Cenſore ad humile ſeruorum miniſterium tranſtuliſſent, omnes qui erant numero ſuper xxx. puberes, intra annum extincti ſunt, nomenq; Potitium in duodecim familias diuiſum prope interijt: Appius vero luminibus captus eſt.

Alex. Neapolit. lib. 2. cap. 14.

DE APOLLINE VINDICANTE se de sacrilegio.

Acer etiã sui numinis vindex Apollo: qui Carthagine a Romanis oppressa, veste aurea nudat⁹, id egit, vt sacrilegę manus inter fragmenta eius absciſſæ inuenirentur. Brẽnus Gallorum dux Delphis Apollinis templũ ingressus, Dei voluntate in se manus vertit.

DE TVRVLIO.

Nec minus efficax vltor contemptæ religionis filius quoq; eius Aesculapius, qui consecratum tẽplo suo lucum, a Turulio præfecto Antonij ad naues ei faciendas magna ex parte succisſum dolẽs, inter ipsum nefarium ministerium deuictis partibus Antonij, imperio Cæsaris morti destinatum Turuliũ, manifestis numinis sui viribus in eum locum quem violauerat traxit, effecitq; vt ibi potissimũ a militibus Cæsarianis occisus, eodem exitio & euersis iã arboribus pœnas lueret, & adhuc superantibus impunitatem cõsimilis iniuriæ pareret: suamq; venerationem, quam apud colẽtes maximam semper habuerat, Deus multiplicauit.

DE QVINTO FVLVIO.

Quintus autem Fuluius Flaccus impune non tulit quòd in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædẽ Fortunæ Equestris quã Romæ faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente cõstitisse. quinetiam per summam ægritudinem animi expirauit, cũ ex duobus filijs in Illyrico militantibus alterum deces-

fisse,alterum grauiter audisset affectum:cuius casu motus Senatus,tegulas Locros reportãdas curauit,decretique circũspectissima sanctitate impium opus Censoris retexuit.

DE PLEMINIO LEGATO SCIPIONIS.

TAm me hercule, q̃ Pleminij legati Scipionis in thesauro Proserpinæ spoliãdo sceleratam auaritiã iusta animaduersione vindicauit. Cum enim eũ vinctum Romam pertrahi iussisset,ante causæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi cõsumptus est. Pecuniam Dea eiusdem Senatus imperio,& quidem summã duplicando,recuperauit. Quæ quòd ad Pleminij facinus pertinuit, bene a Patribus C. vindicata: quod ad violentas regis Pyrrhi sordes attinuerat, seipsam potẽter atq; efficaciter defendit. coactis enim Locrẽsibus ex thesauro eius magnam illi pecuniam dare,cũ onustus nefaria præda nauigaret,vi subitæ tẽpestatis tota cũ classe vicinis deæ littoribus illisus est:in quibus pecunia incolumis reperta,sanctissimi thesauri custodiæ restituta est.

EXTERNA.

DE MASINISSA REGE.

AT non similiter Masinissa Rex Numidarum, cuius cum præfectus classis Melitã appulisset, eq; fano Iunonis dentes eburneos eximiæ magnitudinis sublatos,ad eum pro dono attulisset,vt cõperit vnde aduecti essent,quinqueremi reportãdos Melitam,inq; tẽplo Iunonis collocãdos curauit, insculptos gentis suæ literis, significantibus regem ignorantem eos accepisse,libẽter deæ reddidisse. Factum Masinissę animo,quàm Puni-

co ſanguini conuenientius: quanquam quid attinet mores natione pendi? In media barbaria ortus ſacrilegium reſcidit alienum.

DE DIONYSIO SYRACVSANO

Syracuſis genit⁹ Dionyſi⁹, tot ſacrilegia ſua, quot iã recognoſcim⁹, iocoſis dictis ꝓſequi voluptatis loco duxit. Fano eni Proſerpinę ſpoliato Locris, cũ per altũ ſecũdo vẽto claſſe veheret, ridẽs, amicis, Videtisne, ait, q̃ bona nauigatio ab ipſis dijs ĩmortalib⁹ ſacrilegis tribuatur? Detracto etiã Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eũ tyrãnus Hiero è manubijs Carthaginiẽſium ornauerat, iniectoq; ei laneo pallio, dixit, æſtate graue eſſe aureum amiculũ, hyeme frigidũ: laneũ autẽ ad vtrũq; tẽpus anni aptius. Idem Epidauri Aeſculapio barbã aureã demi iuſſit, q; affirmaret nõ conuenire patrẽ Apollinẽ imberbẽ, ipſum vero barbatũ cõſpici. Idẽ mẽſas argẽteas atq; aureas e fanis ſuſtulit: quodq; in his more Græciæ ſcriptũ erat, bonorũ deorũ eas eſſe, vti ſe bonitate eorũ ꝓdicauit. Idẽ victorias aureas, & pateras, & coronas, q̃ ſimulacrorũ porrectis manib⁹ ſuſtinebãtur, tollebat: & eas ſe accipere, nõ auferre dicebat. perquã ſtultũ eſſe argumẽtando, a quibus bona precamur, ab his porrigẽtib⁹ nolle ſumere. Qui tametſi debita ſupplicia non exoluit, dedecore tamẽ filij mortu⁹ pœnas repẽdit, quas viu⁹ effugerat. Lẽto eni gradu ad vindictã ſui diuina ꝓcedit ira, tarditatẽq; ſupplicij grauitate cõpẽſat.

De Thymaſitheo principe Liparitanorũ.

In quam ne incideret Thymaſitheus Liparitanorum princeps, conſilio ſibi aliter, atque vniuerſæ

patriæ vtili ꝓuidit exẽplo. excepta nãq; in freto à ciuíbus ſuis Piraticã exercẽtibus magni põderis aurea cratera, incitatoq; ad eã partiẽdã populo, vt cõperit, à Romanis Pythio Apollini decimarũ noïe dicatã, eã Delphos perferẽdã curauit.

De vĩdicta Cereris ĩ Alexãdri milites exercita.

Mileſia Ceres, Mileto ab alexãdro capta, milites q; tẽplũ ſpoliaturi irruperãt, flãma obiecta priuauit oculis. De perſarũ in Apollinẽ religione.

Perſæ mille nauiũ nũero Delũ cõpulſi, tẽplo Apollinis religioſas poti⁹ man⁹ q; rapaces adhibuerũt

De religione Atheniẽſiũ, q philoſophos ir religioſe diſputãtes non tulerunt.

Atheniẽſes Diagorã philoſophũ pepulerũt, quia ſcribere auſus fuerat, primũ ignoraſſe an dij eſſent: deinde ſi ſint, quales ſint. Iidẽ Socratẽ dãnauerũt, q; nouã religionẽ ĩtroducere videbat. Iidẽ Phidiã tulerũt q; diu is e marmore potius q; ebore Mineruã fieri debere dicebat, q; diuti⁹ nitor eſſet mãſurus: ſed vt adiecit, & vilius, tacere iuſſerũt.

DE DIOMEDONTE.

Diomedon vnus ex decẽ ducibus qui eadẽ pugna Athenienſibus victoriam, ſibi vero dãnationem pepererũt, cum iam ad meritum ſupplicium duceretur, nihil aliud locutus eſt, q; vt vota pro incolumitate exercitus ab ipſo nuncupata ſolueret.

De ſimulata religione. Cap. III.

NVma Põpilius vt populũ Ro. ſacris obligaret, volebat videri ſibi cũ dea Aegeria congreſſus eſſe nocturnos, eiuſq; monitu ſe q; accepta dijs ĩmortalib⁹ ſacra forẽt, ĩſtituere,

DE SCIPIONE AFRICANO.

Scipio Africanus non ante ad negotia publica vel priuata ibat, quàm in cella Iouis capitolini moratus fuisset: & ideo Ioue genitus credebatur.

DE L. SYLLA.

L. Sylla quoties prælium committere destinabat, paruum Apollinis signum Delphis sublatum, in conspectu militum cõplexus, orabat vti promissa maturaret.

DE Q. SERTORIO.

Q. Sertorius per asperos Lusitaniæ colles Ceruã albam trahebat, ab ea se, quænam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri.

EXTERNA.

DE MINOE CRETAE INSVLAE REGE.

Minos Cretẽsium Rex nono quoq; anno in quoddam præaltum, & vetusta religione cõsecratum specus secedere solebat, & in eo moratus, tanquã a Ioue, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat.

DE PISISTRATO ATHENIENSIVM TYRANNO.

Pisistratus in recuperandam tyrãnidem, quã amiserat, simulatione reducentis se in arcem Mineruæ est vsus, cum per ostentationem ignotæ mulieris, quæ Phya vocabatur, formatæ ad habitũ Deæ, Athenienses deciperet.

DE LYCVRGO LACEDAEMONIORVM LEGISLATORE.

Lycurgus consilio Apollinis grauissimæ Lacedæmoniorum ciuitati leges cõpositas ferre se persuasit.

DE ZALEVCO.

Zaleucus sub nomine Mineruæ apud Locrenses prudentissimus habitus est. Bacchanalium sacrorum mos nouus institutus, cum ad pernicioſam vesaniam iretur, sublatus est.

DE AVSPICIIS. Cap. IIII

De Luctatio.

LVctatius, qui primum Punicum bellum cõfecit, à senatu prohibitus est sortes fortunæ Prænestinæ adire. Auspicijs enim patrijs, non alienigenis Rempub. administrari oportere iudicabant.

DE C. CORNELIO HISPALO.

Caius Cornelius Hispalus prætor peregrinus M. Popilio Lenate, L. Calpurnio Cos. edicto Chaldæos intra decimũ diem abire ex vrbe atq; Italia iussit, leuibus & ineptis ingenijs, fallaci syderum interpretatione quæstuosam mẽdacijs suis caliginem inijcientes.

Idem, qui Sabazij Iouis cultu sublato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.

DE L. AEMILIO PAVLO.

Lucius Aemilius Paulus consul, cum Senatus Isidis & Serapis phana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta securim arripuit, templiq; eius foribus infixit.

DE L. TARQVINIO.

Lucius Tarquinius Rex cẽturijs equitũ, quas Romulus auspicatò conscripserat, alias adijcere cupiens, cũ ab Decio Accio Nauio augure prohi-

beretur, offensus interrogauit, posset ne fieri quod ipse mente conceperat. posse fieri dicente, iussit nouacula cotem discindi: qua Decius allata, administrato incredibili facto, effectum suæ professionis oculis regis subiecit.

DE TIBERIO GRACCHO.

Tiberius Gracchus cũ ad res nouas pararetur, auspicia domi prima luce petijt, quę illi perquã tristia responderũt: & ianua egressus, ita pedem offendit, vt digitus ei decuteretur: tres deinde corui in eum aduersum öccinentes, partem tegulæ decussam ante ipsum protulerunt: quibus omnibus contemptis, a Scipione Nasica pontifice maximo decussus Capitolio, fragmento subsellij ictus procubuit.

DE PVBLIO CLAVDIO.

Publius Claudius bello Punico primo cum prælium nauale committere vellet, auspiciaq; more maiorum petijsset, & pullarius nõ exire pullos cauea nunciasset: abijci eos in mare iussit, dicẽs, quia esse nolunt, bibant.

DE L. IVNIO.

Lucius Iunius P. Claudij collega neglectis auspicijs classem tẽpestate amisit, dãnationisq; ignominiam voluntaria morte præuenit.

DE METELLO.

Cum Metellus Põtifex Maximus Tusculanũ petens iret, corui duo in os eius aduersum veluti iter impedientes aduolauerunt: vixque extuderunt vt domum rediret. insequente noctu ædes Vestæ arsit. quo incendio Metellus inter ipsos

ignes raptum Palladium incolume seruauit.

DE MARCO TVLLIO CICERONE.

Marco Ciceroni mors imminēs auspicio prædicta est. Cum enim in villa Caietana esset, coruus in conspectu eius horologij ferrum loco motū excussit, & protinus ad ipsum tetēdit: ac laciniam togæ eousq; morsu tenuit, donec seruus ad occidendum eum milites venisse nunciaret.

DE MARCO BRVTO.

Marcus Brutus cum reliquias exercitus sui aduersus Cæsarem & Antonium eduxisset, duæ Aquilæ ex diuersis castris aduolauerunt, & edita inter se pugna, ea quæ ex parte Bruti fuerat, male multata fugit.

EXTERNA.

DE REGE ALEXANDRO.

Cum rex Alexander vrbē in Aegypto constituere vellet, architectus Democrates cū cretam non haberet, polētaq; futuræ vrbis lineamenta deduxisset, ingēs auiū multitudo proximo lacu emersa, polentam depasta est. quod sacerdotes Aegyptiorum interpretati sunt aduenarum frequētiæ alimentis suffecturam vrbem.

DE DEIOTARO REGE.

Deiotaro vero regi omnia fere auspicatō gerenti, salutaris aquilæ conspectus fuit: qua visa abstinuit se ab eius tecti vsu, quod nocte insequenti ruina solo æquatum est.

DE OMINIBVS. Cap. V.

OMinum etiam obseruatio aliquo contactu religionis innexa est: quoniam non fortuito motu, sed diuina prouidentia

constare creditur: quæ effecit, vt vrbe a Gallis deleta, deliberantibus P. C. vtrum Veios migrarent, an sua mœnia restituerent, forte eo tempore e præsidio cohortibus redeuntibus, centurio in Comitio exclamaret, Signifer statue signum. hic optime manebimus. Ea enim voce audita, Senatus accipere omem se respondit: euestigioque Veios transeundi consilium omisit. Quã paucis verbis de domicilio futuri summi imperij confirmata est conditio? Credo indignum dijs existimantibus, prosperis auspicijs Romanum nomen ortum, Veientanæ vrbis appellatione mutari, inclytęq; victoriæ decus modò abiectæ vrbis ruinis infundi. Huius tam præclari operis authorCamillus, cũ esset precatus, vt si cui deorum nimia felicitas Populi Roma. videretur, eius inuidia suo aliquo incomodo satiaretur, subito lapsu decidit. quod omen ad damnationem qua postea oppressus est, pertinuisse visum est. Merito autem de laude inter se victoria & pia precatio amplissimi viri certauerunt. æquè enim virtutis est, & bona patriæ auxisse, & mala in se transferre voluisse.

DE LVCIO PAVLO, ET FILIA.

Quid illud, quod L. Paulo cõsuli euenit, q̃ memorabile? Cum ei sorte obuenisset, vt bellũ cum rege Persa gereret, & domum e curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum paruula, osculatus, tristem animaduerteret, interrogauit quid ita eo vultu esset. quæ respondit Persam perisse. Decesserat autem catellus, quem puella in delicijs habuerat, nomine

Persa. Arripuit igitur omen Paulus, eqꝫ fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triũphi animo præsumpsit.

DE CAECILIA METELLI.

At Cæcilia Metelli, dum sororis filiæ adultæ ætatis virginis more prisco nocte concubia nuptialia petit, omen ipsa fecit. nam cũ in sacello quodam eius rei gratia aliquandiu persedisset, nec aliqua vox proposito congruens esset audita, fessa longa standi mora puella, rogauit matertera, vt sibi paulisper locum residendi accõmodaret. cui illa: Ego vero, inquit, libẽter tibi mea sede cedo. quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi ominis processit euentum: quoniam Metellus non multo post mortua Cæcilia, virginem de qua loquor, in matrimonium duxit.

DE CAIO MARIO, ET OMINIS obseruatione.

Caio autẽ Mario obseruatio ominis proculdubio saluti fuit, quo tẽpore hostis a Senatu iudicatus, in domũ Fãniæ Minturnis custodiæ causa deductus est. Animaduertit enim asellum, cum ei pabulum obijceretur, neglecto eo ad aquam properantem. quo spectaculo, deorum prouidentia quod sequeretur oblatum ratus, alioqui etiam interpretandarum religionum peritissimus, a multitudine quæ ad opem illi ferendam confluxerat, impetrauit vt ad mare perduceretur: ac protinus nauiculam conscendit: eaqꝫ in Africam prouectus, arma Syllæ victricia effugit.

DE POMPEIO MAGNO.

Pompeius vero magnus in acie Pharsalica victus

à Cæsare, fuga quærẽs salutem, cursu in insulam Cyprum, vt aliquid in ea virium contraheret, classem direxit: appellẽsq; ad oppidũ Paphum, cõspexit in littore speciosum ædificium: gubernatoremq; interrogauit, quod ei nomẽ esset: qui respondit κακοδαιμονία vocari. quæ vox spem eius, quãtulacunq; restabat, comminuit. Neq; id dissimulanter tulit. Auertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem quem ex diro omine concepe rat, gemitu patefecit.

DE MARCO BRVTO.

Marci etiam Bruti dignus admisso parricidio euẽtus, est omine designatus. siquidem post illud nefarium opus natalem suum celebrans, cum græcum versum exprimere vellet, ad illud potissimum Homericum referendum animo tetendit. Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ λητοῦς ἔκτανεν υἱός. qui deus Philippẽsi acie à Cęsare & Antonio signo datus, in eum tela conuertit.

DE CAIO CASSIO.

Consentaneo vocis iactu C. Cassij aurem fortuna peruellit, quæ orantibus Rhodijs ne ab eo cunctis deorum simulacris spoliarentur, Solem a se relinqui respondere voluit, vt rapacissimi victoris insolentiam, dicti tumore protraheret, abiectumque Macedonica pugna, non effigiem Solis, quam tantummodo supplicibus cesserat, sed ipsum Solem revera relinquere coegit.

DE PETILIO.

Annotatu dignum illud quoq; omen, sub quo Petilius cõsul in Liguria bellũ gerẽs occiderit. Nã

cum montem cui Leto cognomen erat, oppugnaret, interque adhortationem militum dixisset, Hodie ego Letum vtiq; capiam: inconsideratius præliando, fortuitum iactum vocis leto suo confirmauit.

DE EXTERNIS OMINIBVS.

Adjeci nostris duo eiusdem generis alienigena exempla non absurde possunt. Samij Prienensibus auxilium aduersus Carras implorantibus, arrogantia instincti, pro classe & exercitu Sibyllam eis derisus gratia miserunt: quam illi velut diuinitus datum præsidium interpretati, libenter receptam, vera fatorum prædictione victoriæ ducem habuerunt.

DE APOLLONIATARVM OMINE.

Ne Apolloniatæ quidem pœnitentiam egerũt, qui cum bello Illyrico pressi, Epidamnios vt sibi opem ferrent orassent, atq; illi flumen vicinum mœnibus suis nomine Aeantem in adiutoriũ se mittere dixissent, Accipimus quod datur, respõderunt: eiq; primũ in acie locum perinde ac duci assignauerunt. Ex insperato enim superatis hostibus, successum suum omini acceptum referentes, & tunc Aeanti vt deo immolauerunt, & deinceps omnibus prælijs duce vti instituerunt.

DE PRODIGIIS. Cap. VI.

De Seruio Tullo.

PRodigiorum quoq;, quæ aut aduersa, aut secunda acciderunt, debita proposito nostro relatio est. Seruio Tullo etiamtũ puerulo dormienti circa caput flamma emicuisse do-

mestici oculi annotauerũt. Quod prodigiũ Prisci Tarquinij regis vxor Tanaquil admirata, Seruium seruã natum, in modũ filij educauit, & ad regium fastigium euexit.

DE MARTIO.

Aeque felicis euentus illa fãma quæ ex L. Martij ducis duorum exercituum, quos interitus Publij & Cnei Scipionum in Hispania debilitauerat, capite concionantis eluxit. Nanq; eius aspectu pauidi adhuc milites, pristinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta hostium millibus cæsis, magnoque numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta ceperunt.

DE LACV ALBANO.

Item cum bello acri & diutino Veientes à Romanis intra mœnia compulsi, capi non possent, eaque mora non minus obsidentibus, quàm obsessis intolerabilis videretur, exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dij immortales patefecerũt. Subito enim Albanus lacus neq; cœlestibus auctus imbribus, neque inundatione vllius amnis adiutus, solitum stagni modum excessit: cuius rei explorandæ gratia legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, vt aquã eius lacus emissam per agros diffunderent: sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. Quod, prius quàm legati renũciarent, Aruspex Veientium a milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus, & in castra perlatus, futurum dixerat. Ergo senatus duplici prædictione monitus, eodem pene tempore &

religioni paruit, & hostium vrbe potitus est. Nec parum prosperi successus est quod sequitur.

DE LVCIO SYLLA CONSVLE.

Lucius Sylla consul Sociali bello, cũ in agro Nolano ante prætorium immolaret, subito ab vna parte aræ prolapsam anguem prospexit: qua visa, Posthumi aruspicis hortatu continuo exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum castra cepit. quæ victoria futuræ eius amplissimæ potentiæ gradus & fundamentum extitit.

DE CAIO VOLVMNIO, & Seruio Sulpitio.

Præcipuæ admirationis etiam illa prodigia, quæ C. Volumnio & Ser. Sulpitio cos. in vrbe nostra inter initia motusq; bellorũ acciderunt. Bos nãq; mugitu suo in sermonem humanũ conuersso, nouitate monstri audientium animos exterruit. Carnis quoq; in modũ nymbi dissipatæ partes ceciderut, quarũ maiorem numerũ præpetes diripuere aues, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neq; deformi aspectu mutatũ iacuit. Eiusdem generis mõstra alio tumultu credita sunt, Puerum infantem semestrem in foro Boario triumphum proclamasse. Alium cum elephantino capite natũ. In Piceno lapides pluisse. In Gallia lupum vigili e vagina gladiũ abstulisse. In Sicilia scuta duo sanguinem sudasse. Etiam metentibus cruetas spicas in corbem decidisse. Cerites aquas sanguine mistas fluxisse. Bello etiã Punico secundo constitit Cn. Domitio bouem dixisse. Caue tibi Roma.

DE CAIO FLAMINIO.

Caius autem Flaminius inauſpicato cõſul creatus, cum apud Lacum Thraſimenũ cum Hannibale conflicturus conuelli ſigna iuſſiſſet, lapſo equo ſuper caput eius humi proſtratus eſt: nihilque eo prodigio inhibitus, ſigniferis ſigna moueri ſua ſede poſſe negantibus, malum, ni continuo ea effodiſſent, minatus eſt. Verum huius temeritatis vtinam ſua tantum, non etiam Po. Rom. maxima clade pœnas pependiſſet. In ea nanque acie xv. millia Romanorum cæſa, vj. millia capta, xx. millia fugata ſunt. Conſulis obtruncati corpus ad funerandum ab Hannibale quæſitum eſt: qui quantum in ipſo fuerat, Romanum ſepelierat imperium.

DE C. HOSTILIO.

Flaminij autem præcipitem audaciam, C. Hoſtilius Mancinus veſana perſeuerantia ſubſequitur: cui conſuli in Hiſpaniam ituro, hæc prodigia acciderunt. cum Lanuuij ſacrificium facere vellet, pulli cauea emiſſi, in proximam ſyluã fugerũt, ſummaq; diligentia quæſiti reperiri nequiuerũt. Cũq; ab Herculis portu, quo pedibus peruenerat, nauem coſcenderet, talis vox ſine vllo authore ad aures eius peruenit. Mãcine, mane. qua territus, cum itinere conuerſo Genuam petiſſet, & ibi ſcapham eſſet ingreſſus, anguis eximiæ magnitudinis viſus e cõſpectu abijt. Ergo numerũ prodigiorum numero calamitatum æquauit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funeſta.

ALIVD DE TITO GRACCHO

Minus miram in homine parum conſiderato teme-

ritatem Titi Gracchi grauissimi ciuis exitus tri
stis, & prodigio denunciatus, nec euitatus consi-
lio, facit. Cosul enim cũ in Lucanis sacrificasset,
angues duo ex occulto prolapsi, repente hostiæ
quam immolauerat, adelo iocinore, in ealde la-
tebras se retulerunt. ob id deinde factum instau-
rato sacrificio, idem prodigij euenit. Tertia quo-
que cæsa victima, diligentiusq; asseruatis extis,
neq; allapsus serpentum arceri, neque fuga im-
pediri potuit. quod quanuis Aruspices ad salutẽ
imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tame
non cauit ne perfidi hospitis sui Flauij insidijs
in eum locum deductus, in quo Pœnorum Dux
Mago cum armata manu delituerat, inermis oc-
cideretur.

DE MARCELLO.

Et Cõsulatus collegium, & erroris societas, & par
genus mortis a Tito Graccho ad Marcelli me-
moriam me trahit. Is enim captarum Syracusa-
rũ, & Hannibalis ante Nolana mœnia a se pri-
mum fugere coacti, gloria inflammatus, cũ sum-
mo studio niteretur vt Pœnorum exercitum aut
in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, solen-
nique sacrificio voluntates deorum exploraret:
quæ prima hostia ante foculum decidit, eius je-
cur sine capite inuentum est. proxima iocino-
ris duplex caput habuit. quibus inspectis Aru-
spex tristi vultu, non placere sibi exta, quia pri-
ma trunca, secunda nimis læta apparuissent, re-
spondit. Ita monitus M. Marcellus ne quid teme-
re conaretur, insequenti nocte speculandi gratia
cũ paucis egredi ausus, a multitudine hostium in

Brutijs circũuentus, æque magnum dolorem ac detrimentum patriæ interitu suo attulit.

DE OCTAVIO CONSVLE.

IAm Octauius consul dirum omen quemadmodũ timuit, ita vitare non potuit. E simulacro enim Apollinis per se abrupto capite, & ita infixo humi, vt auelli nequiret, armis a collega suo Cinna dissidens, præsumpsit animo ea re significari exitum suum: in quem metus augurij tristi fine vitæ incidit: ac tum demum immobile dei caput terra refigi potuit.

DE M. CRASSO.

NOn sinit nos M. Crassus inter grauissimas Rom. imperij iacturas numerãdas, hoc loco de se silentium agere. Plurimis & euidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatus ictibus (ducturus enim erat a Carris aduersus Parthos exercitũ) pullũ ei traditũ est paludamentũ, cum in prælium exeuntibus album aut purpureum dari soleret. mœsti & taciti milites ad principia conuenerũt, qui vetere instituto cum clamore alacri accurrere debebant. aquilarum altera vix couelli a primipilo potuit: altera ægerrime extracta, in contrariã ac ferebatur partẽ seipsam conuertit. Magna hæc prodigia: sed & illæ clades aliquanto maiores, tot pulcherrimarum legionũ interitus, tam multa signa hostilibus intercepta manibus, tantum Romanæ militiæ decus Barbarorum obtritum equitatu, optimæ indolis filij cruore paterni respersi oculi, corpus Imperato-

ris inter promiscuas cadauerum strues, auiũ fe-
rarumq; laniatibus obiectum. vellem quidẽ pla-
cidius: sed relatu verum est. Sic deorum spreti
præmonitus excandescunt. Sic humana consilia
castigãtur, vbi se cælestibus præferunt.

DE CN. POMPEIO.

Cneum etiam Pompeium Iupiter omnipotens
abunde monuerat, ne cum C. Cæsare vltimam
belli fortunam experiri contenderet, egresso a
Dyrrhachio aduersa agmini eius fulmina iacies,
examinibus apum signa obscurando, subita tri-
stitia implicatis militum animis, nocturnis to-
tius exercitus terroribus, ab ipsis altaribus ho-
stiarũ fuga. Sed inuictæ leges necessitudinis, pe-
ctus alioqui procul ab ametia remotum, prodi-
gia ista iusta æstimatione perpendere passæ non
sunt. Itaq; dum ille eleuat autoritatem amplissi-
mã, & opes priuato fastigio excelsiores: omnia
ornamenta quæ ab ineunte adolescentia ad in-
uidiam vsq; contraxerat, spatio vnius diei cõfre-
git. Quo constat in delubris deum sua spõte si-
gna conuersa, militarem clamorem, strepitũq;
armorum adeo magnum Antiochiæ & Ptole-
maide auditũ, vt in muros cõcurreretur: sonum
tympanorum Pergami abditis delubris editũ.
palmã viridem Trallibus in æde Victoriæ sub
Cæsaris statua inter coagmenta lapidum iustæ
magnitudinis enatam: quibus appareret cæle-
stium numen & Cæsaris gloriæ fauisse, & Pom-
peij errorem inhibere voluisse. Tuas aras, tuaq;
sanctissima templa Diue Iuli veneratus oro, vt

propitio ac fauenti numine tantorum casus virorum sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris. Te enim accepimus eo die quo purpurea veste velatus aurea insella consedisti, ne maximo studio Senatus exquisitum & delatum honorem spreuisse videreris, prius quàm exoptatum ciuium oculis conspectum tui offerres, cultui religionis in quam mox eras transiturus, vacasse: mactatoq; opimo boue, cor in extis non reperisse, ac responsum tibi a Spurina Arunspice, pertinere id signum ad vitam & consilium tuum, quod vtraq; hæc corde continerentur. erupit deinde eorum parricidium, qui dum te hominum numero subtrahere volunt, deorum concilio adiecerunt. Claudatur hoc exẽplo talium ostentorum domestica relatio, ne si vlterius Romana apprehendero, è cælesti templo ad priuatas domos non consentaneos vsus trãstuliſſe videar. Attingã igitur externa, quæ latinis inserta literis, vt autoritatis minus habẽt, ita aliquid gratæ varietatis afferre possunt.

EXTERNA.

DE EQVA PARIENTE LEPOREM.

In exercitu Xerxis, quem aduersus prouinciam Græciã contraxerat, equæ partu leporem editũ constat: quo genere monstri, tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestri operuit exercitu: vt fugax animal, pauido regressu regnum suum repetere est coactus. Eidem montẽ Athon iuxa Idam trãsgresso, prius quàm Athenas deleret, Lacedæmo-

nis inuadendæ consiliũ agitanti, admirabile inter cœnam prodigium incidit. Infusum nanque patere eius vinum, in sanguinem, nec semel, sed iterum, & tertio conuersum est. Qua de re cõsulti Magi monuerũt, vt se ab incepto proposito abstineret. & si quod vestigium in vecordi pectore sensus fuisset, cauere potuisset, ante de Leonida & Spartanis abunde monitus.

DE MIDA.

Midæ vero, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormiẽti formicæ in os grana tritici cõgesserunt. parẽtibus deinde eius, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, Augures respõderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum. nec vana prædictio extitit. Nam Midas cunctorum pene regum opes abundantia pecuniæ antecessit: infantiæq; incunabula vtili deorũ munere donata, onustus auro atq; argento gazis pensauit.

DE PLATONE AL VDMIRVM.

Formicis Midæ, iure meritoq; apes Platonis prætulerim. illæ enim caducæ ac fragiles, hæ solidæ & æternæ felicitatis indices extiterunt, dormiẽtis in cunis paruuli labellis mel inferendo. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem eloquij suauitatem ore eius emanaturam dixerunt. Ac mihi quidem illę apes non montẽ Hymettũ thymi flore redolentẽ, sed musarũ Helicõnios colles omni genere doctrinæ viretes, deorũ instinctu depastæ, maximo ingenio dulcissima alimeta luminę eloquetię instillasse videtur

DE SOMNIIS. Cap. VII.

SEd quoniam diuitias Midæ, diſertumque Platonis ſomnum attigi, referam quàm certis imaginibus multorum quies adumbrata ſit: quem locũ vnde potius ordiar, quàm à diui Auguſti ſacratiſſima memoria? Eius medico Artorio ſomnum capienti nocte quam dies inſecutus eſt quo in campis Philippicis Romani inter ſe exercitus concurrere, Mineruæ ſpecies obortа præcepit vt illum graui morbo implicitum moneret, ne propter aduerſam valetudinem proximo prælio non intereſſet. Quod cum Cæſar audiſſet, lectica ſe deferri in aciem iuſſit. vbi dum ſupra vires corporis pro adipiſcenda victoria excubat, caſtra eius à Bruto capta ſunt. Quid ergo aliud putamus, quàm diuino munere effectum, ne deſtinatum iam immortalitati caput, indignã cæleſti ſpiritu Fortunæ violentiam ſentiret? Auguſtum vero preter naturalẽ animi in omnibus rebus ſubtiliter proſpiciendis vigorem, etiam recens & domeſticum exemplum vt Artorij ſomnio obteperaret, admonuit. Audiuerat enim diui Iulij patris, ſui vxorem Calphurniam nocte quam is vltimam in terris egit, in quiete vidiſſe multis eum confectum vulneribus in ſuo ſinu iacẽtem: ſomniique atrocitate vehementer exterritam, rogare non deſtitiſſe vt proxima die à curia ſe abſtineret. At illum, ne muliebri ſomnio motus id feciſſe exiſtimaretur, ſenatum in quo ei parricidarum manus allatæ ſunt, adire con-

tendisse. Non est inter patrem & filium vllius rei comparationem fieri, præsertim diuinitatis fastigio iunctos: sed iam alter operibus suis aditum sibi ad cælũ instruxerat, alteri locus adhuc terrestrium virtutum orbis restabat. Quapropter ab hoc tantũmodo pendentẽ mutationem stat⁹ cognosci, ab illo etiã differri Dij immortales voluerunt, vt aliud cœlo decus daretur, aliud promitteretur.

DE P. DECIO, ET M. TORQVATO.

Illud etiam somniũ magnæ admirationis, & clari exitus, quod eadem nocte duo coss. P. Decius, & T. Manlius Torquatus, Latino bello, & graui, & periculoso, non procul a Vesuuij montis radicibus positis castris viderũt. Vtriq; enim quidam per quietis speciem prædixit, ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum dijs Manibus Matriq; Terræ deberi. Vtrius autem dux copias hostium aggrederetur, superque eas sese ipsum deuouisset, victoriam habiturum. Id luce proxima coss. sacrificio vel expiaturis, si posset auerti: vel si certum deorum etiam monitu visum foret, executuris, hostiarum exta somnio cõgruerũt. Cõuenitq; inter eos, cuius cornu pri⁹ laborare cœpisset, vt is capite suo fata patriæ lueret: quæ, neutro formidãte, Deciũ depoposcerũt.

Sequitur æque ad publicam religionem pertinens somnium. Cum Plebeijs ludis quidam paterfamilias per circum Flaminium prius quàm pompa induceretur, seruum suũ verberibus multatũ sub furca ad supplicium egisset, latino homini ex

plebe Iupiter in quiete præcepit vt cos s. diceret, sibi præsultorē ludis Circēsibus proximis non placuisse. quæ res nisi attenta ludorū instauratione expiata esset, secuturū non mediocre vrbis periculū. Ille veritus ne cū aliquo incōmodo suo, religione summū implicaret imperiū, silentium egit: euestigioque filius eius subita vi morbi correptus interijt. Ipse etiam per quietem ab eodem deo interrogatus, an satis magnam pœnam neglecti imperij sui pependisset, in proposito perseuerans, debilitate corporis solutus est: ac tum demum ex cōsilio amicorum lectica ad tribunal cos s. & inde ad senatū perlatus, ordine totius casus sui exposito, magna cū omnium admiratione recuperata membrorū firmitate, pedibus domum redijt.

DE M. T. CICERONE.

Ac ne illud quidem inuoluendum silentio. Inimicorū conspiratione vrbe pulsus M. Cicero, cum in villa quadam campi Atinatis diuersaretur, is animo in somnum profuso, per loca deserta & inuias regiones vaganti sibi C. Marium consulatus ornatū insignibus putauit obuiū factum, interrogātem eum, quid ita tam tristi vultu, incerto itinere ferretur. audito deinde casu quo cōflictabatur, comprehendisse dexteram suam, ac se proximo lictori in monimentū ipsius deducendū tradidisse, quòd diceret ibi esse ei lætiorem status spem repositam. Nec aliter euenit. Nam in æde Iouis Mariana Senatusconsulto de reditu eius est factum.

DE C. GRACCHO.

Caio autē Graccho imminētis casus atrocitas palam atq; aperte per quietē denūciata est. somno enim pressus, Tiberij Gracchi fratris effigiē vidit, dicentis sibi nulla ratione eū vitare posse vt eo fato nō periret, quo ipse occidisset. Id ex Gracho prius quàm tribunatum in quo fraternum exitum habuit, iniret, multi audiuerunt. Cœlius etiam certus Romanæ historiæ author sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc viuo peruenisse scribit.

DE CASSIO PARMENSI.

Vincit huiuscemodi somnij dirū aspectū quod sequitur. Apud Actiū M. Antonij fractis opibus, Cassius Parmēsis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas cōfugit. vbi concubia nocte cū solicitudinibus & curis mēte sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominē ingētis magnitudinis, coloris nigri, squalidū barba, & capillo demisso: interrogatumq; quisnā esset, respondisse κακοδαίμονα. perterritus deinde tam tetro visu, & nomine horrendo, seruos inclamauit, sciscitatusq; est si quem talis habitus aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent. quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atq; eadem animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno, lumē introferri iussit, puerosq; a se discedere vetuit. Inter hāc noctē, & supplicij capitis quo eū Cæsar affecit, paruulum admodum tempus accessit.

DE ATTERIO RVFO.

Propioribus tamen (vt ita dicam) lineis Atterij

Rufi equitis Romani ſomniũ certo euentu admonitum eſt: qui, cum gladiatoriũ munus Syracuſis ederetur, inter quietem Retiarij ſe manu confodi vidit: idq; poſtero die in ſpectaculo conſeſſoribus narrauit. Incidit deinde vt proximo ab equite loco Retiarius cum Mirmillone introduceretur. cuius cum facie vidiſſet, idem dixit ab illo ſe Retiario trucidari putaſſe. protinuſque inde diſcedere voluit. illi ſermone ſuo metu eius diſcuſſo, cauſam exitij miſero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulſo Mirmillone, & abiecto, dum iacentem ferire conatur, traiectum gladio Atterium interemit.

EXTERNA.

DE HANNIBAE E.

Hannibalis quoq; vt deteſtandũ Romano ſanguini, ita certæ prædictionis ſomniũ: cuius non vigiliæ tantum, ſed etiam ipſa quies hoſtilis imperio noſtro fuit. hauſit enim propoſito & votis ſuis conueniente imaginem, exiſtimauitque miſſum ſibi à Ioue mortali ſpecie excelſiorem iuuenem, inuadendæ Italiæ ducem: cuius monitu primo veſtigia nullã in partẽ ſecutis oculis, mox humani ingenij prona voluntate vetita ſcrutãdi ponè reſpiciẽs, animaduertit immenſæ magnitudinis ſerpentẽ concitato impetu omne quicquid obuiũ fuerat proterentem, poſtq; eam magno cũ cæli fragore erumpẽtes nymbos, lucẽq; caliginoſis inuolutam tenebris. Attonitus deinde quidnam eſſet monſtri, & quid portenderet, interrogauit. hic Dux: Italiæ vides, inquit, vaſti-

tatem. proinde sile, & cætera tacitis permitte fatis.

DE ALEXANDRO.

QUàm bene Macedoniæ Rex Alexander per quietẽ visa imagine præmonitus erat, vt vitæ suę custos esset diligẽtior, si eum etiã cauendi periculi cõsilio Fortuna instruere voluisset. Nãq; Cassandri pestiferam sibi dexterã somnio prius cognouit, q̃ exitu sensit. existimauit enim se ab illo interfici, cũ eum nunq̃ vidisset. Interposito deinde tempore, postquã in conspectum venisset, nocturni metus patefacta imagine, vt Antipatri filium esse cognouit, adiecto versu Græco, qui fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suũ veneficij, quo occidisse Cassandri manu creditur, suspicionem animo repulit.

DE SIMONIDE POETA.

LOnge indulgẽtius Dij in poeta Simonide, cuius salutarem inter quietem admonitionem consilij firmitate roborauerunt. Is enim cum ad littus nauem appulisset, inhumatumque corpus iacens sepulturæ mandasset, admonitus ab eo, ne proximo die nauigaret, in terra remãsit: qui inde soluerant, fluctibus & procellis in conspectu eius obruti sunt. Ipse lætatus est, quòd vitam suam somnio quàm naui credere maluisset. Memor autem beneficij, elegantissimo carmine æternitati consecrauit. Melius illi & diuturnius in animis hominum sepulchrum constituens, quàm in desertis & ignotis arenis struxerat.

DE CROESO.

EFficax & illa quietis imago, qua Crœsi regis ani-

mum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam e duobus filijs & ingenti agilitate & corporis dotibus præstantiorem, imperijq; successioni destinatũ Atym existimauit ferro sibi ereptum. Itaq; quicquid ad euitandam denũciatæ cladis acerbitatẽ pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerẽda mitti. domi detentus est. Habebat armamentarium omnis generis telorum copia refertum. id quoq; amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus vtebatur. vetiti sunt propius accedere. Necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingẽtis magnitudinis aper, Olympi mõtis culta, crebra cum agrestium strage vastaret, inusitatoq; malo regium imploratũ esset auxilium, filius a patre extorsit, vt ad eum opprimendum mitteretur, eo quidem facilius, q; non dẽtis, sed ferri sæuitia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiæ, lanceam petẽdæ feræ gratia missam, in eum detorsit: & quidem eam potissimum dexteram nefariæ cædis crimine voluit aspergi, cui tutela filij a patre mandata erat, quamq; Crœsus imprudentis homicidij sanguine violatam, hospitaleis veritus deos, supplicem sacrificio, expiauerat.

DE CYRO.

Nec Cyrus quidem superior inuictæ fatorum necessitatis paruulum argumentũ est: cuius ortus ad imperiũ totius Asiæ spectantis, maternus auus Astyages, duos prẽnũcios somnij frustra dis-

cutere tentauit, Mandanen filiã ſuã (q̃ in quiete viderat vrina eius omneis Aſiaticas gẽtes inundaſſe) non Medorum excellentiſſimo, ne in eius familiam regni decus trãsferretur, ſed Perſarum modicæ fortunæ viro collocando, natumque Cyrum exponi iubẽdo: quia ſimiliter quietis temporibus exiſtimauerat, genitali parte Mandanes enatam vitem eouſq̃ creuiſſe, donec cunctas dominationis ſuæ parteis inumbraret. fruſtratus eſt enim ſe ipſe, nepotis felicitatẽ cæleſtium iudicio deſtinatam, humanis conſilijs impedire conando.

DE DIONYSIO.

Intra priuatũ autem habitum Dionyſio Syracuſano adhuc ſe continente, Himera quædam non obſcuri generis fœmina, inter quietem opinione ſua cælum conſcendit, atque ibidem deorum omniũ luſtratis ſedibus, animaduertit præualentem virum, flaui coloris, lentiginoſi oris, ferreis catenis vinctum, Iouis ſolio pedibuſque ſubiectum. interrogatoque iuuene quo gratia conſyderandi cæli duce fuerat vſa, quiſnam eſſet, audiuit illum Sicilię atq̃ Italiæ dirum eſſe fatum, ſolutumque vinculis, multis vrbibus exitio futurum. quod ſomnium poſtero die ſermone vulgauit. Poſtquam deinde Dionyſium inimica Syracuſarum libertati, capitibuſq̃ inſontium infeſta fortuna cæleſti cuſtodia liberatum, velut fulmẽ aliquod otio ac trãquillitati iniecit, Himera eum mœnia inter effuſam ad officiũ & ad ſpectaculum eius turbam intrantẽ vt aſpexit, hunc eſſe quem in quiete viderat, vociferata eſt. Id

cognitum tyrãno, curã tollendæ mulieris dedit. Altioris somnij mater eiusdẽ Dionysij: quæ cũ eum conceptum vtero haberet, parere visa est Satyriscum: consultoque prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graij sanguinis futurum, certo cum euentu cognouit.

DE AMILCARE.

At Carthaginensium dux Amilcar, cum obsideret Syracusas, inter somnium vocem exaudisse credidit nunciantem futurum, vt proximo die in ea vrbe cœnaret. Lætus igitur perinde ac diuinitus promissa victoria, exercitũ pugnæ comparabat. in quo inter Siculos & Pœnos orta dissensione, castris eius Syracusani subita irruptione oppressis, ipsum intra mœnia sua vinctũ pertraxerunt. Itaque magis spe quàm somnio deceptus cœnauit Syracusis, captiuus: non, vt animo præsumpserat, victor.

DE ALCIBIADE.

Alcibiades quoq; miserabilem exitum suum haud fallaci nocturna imagine speculatus est. quo enim pallio amicæ suæ dormiens opertum se viderat, eo interfectus & insepultus iacens contectus est.

DE DVOBVS ARCADIBVS.

Proximum somnium etsi paulo est longius, propter nimiam tamen euidentiam ne omittatur impetrat. Duo familiares Arcades iter vnâ facientes Megaram venerũt: quorum alter ad hospitem se cõtulit: alter in tabernam meritoriam diuertit. Is qui in hospitio erat, vidit in somnijs comitem suum orantem vt sibi cauponis insi-

dijs circunuento ſubueniret. poſſe enim celeri eius accurſu ſe imminẽti periculo ſubtrahi. quo viſo excitatus proſiluit: tabernamque in qua is diuerſabatur, petere conatus eſt. Peſtifero deinde fato eius humaniſſimum propoſitum tanquã ſuperuacuum damnauit, & lectum ac ſomnum repetijt. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionem nõ negaret. Corpus enim ſuum a caupone trucidatum, tũ maxime plauſtro ferri ad portam ſtercore coopertũ. Tam cõſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendit: cauponemq; ad capitale ſupplicium perduxit.

DE MIRACVLIS. Cap. VIII.

MVlta etiam interdiu & vigilãtibus acciderunt perinde ac tenebrarum ſomniique nube inuoluta: quæ, quia vnde manauerint, aut qua ratione cõſtiterint, dignoſcere arduũ eſt, merito miracula vocãtur. Quorum è magno aceruo in primis illud occurrit. Cum apud lacum Regillum Aulus Poſthumius dictator, & Tuſculanorum dux Manilius Octauius magnis viribus inter ſe concurrerent, ac neutra acies aliquandiu pedem referret: Caſtor ac Pollux Romanarum partium propugnatores viſi, hoſtileis copias penitus fuderunt.

DE P. VATINIO.

I tẽ bello Macedonico P. Vatinius Reatinæ præfecturæ vir, noctu vrbem petens, exiſtimauit

duos iuuenes excellẽtis formæ, albis equis reſi-dentes, obuios ſibi factos nunciare die, qui præ-terierat, Perſen regem a Paulo captum. quod cũ ſenatui indicaſſet, tanquam maieſtatis eius & amplitudinis vano ſermone contemptor, in car-cerem coniectus, poſtquam Pauli literis illo die Perſen captum apparuit, & cuſtodia liberatus, & inſuper agro ac vacatione donatus eſt. Caſto-rem vero & Pollucem etiam illo tempore pro imperio P. R. excubuiſſe cognitũ eſt, quo apud lacum Iuturnæ, ſuum, equorumque ſudorem ab-luiſſe viſi ſunt, iunctaque fonti ædes eorum nul lius hominum manu reſerata patuit.

DE PESTILENTIA.

Sed vt cæterorum quoq; deorum propẽſum huic vrbi numen exequamur: triennio continuo ve-xata peſtilentia ciuitas noſtra, cum finem tanti & tam diuturni mali neq; diuina miſericordia neque humano auxilio imponi videret: cura ſa-cerdotũ inſpectis Sibyllinis libris, animaduer-tit non aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quàm ſi ab Epidauro Aeſculapi⁹ eſſet ac-cerſitus. Itaque eò legatis miſſis, vnicam fatalis remedij opem autoritate ſua, quæ iam in terris erat ampliſſima, impetraturam ſe credidit. ne-que eam opinio decepit. pari nanque ſtudio pe titum ac promiſſum eſt præſidium, eueſtigioq; Epidaurij Romanorũ legatos in templum Ae-ſculapij, quod ab eorum vrbe quinque millibus paſſuũ diſtat, perductos, vt quicquid inde ſalu-bre patriæ laturos ſe exiſtimaſſent, pro ſuo iure

ſumerent, benigniſſime inuitauerunt. quorum tam promptam indulgentiã, numen ipſius Dei ſubſecutum verba mortalium, cæleſti obſequio comprobauit. Siquidem is anguis, quem Epidaurij raro, ſed nũquam ſine magno ipſorum bono viſum, in modũ Aeſculapij venerati fuerunt, per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis & leni tractu labi cœpit, triduoque inter religioſam omniũ admirationẽ cõſpectus, haud dubiã præſe appetitę clarioris ſedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit: pauentibuſque inuſitato ſpectaculo nautis, eò conſcendit, vbi Quinti Ogulini legati tabernaculum erat: inque multiplicem orbem per ſummã quietem eſt cõuolutus. Tum legati perinde atque exoptatæ rei cõpotes, expleta gratiarum actione, cultuque anguis a peritis excepto, læti inde ſoluerunt: ac proſperam emenſi nauigationẽ, poſtquam Antium appulerunt, Anguis, qui vbiq; in nauigio remãſerat, prolapſus in veſtibulo ædis Aeſculapij, myrto frequẽtibus ramis diffuſæ, ſupereminentem excelſæ altitudinis palmam circundedit: perq; treis dies poſitis quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu legatorum ne in triremem reuerti nollet, Antienſis templi hoſpitio vſus, vrbi ſe noſtræ ad vehendum reſtituit: atq; in ripam Tyberis egreſſis legatis, in inſulam vbi templum dicatum eſt, tranauit: aduentuque ſuo tẽpeſtatem, cui remedio quæſitus erat, diſpulit.

DE FVRIO CAMILLO.

Nec minus volũtarius in vrbem noſtram Iunonis

trãſitus. Captis enim à Furio Camillo Veijs, militesiuſſu imperatoris ſimulacrũ Iunonis Monetæ, quod ibi præcipna religione cultum etat, in vrbem tralaturi, ſede ſua mouere conabantur: quorum ab vno per iocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet: velle ſe reſpondit. Hac voce audita, luſus in admirationem verſus eſt. Iamq; non ſimulacrum, ſed ipſam cælo Iunonem petitã portare ſe credentes, læti in ea parte Auentini montis, in qua nunc templum eius cernimus, collocauerunt.

DE SIMVLACRO FORTVNAE.

Fortunæ etiam muliebris ſimulacrum, quod eſt in Latina via ad quartum milliarium, eo tẽpore cum æde ſua conſecratum, quo Coriolanum ab excidio vrbis maternæ preces repulerunt, non ſemel, ſed bis locutum cõſtitit, prius his verbis: Rite me matronæ vidiſtis, riteque dedicaſtis.

DE VALERIO PVBLICOLA.

Valerio autem Publicola cos. qui poſt exactos reges bellum cum Veientibus & Hetruſcis geſſit, illis Tarquinio priſtinũ imperium reſtituere, Romanis nuper partam libertatem retinere cupientibus: Hetruſcis & Tarquinio in cornu dextro prælio ſuperioribus, tantus terror ſubito inceſſit, vt non ſolum victores ipſi profugerent, ſed etiam pauoris ſui conſortes ſecũ Veientes traherent. cui rei pro argumẽto miraculum adijcitur ingens, repente vox è proxima ſylua Arſia, quæ ore Syluani in hũc pene modũ miſſa traditur: Vno plus Hetruſci cadẽt. Romanus

exercitus victor abibit. Miram dicti fidem digesta numero cadauera exhibuere.

DE C. FABRICIO.

Quid? Martis auxiliũ quo victoriam Romanorũ adiuuit, nonne memoria celebrandũ est? Cũ Brutij atq; Lucani odio incitatissimo, maximisq; viribus Turinæ vrbis peterent exitiũ, ac præcipuo studio eius incolumitatem C. Fabricius Lucinus cos. protegeret, resque ancipiti euentu, collatis vnum in locum vtriusq; patris copijs gereretur: non audentibus Romanis prælium ingredi, eximiæ magnitudinis iuuenis primũ eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit: deinde vbi tardiores animaduertit, arreptis scalis, per mediam hostiũ aciem ad contraria castra euasit, & admotis vallum conscendit. Inde voce ingenti clamitans factum victoriæ gradum, & nostros ad aliena castra capienda, & Lucanos Brutiosq; ad sua defendenda illuc traxit, vbi cõserti dubio certamine terebantur. Sed idem impulsu armorũ suorũ prostratos hostes iugulandos capiendosq; Romanis tradidit. xx enim millia cæsa, quinq; millia cũ Statio Statilio duce vtriusq; gentis, & tribus atq; xx militaribus signis capta sunt. Postero die cũ cos. inter honorãdos quorũ strenua opera fuerat vsus, vallarem coronam ei se seruare dixisset, a quo castra erant oppressa, nec inueniretur qui id præmium peteret, cognitum pariter atq; creditũ est Martem patrem tunc populo suo affuisse. Inter cætera huiusce rei manifesta indicia, galea quoque

duabus distincta pinnis, qua cæleste caput tectũ fuerat, argumentũ præbuit. Itaque Fabricij edicto supplicatio Marti est habita, & a laureatis militibus magna cum animorum lætitia oblati auxilij testimonium ei est redditum.

DE DIIS TROIANIS MIRVM.

Referam nunc quod suo seculo cognitum, manauit ad posteros, Penates deos Aeneã Troia aduectos Lauinij collocasse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrariũ repetisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significasse. Nec me præterit, de motu & voce deorum immortalium humanis oculis auribusq; perceptis, quã ancipiti opinione existimatio versetur. sed quia non noua dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem autores vindicent: & nostrum sit, inclytis literarum monimẽtis consecrata, perinde ac vana non refugisse.

DE DIVO IVLIO.

Facta mentione vrbis e qua primordia ciuitas nostra traxit, diuus Iulius fausta proles eius se nobis offert: quem C. Cassius nunquã sine præfatione publici parricidij nominandus, cum acie Philippensi ardentissimo animo præstaret, vidit humano habitu augustiorẽ, purpureo paludamẽto amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem: quo aspectu perterritus, tergum hosti dedit, voce illa prius emissa. Quid enim amplius agas, si occidisse parum est? Non

occideras tu quidem Cassi Cæsarem,(neq; enim extingui vlla diuinitas potest)sed mortali adhuc corpore vtentem violando,meruisti vt tam infestum haberes deum.

DE LVCIO LENTVLO.

IAm quidem L.Lẽtulus littus præternauigans in quo Cnei Põpeij Magni perfidia Ptolemęi regis interempti corpus conscissæ scaphæ lignis comburebatur, ignarus casus eius,cũ ipsi Fortunæ erubescendum rogum vidisset, commilitonibus dixit, Quid scimus an in hac flamma Cneus Pompeius cremetur?diuinitus missæ vocis miraculum est.Atq; hoc quidem hominis, illud tamen ore ipsius Apollinis editum, quo Appij interitum veridica Pythicæ vaticinationis fides pręcucurrit.Is bello ciuili,quo se Cneꝰ Pompeius a Cæsaris concordia pestifero sibi, nec reipubli.vtili consilio abruperat, euentum grauissimi motus explorare cupiẽs(viribus nãq; imperij Achaiæ præerat)antistitem Delphicæ Cortinæ in intimam sacri specus partem coegit descẽdere,vnde vt certæ consulentibus sortes petuntur,ita nimius diuini spiritus hausțus reddentibus pestifer existit. Igitur impulsu capti numinis instincta virgo,horrendo sono vocis,Appio inter obscuras verborum ambages
» fata cecinit·Nihil enim,inquit,ad te hoc Ro-
» mane bellum.Eubœæ cellam obtinebis. At is ratus consilijs se Apollinis moneri ne illi discrimini interesset,in eam regionem secessit,quę inter Rhamnunta nobilem Attici soli partem,

Cariſtũq; Chalcidico freto vicinam interiacens cellæ Euboeæ nomen obtinet, vbi ante Pharſalicum certamen morbo conſumptus, prædictum à Deo locum pro ſepultura poſſedit. Poſſunt & illa miraculorum loco referri, quòd deuſto ſacrario Saliorum, nihil in eo præter Lituũ Romuli integrum repertum eſt. Quod Seruij Tullij ſtatua, cum ædes Fortunæ conflagraſſet, inuiolata permãſit. Quod Qu. Claudij ſtatua in veſtibulo templi Matris deûm poſita, bis ea æde incendio conſumpta, prius P. Naſica Scipione, & L. Beſtia, item M. Seruilio, & L. Lamia coss. in ſua baſi flammis intacta ſtetit.

DE ATTILIO.

Aliquid admirationis ciuitati noſtræ Attilij etiam Auiolæ rogus attulit, qui & à medicis, & à domeſticis mortuus creditus, cum aliquandiu humi iacuiſſet, elatus, poſtquam corpus eius ignis corripuit, viuere ſe proclamauit, auxiliumq; pædagogi ſui (nam is ſolus ibi remanſerat) inuocauit. Sed iam flammis circundatus, fato ſubtrahi non potuit. Lucio quoque Lamiæ prætorio viro æque vocem fuiſſe ſuper rogum conſtitit.

EXTERNA.

Quæ minus admirabilia, Eri Pãphilij caſus facit, quẽ Plato ſcribit, inter eos qui in acie ceciderãt, decem diebus iacuiſſe, biduoque poſtquam inde ſublatus eſſet, impoſitum rogo reuixiſſe, ac mira quædã tẽpore mortis viſa narraſſe. Et quoniam ad externa tranſgreſſi ſumus, quidã Athenis vir eruditiſſimus, cum ictum lapidis capite

excepiſſet, cætera omnia tenaciſſima memoria retinens, literarum tantũmodo, quibus præcipue inſeruierat, oblitus eſt. Dirum, malignumq; vulnus in animo percuſſi, quaſi de induſtria ſcrutatis ſenſibus, in eum potiſſimum locum quo maxime lætabatur, acerbitate nocendi erupit, ſingularem doctrinam hominis pleno inuidiæ funere efferendo: cui ſi talibus ſtudijs perfrui fas non erat, vtilius aliquanto fuit ad illa aditum nõ impetraſſe, quàm iam percepta eorum dulcedine caruiſſe.

DE NAVSIMENIS VXORE.

Mirabilior tamen ſequentis caſus narratio. Nauſimenis enim Athenienſis vxor, cum filij ac filiæ ſuæ ſtupro interueniſſet, inopinati monſtri perculſa conſpectu, & in præſens tempus ad indignandum, & in poſterum ad loquendũ obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte penſarunt. hoc modo Fortuna ſæuiens, huic vocem, ijs vitam ademit, illi propitia donat.

DE AEGLE SAMIO.

Aegles Samius Athleta mutus, cũ ei victoriæ quã adeptus erat, titulus & præmiũ eriperetur, indignatione accenſus, vocalis euaſit.

DE GORGIA EPIROTA.

Gorgiæ quoque Epirotæ fortis & clari viri origo: qui in funere matris ſuæ vtero elapſus, inopinato vagitu ſuo lectum ferenteis conſiſtere coegit, nouumq; ſpectaculum patriæ præbuit: non tantum ex ipſo genitricis rogo lucem, ſed etiam cunas aſſecutus. eodem enim momento temporis

altera iam fato functa parit, alter antè elatus q̃ natus est.

DE QVODAM IASONE.

Diuinæ fortunæ vulnus Pheræo Iasoni quidã exitij eius cupidus intulit. Nam cum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quæ à nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, vt hominem pestifero malo liberaret.

DE SIMONIDE

Aeque Dijs immortalibus acceptus Simonides, cuius salus ab imminenti exitio defensa, ruinæ quoque subtracta est. Cœnanti enim apud Scopam in Cranone (quod est in Thessalia oppidum) nunciatum est duos iuuenes ad ianuam venisse, magnopere rogantes, vt ad eos continuo prodiret. ad quos egressus, neminem reperit ibi cæterum eo momento temporis triclinium in quo Scopas epulabatur, collapsum, & ipsum & omnes conuiuas oppressit. Quid hac felicitate locupletius, quã nec mare nec terra sæuiens extinguere valuit?

DE DAPHIDA.

Non inuitus huic subnecto Daphidã, ne quis ignoret quantũ interfuerit ceciniſſe deorũ laudes, & numẽ obtrectasse. Hic cũ eius studij esset, cuius professores Sophistæ vocãtur, ineptæ & morda cis opinationis, Apollinẽ Delphis irridẽdi causa consuluit an equũ inuenire posset, cũ omnino nullũ habuisset. cuius ex oraculo reddita vox est inuẽturũ equum, sed vt eo perturbatus periret. inde cum iocabundus quasi delusa sacrarũ sortium fide reuerteretur, incidit in regem Atta-

lum,sæpenumero à se contumelioſis dictis abſen tem laceſſitum:eiuſq; iuſſu,ſaxo cui nomen erat Equi,præcipitatus,ad deos vſq; cauillandos de mentis animi iuſta ſupplicia pependit.

DE REGE PHILIPPO.

Eodem oraculo Macedonum Rex Philippus ad monitus vt a quadrigæ violentia ſalutem ſuam cuſtodiret,toto regno diſiungi currus iuſſit, eumque locũ qui in Bœotia Quadriga vocatur, ſemper vitauit:nec tamen denunciatum pericu li genus effugit.nam Pauſanias in capulo gladij quo eum occidit ,quadrigam habuit cælatam.

DE CALANO.

Quæ tam pertinax neceſſitas,in patre & filio Alexandro cõſimilis apparuit.Siquidẽ Calanus Indus ſua ſponte ſe ardentiſſimo rogo ſuperiacturus,interpellatus ab eo, ecquid aut mãdaret, aut dicere vellet,Breui,inquit,te videbo.nec id ſine cauſa,quia voluntarium eius e vita exceſſum, rapida mors Alexandri ſubſecuta eſt.

DE QVODAM REMIGE.

Regios interitus magnitudine miraculi remigis caſus æquat,quem in littore Tyriorũ ſentinam haurientem cum e naui fluctus abieciſſet,altero latere repercuſſum, contrarius fluctus in nauem retulit.Itaq; miſeri ſimul ac felicis complorationi permiſta fuit gratulatio.

DE PRVSIA FILIO REGIS BITHYNIAE.

Quid illa?nonne ludibria Naturæ in corporibus humanis fuiſſe credenda ſunt?tolerabilia quidẽ,

quia ſæuitia caruerunt: cæterum & ipſa miraculis annumeranda. Nam & Pruſię regis filius, eodem nomine quo pater, pro ſuperiori ordine dẽtium, vnum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, nec ad vſum vlla ex parte incommodum.

DE FILIA MITHRIDATIS REGIS.

Mithridatis vero regis filia Dripetine Laodice regina nata, duplici ordine dentiũ deformi admodũ, comes fugę patris à Pompeio deuicti fuit.

DE LYNCEO.

Nec illius quidem paruæ admirationis oculi, quẽ cõſtat tam certa acie luminũ vſum eſſe, vt à Lilybęo portu Carthaginenſiũ egredienteis claſſeis intueretur. Oculis eius admirabilius Ariſtomenis Meſſenij cor, quod Atheniẽſes ob eximiã calliditatem exectũ pilis refertũ inuenerunt, cũ eum aliquoties captum, & aſtutia elapſum, cepiſſent.

DE ANTIPATRO POETA.

At poëta Antipater Sidonius omnibus annis vno tantũmodo die quo genitus erat, febri implicabatur: cumq; ad vltimã ætatem perueniſſet, natali ſuo certo illo circuitu morbi cõſumptus eſt.

DE POLISTRATO ET HIPPOCLIDE.

Hoc loco apte referãtur Poliſtratus & Hippoclides philoſophi eodem die nati: eiuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti: patrimonij etiam poſſidendi, alendæque ſcholæ communione coniuncti: eodemque momento temporis vltima ſenectute extincti. Tam æqualem fortunę pariter

atq; amicitiæ ſocietatem quis non ipſius cæleſtis concordiæ ſinu genitam, nutritã, & finitam putet? Quapropter hoc potiſſimũ fuerit aut in liberis potentiſſimi regis, aut in rege clariſſimo, aut in vate ingenij florẽtis, aut in viris eruditiſſimis, aut in homine ſortis ignotæ: ne ipſa quidem omnis bonæ malæq; materiæ fœcunda artifex Natura, rationem rerum reddiderit: non magis, q̃ quid ita ſylueſtreis capreas Cretæ genitas tantopere dilexerit, quas ſagittis confixas ad ſalutare auxilium herbæ Dictami tantũ non ſuis manibus deducit, efficitque vt concerpta ea cõtinuo & tela & vim veneni vulneribus reſpuant. Aut in Cephalenia inſula, cum omnia vbiq; pecora hauſtu aquæ quotidie recreẽtur, in ea pecudes maiore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipiẽtes, ſitim ſuam ſedare inſtituerit. Aut quapropter Crotonæ in templo Iunonis Laciniæ aram ad omneis ventos immobili cinere donauerit potiſſimum. Vel quare alteram in Macedonia, alterã in Caleno agro aquam proprietatem vini, qua homines inebrientur, poſſidere voluerit. Non admiratione iſta, ſed memoria proſequi debemus: cum ſciamus recte ab ea plurimum licentiæ vendicari, penes quam infinitus cuncta gignendi labor conſiſtit.

DE MIRABILI MAGNITVDINE & longitudine ſerpentis.

Quæ quia ſupra vſitatam rationem excedentia attigimus, ſerpentis quoque à Tito Liuio curioſe pariter ac facunde relatæ fiat mentio. Is enim

ait in Africa apud Bagradam flumen tantæ magnitudinis anguem fuisse, vt Attilij Reguli exercitum vsu amnis prohiberet, multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus voluminibus caudæ elisis, cum telorũ iactu perforari nequiret, ad vltimum balistarum tormentis vndique petitam, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque & cohortibus & legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem: atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque iacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde summouisse castra. dicit beluę corium CXX pedum longum, in vrbem missum.

VALERII MAXIMI LIB. II.

De institutis antiquis. Cap. I.

DIues & præpotens Naturę regnũ scrutatus, inijciam stylum tam nostræ vrbis, quàm cæterarum gentium priscis ac memorabilibus institutis. Opus est enim cognosci, huiusce vitę, quam sub optimo principe felicem agimus, quænam fuerint elemẽta, vt eorũ quoq; respectus aliquid præsentibus moribus prosit.

DE NVPTIIS.

APud antiquos non solum publice, sed etiam priuatim nihil gerebatur nisi auspicio prius sumpto: quo ex more nuptijs etiamnum Auspices interponuntur: qui quanuis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris cõsuetudinis

veſtigia vſurpantur. Fœminę cũm viris culꝫãtibus ſedentes cœnitabant. quæ cõſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit. nam Iouis epulo, ipſe in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur. quod genus ſeueritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio q̃ in ſuis domibus ſeruat: videlicet quia magis ad rẽ pertinet, dearum, quàm mulierum diſciplina contineri. Quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Exiſtimabant enim eum pręcipue matronæ ſyncera fide incorruptum eſſe animũ, qui poſt depoſitæ virginitatis cubile, in publicũ egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam, quaſi legitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.

DE PRIMO REPVDIO.

Repudium inter vxorem & virum, a cõdita vrbe vſq; ad viceſimum & quingẽteſimũ annum nullum interceſſit. Primus autẽ Spurius Carbilius vxorem ſterilitatis cauſa dimiſit. qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehẽſione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorũ, coniugali fidei præponi debuiſſe arbitrabantur: ſed quò matronale decus, verecũdiæ munimento tutius eſſet, in ius vocãti matronam, corpus eius attingere non permiſerunt, vt inuiolata manus alienę tactu ſtolę relinqueret.

DE VSV VINI MVLIERIBVS INTERDICTO.

Vini vſus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia

proximus a Libero patre intemperãtiæ gradus ad inconcessam venerem esse consueuit. Cæterum vt non tristis earũ & horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multa purpura vsæ sunt: & quò formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. Nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebãtur, sed pariter & videre sancte, & aspici, mutuo pudore custodiebantur.

DE SACELLO DEAE VIRIPLACAE.

Quoties vero inter virum & vxorem aliquid iurgij interceſſerat, in ſacellũ deæ Viriplacæ, quod eſt in Palatio, veniebãt, & ibi inuicẽ locuti quæ voluerant, contentione animorum depoſita, cõcordes reuertebantur. Dea nomen hoc à placandis viris aſſecuta fertur, venerãda quidem, & neſcio an præcipuis & exquiſitis ſacrificijs colẽda: vtpote quotidianę ac domeſticæ pacis cuſtos: in pari iugo charitatis, ipſa ſui appellatione, virorum maieſtati debitũ ac fœminis reddẽs honorem. Huiuſmodi inter cõiuges verecũdia, quid? inter cæteras neceſſitudines nonne apparet conſentanea? Nam vt minimo indicio maximã vim eius ſignificẽ, aliquandiu nec pater cũ filio pubere, nec ſocer cum genero lauabatur. Manifeſtum igitur eſt tantũ religionis ſanguini & affinitati, quãtum ipſis dijs immortalibus tributũ: quia inter iſta tam ſancta vincula non magis q̃ in aliquo ſacrato loco nudare ſe nefas eſſe crede-

batur. Conuiuium etiam ſolenne maiores inſtituerunt, idq; Chariſtia appellauerunt: cui præter cognatos affines nemo interponebatur: vt ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum fautoribus Concordiæ adhibitis tolleretur.

DE HONORE IMPENSO SENIbus à iuuenibus.

Senectuti iuuentus ita cumulatum & circunſpectum honorem reddebat, tanquam maiores natu aduleſcentium cõmunes patres eſſent. Quocirca iuuenes Senatus die vtiq; aliquem ex Patribus C. aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant: affixiq; valuis expectabant donec reducẽdi officio etiam fungerentur. qua quidem voluntaria ſtatione & corpora & animos ad publica officia ſuſtinenda impigre roborabant: breuiq; proceſſu morarum, claram in lucem virtutum ſuarum verecunda laboris meditatione ipſi doctores erant. Inuitati ad cœnam, diligenter quærebant quinam ei conuiuio eſſent interfuturi, ne ſenioris aduentum diſcubitu præcurrerent: ſublataq; menſa, priores conſurgere & abire patiebantur. E quibus apparet, cœnæ quoq; tempore quàm parco & quàm modeſto ſermone his præſentibus ſoliti ſint vti.

DE MAIORIBVS DANTIBVS exemplum virtutis iuuenibus.

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebãt, quò ad ea imitanda iuuentutẽ alacriorem redde-

rent. Quid hoc ſplendidius, quid etiam vtilius certamine? Pubertas cânis ſuum honorem reddebat: defuncta virium curſu ætas, ingrediẽteis actuoſam vitam fauoris nutrimentis proſequebatur. Quas Athenas? quam ſcholam? quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricij, Marcelli, Fabij: ac ne ſingula imperij noſtri lumina ſimul percurrendo, ſim longior, inde inquam cæli clariſſima pars diui fulſerunt Cæſares. Adeo autem magna charitate patriæ tenebantur, vt arcana conſilia Patrum C. multis ſeculis nemo Senator enũciauerit. Quintus Fabius Maximus tantummodo, & is ipſe per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod ſecreto in curia erat actum, Publio Craſſo rus petenꝫ, domũ reuertẽti in itinere narrauit, memor eum triennio antè Quæſtorem factum, ignaruſqꝫ nondum à Cenſoribus in ordinem ſenatorũ electũ. quo vno modo etiam ijs qui iam honores geſſerant, aditus in curiam dabatur. ſed quanuis honeſtus error Fabij eſſet, vehementer tamen â c o s s. obiurgatus eſt. Nunquam enim taciturnitatem, optimũ ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.

DE EVMENE REGE ASIAE.

Ergo cum Aſiæ Rex Eumenes amantiſſimus noſtræ vrbis bellum a Perſe aduerſus P. R. cõparari ſenatui nũciaſſet, non ante ſciri potuit quid aut ille locutus eſſet, aut Patres reſpondiſſent, quàm captum Perſen cognitum eſt. Fidum erat

& altum Reipu. pectus, cura, silentiique salubritate munitum & vallatũ vndiq; : cuius limen intrantes, abiecta priuata charitate, publicam induebant. Itaq; non dicam vnum, sed neminem audisse crederes, quod tam multorũ auribus fuerat commissum. Magistratus vero prisci quantopere suam, Populiq; Ro. maiestatẽ retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, q; inter cætera obtinẽdæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis vnquam nisi latine responsa darent. quinetiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valẽt, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in vrbe tantum nostra, sed etiam in Græcia, & Asia: quò scilicet latinæ vocis honos per omneis gẽteis venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subijci debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris & suauitati literarum, imperij pondus & autoritatem donari.

DE C. MARIO.

Quapropter nõ es dãnandus rigoris rustici crimine, C. Mari, quia gemina lauro coronatam senectutem tuã Numidicis & Germanicis illustrem trophæis, victor deuictæ gẽtis facundia politiorẽ fieri noluisti: credo, ne alienigena ingenij exercitatione, patrij ritus seruus transfuga existeres. Quis ergo huic consuetudini, qua nunc Græcis actionibus aures Curiæ exurdantur, ianuam patefecit? vt opinor, Molo Rhetor, qui studia M. Ciceronis, eum nãq; ante omneis exterarum

gentium in ſenatu ſine interprete auditum conſtat. quem honorē non immerito cepit, quoniam ſummam vim Romanæ eloquentiæ adiuuerat. Conſpicuæ felicitatis Arpinas, vnicum, ſiue literarum glorioſiſſimum contemptorem, ſiue abūdantiſſimum fontem intueri velis.

DE MORE QVEM MAIORES obſeruabant in vrbe.

Maxima autem diligentia maiores hunc morē retinuerunt, ne quis ſe inter cos. & proximum lictorem, quanuis officij cauſa vnà progrederetur, interponeret. filio duntaxat, & ei puero, ante patrem cos. ambulandi ius erat. Qui mos adeo pertinaciter retētus eſt, vt Qu. Fabius maximus quinquies cos. vir etiam pridem ſummæ autoritatis, & tunc vltimę ſenectutis, a filio cos. inuitatus, vt inter ſe & lictorem procederet, ne hoſtium Samnitum turba, ad quorum colloquium deſcendebant, elideretur, id facere noluerit. Idem a Senatu legatus miſſus ad filium cos. Sueſſam, poſtquam animaduertit eum ad officium ſuum extra mœnia oppidi proceſſiſſe, indignatus quoque quòd ex lictoribus nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus iræ ſedere perſeuerauit. quod cum filius ſenſiſſet, proximo lictori vt ſibi appareret imperauit. cuius voci Fabius cōtinuo obſecutus, Nō ego, inquit, fili ſummum imperium tuum contempſi, ſed experiri volui an ſcires cos. agere. nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur: verum publica inſtituta priuata pietate potiora iudico.

DE MIRA CONSTANTIA legatorum Rom.

Relatis Qu. Fabij laudibus, offerunt se mirificę cõstantiæ viri, qui legati a senatu Tarentum ad res repetẽdas missi, cum grauissimas ibi iniurias accepissent, vnus etiã vrina respersus esset, in Theatrum (vt est cõsuetudo Græciæ) introducti, legationem quibus acceperant verbis peregerũt. de his quæ passi erãt, questi non sunt: ne quid vltra ac mandatum esset, loquerentur: intimisque pectoribus eorũ, antiqui moris respectus, dolore qui ex cõtumelia grauissimus sentitur, conuelli nõ potuit. Finẽ profecto fruẽdarum opum, quibus ad inuidiam diu abundaueras Tarentina ciuitas, quæsisti. Nam dum horridæ virtutis in seipsum connexũ stabilimentũ, nitore Fortunæ præsentis inflata fastidiose æstimas, in prævalidum imperij nostri mucronẽ cæca & amens irruisti. Sed vt a luxu perditis moribus, ad seueriss̃ima maiorũ instituta transgrediar, antea senatus assiduã stationẽ eo loci peragebat, qui hodie quoqꝫ Senaculum appellatur: nec expectabat vt edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat: ambiguæ laudis ciuem existimans, qui debitis R. P. officijs non sua spõte, sed iussus fungeretur: quia quicquid imperio cogitur, exigenti magis, quàm præstanti acceptum refertur.

ALIVD INSTITVTVM CONtra Trib. ple.

Illud quoque memoria repetendũ est, quod Trib.

pleb. intrare Curiã nõ licebat. Ante valuas autẽ posítis subsellijs decreta patrũ attentissima cura examinabant: vt siqua ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaq; veteribus s. c. T litera subscribi solebat, eaq; nota significabatur, illa Trib. quoq; censuisse: qui quanuis pro cõmodis plebis excubabant, inq; imperijs compescendis occupati erant, instrui tamen ea argenteis vasis, & annulis aureis publice præbitis, patiebantur, quò talium rerum vsu autoritas magistratuum esset ornatior. Quorum quemadmodum maiestas amplificabatur, ita abstinentia arctissime constringebatur. Immolatarum enim ab his hostiarũ exta, ad Quæstores Aerarij delata veniebant. Sacrificijsque P. R. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat, Imperatoribus nostris quàm sacras manus habere deberent, apud ista altaria discentibus. continentiæq; tantum tribuebatur, vt multorum æs alienum, quia prouincias syncere administrauerant, à senatu persolutum sit. Nam quorum opera publicam autoritatem splendorem suum procul obtinuisse viderant, eorum dignitatem domi collabi, indignum, sibiq; deforme esse arbitrabantur.

DE ORDINE EQVESTRI.

Equestris vero ordinis iuuẽtus omnib⁹ annis bis vrbẽ spectaculo sui sub magnis autoribus celebrabat, die Lupercaliũ, & equitum probatione. Lupercaliũ enim mos a Romulo & Remo inchoatus est. tũc cum lætitia exultantes, quòd his

auus Numitor Rex Albanorũ eo loco vbi educati erant, vrbẽ condere permiſerat ſub monte Palatino hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Euãder Argiuus conſecrauerat: facto ſacrificio, cæſiſq; capris, epularũ hilaritate, ac vino largiore prouecti, diuiſa paſtorali turba cincti omnes pellibus immolatarũ hoſtiarũ, iocantes, obuios petiuerũt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarũ repetitur. Trabeatos vero equites idibus Iulij Qu. Fabius trãſuehi inſtituit. Idem Cẽſor cum P. Decio ſeditionis finiendæ gratia, quia Comitia in humillimi cuiuſq; poteſtatem redacta acceſſerãt, omnẽ forẽſem turbã in quatuor tantũmodo Tribus deſcripſit: eaſq; Vrbanas appellauit. quo tam ſalubri R. P. facto vir alioqui bellicis operibus excellens, Maximus cognominatus eſt.

DE C. MARIO.

Laudanda etiã populi verecũdia eſt: qui impigre ſe laboribus & periculis militiæ offerẽdo, dabat operã ne imperatorib⁹ Capite cẽſos ſacramento rogare eſſet neceſſe, quorũ nimia inopia ſuſpecta erat, ideoq; his publica arma nõ cõmittebantur. Sed hãc diutina vſurpatione firmatã cõſuetudinẽ C. Marius capite cẽſum legẽdo militem, abrupit, ciuis alioqui magnificus, ſed nouitatis ſuæ cõſcientia vetuſtati non ſane propitius, memorq;, ſi militaris ignauia humilitatẽ ſpernere pſeueraret, ſe à maligno virtutũ interprete velut Capite cẽſum imperatorẽ cõpellari poſſe. Itaq; faſtidioſum delect⁹ genus in exercitibus Ro-

manis obliterandũ duxit,ne talis notæ contagio ad ipſius quoque gloriæ ſugillationem penetraret.

DE P. RVTILIO, ET C. MALLIO Conſule.

Armorũ tractãdorũ meditatio a P.Rutilio cos. C.Mallij collega militibus eſt tradita. Is enim nullius ante ſe imperatoris exẽplũ ſecutus,ex ludo C.Aurelij Scauri doctoribus gladiatorũ accerſitis,vitãdi atq; inferendi ictus ſubtiliorẽ rationem legibus ingenerauit,virtutemq; arti, & artem rurſus virtuti miſcuit,vt illa impetu huius fortior,hæc illius ſcientia cautior fieret.

DE VSV VELITVM PRIMO reperto.

Velitũ vſus eo bello primum repertus eſt,quo Capuã Fuluius Flaccus imperator obſedit.Nã cum equitatui Campanorum crebris excurſationibus equites noſtri,quia numero pauciores erãt, reſiſtere non poſſent,Qu.Nęuius Centurio e peditibus lectos,expediti corporis,breuibus & incuruis ſeptenis armatos haſtis,paruo tegmine munitos,veloci ſaltu iungere ſe equitantibus,& rurſus celeri motu delabi inſtituit:quô facilio equeſtri prælio ſubiecti pedites,viros pariter atq; equos hoſtium telis inceſſerent. Eaq; nouitas pugnæ vnicum Campanæ perfidiæ debilitauit auxilium.Ideoque autori eius Nęuio adhuc honos eſt habitus. Proximus militaribus inſtitutis ad vrbana caſtra,id eſt theatra,gradus faciẽdus eſt, quoniã hæc quoq; ſæpenumero animoſas acies inſtruxerunt. Excogitata nanq; cultus deorum,

& hominum delectationis causa, non sine aliquo pacis rubore, voluptatem & religionem ciuili sanguine scenicorum portentorum gratia maculârunt: quæ inchoata quidem sunt a Messala, & Cassio Cent. Cæterum authore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastæ venire placuit. Atque etiam S.C. cautum est, ne quis in vrbe, propius ve passus mille, subsellia posuisse, sedensve ludos spectare vellet: vt scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas, propria Romanæ gentis nota esset.

MOS LVDORVM.

Per quingentos autem & quinquagintaocto annos Senatus populo mistus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Attilius Seranus & L. Scribonius Aediles, ludos Matri deũ facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt. eaque res auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis magnopere cassauit. Nunc causam instituendorum ludorum ab origine sua repetam. C. Sulpitio Bethico, C. Licinio Stolone c o s s. intolerandâ vis ortæ pestilentiæ ciuitatem nostram à bellicosis operibus reuocatam, domestici atq; intestini mali cura afflixerat: iamq; plus in exquisito & nouo cultu religionis, quâm in vllo humano consilio positum opis videbatur. Itaq; placãdi cælestis numinis gratia compositis carminibus vacuas aureis præbuit, ad id tempus Circẽsi spectaculo contenta, quod primus Romulus raptis virginibus Sabinis Consualium nomine

celebrauit. Verum, vt est mos hominum paruula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga deos obsequijs iuuentus, rudi atque incomposito motu corporum iocabunda, gestus dedit: eaq; res Ludium ex Hetruria accersendi causam prębuit: cuius decora pernicitas vetusto ex more Curetum Lydorũq;, à quibus Hetrusci originem traxerũt, nouitate grata Romanorum oculos permulsit: & quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomen Histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad satyrarũ modos perrexit, a quibus primus omnium poëta Liuius ad fabularũ argumenta spectantium oculos & animos transtulit. Isque sui operis actor, cum sæpius a populo reuocatus vocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis cõcentu, gesticulationem tacitus peregit. Atellani autem ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italica seueritate temperatum, ideoq; vacuum nota est. nam neq; tribu mouetur, neq; a militaribus stipẽdijs repellitur. & quia cæteri ludi ipsis appellationibus vnde trahantur appa ret, non absurdum videtur Secularibus initium suum, cuius generis minus trita notitia est, reddere.

DE QVODAM VALESIO.

Cum ingenti pestilentia Vrbs antiqua agriq; vastarẽtur, Valesius vir locuples, rusticę vitę, duobus filijs & filia ad desperationẽ vsq; medicorũ laborantibus, aquam calidã ijs a foco petẽs, genibus innixus, Lares familiares, vt puerorum periculum in ipsius caput transferrent, orauit.

orta deinde vox est,habiturũ eos saluos,si continuo flumine Tyberis deuectos Tarentum portassent, ibiq; ex Ditis patris & Proserpinæ ara petita aqua calida, quam illi desiderarent, recreasset.Eo prædicto magnopere cõfusus, quòd & longa & periculosa nauigatio imperabatur, spe tamen dubia præsentem metum vincente, pueros ad ripam Tyberis protinus detulit.habitabat enim in villa sua prope vicum Sabinæ regionis Heretum: ac lintre Hostiã petens,nocte concubia ad Martium cãpum appulit: sitiẽtibusque ægris succurrere cupiens,igne in nauigio non suppetente,ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumũ:& ab eo iussus egredi Tarentum(id nomen ei loco est)cupide arrepto calice,aquam flumine haustam eo vnde fumus erat obortus,iam lætior pertulit, diuinitus dati remedij quasi vestigia quædã in propinquo se existimans nactum:inq; solo magis fumante, quâm vllas ignis habẽte reliquias,dum tenacius omen apprehẽdit,cõtractis leuibus,& quæ sors obtulerat nutrimẽtis, pertinaci spiritu flãmam euomuit:calefactamq; aquam pueris bibendam dedit:qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati,patriq; indicauerunt,vidisse se in somnijs à nescio quo deorũ spõgia corpora sua pertergi,& præcipi vt ad Ditis patris & Proserpinę arã,a qua potio ipsis fuerat allata, furuæ hostiæ immolarẽtur, Lectisterniaq; & ludi nocturni fierent.Is qui eo loci nullam aram viderat, desiderari credens vt a se con-

ſtrueretur, aram empturus in vrbem perrexit, relictis qui fundamentorum conſtituendorum gratia terram ad ſolidum foderēt. ij domini imperium exequētes, cum ad x x pedum altitudinem humo egeſta peruenisſent, animaduerterūt aram Diti patri Proſerpinæq; inſcriptam. Hoc poſtquam Valeſius nunciante ſeruo accepit, omiſſo emēdæ propoſito, hoſtias nigras, quæ antiquitus furuæ dicebantur, Tarenti immolauit, ludoſque & lectiſternia continuis tribus noctibus, quia totidē filij periculo liberati erāt, fecit.

DE P. VALERIO PVBLICOLA.

Cuius exemplum Valerius Publicola, qui primus COS. fuit, ſtudio ſuccurrendi ciuibus ſecutus, apud eandem aram publice nūcupatis votis, cæſiſq; atris bobus, Diti maribus, fœminis Proſerpinæ, lectiſternioque ac ludis trinoctio factis, aram terra, vt ante fuerat, obruit.

DE Q. CATVLO.

Religionem ludorum creſcentibus opibus ſecuta lætitia eſt. Eius inſtinctu Qu. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus ſpectantiū conſeſſum velorum vmbraculis texit.

DE CN. POMPEIO.

Cneus Pompeius ante omneis aquæ per ſemitas decurſu æſtiuum minuit feruorem.

DE CLAVDIO PVLCHRO.

Claudius Pulcher ſcenam varietate colorū adumbrauit, vacuis ante pictura tabulis extētam: quā totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Qu. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt

Lucius & Cinna locum, quē argētatis choragijs P. Lentulus Spinther adornauit. Trāſlatum antea Phæniceis indutum tunicis, M. Scaurus exquiſito genere veſtis cultum induxit. Nam gladiatorum munus primum Romæ datum eſt in foro Boario. Appio Claudio, Qu. Fuluio coss. dederūt M. & Decius filij Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.

DE ATHLETIS.

Athletarum certamē à M. Scauri tractum eſt munificentia.

DE PRIMA STATVA AVRAta in Italia.

Statuam auratā nec in vrbe, nec in vlla parte Italiæ quiſquam prius aſpexit, quàm a M. Attilio Glabrione equeſtris patri poneretur in æde Pietatis. eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bebio Pamphilo cos s. ipſe dedicauerat cō pos voti factus, rege Antiocho apud Thermopylas ſuperato.

DE CN. FLAVIO VVLGANTE Ius Ciuile.

Ius ciuile per multa ſecula inter ſacra ceremoniaſq; deorum immortalium abditum, ſoliſq; Pōtificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus, & ſcriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Aedilis Curulis vulgauit, ac faſtos pene toto foro expoſuit: qui cum ad viſendum ægrum collegam ſuum veniret, neq; a nobilibus quorum frequētia cubiculum erat completum, ſedendi loco reciperetur, ſellam curulem afferri

fuſſit: & in ea honoris pariter atque contemptus ſui vindex conſedit.

DE VENEFICIIS IN VRBE.

Veneficij quæſtio & moribus & legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto ſcelere orta eſt: quæ cum viros ſuos clandeſtinis inſidijs veneno perimerent, vnius ancillæ indicio protractæ, pars capitali iudicio damnatæ, centũ ſeptuaginta numerum compleuerunt. Tibicinum quoq; collegium ſolet in foro vulgi oculos in ſe conuertere, cũ inter publicas priuataſq; ferias, actiones, perſonis tecto capite, variaq; veſte velatis concentus edit. Inde tracta licentia, quõdã vetiti in æde Iouis, quod priſco more factitauerant, veſci, Tibur irati ſe contulerunt. quorum miniſterio ſenatus deſerta ſacra non æquo animo ferens, per legatos a Tiburtibus petijt, vt eos gratia ſua Romanis templis reſtituerẽt. quos illi in propoſito perſeuerãtes interpoſita feſtę epulationis ſimulatione, mero ſomnóque ſopitos, plauſtris in vrbem deuehendos curauerunt. quibus & honos priſtinus reſtitutus, & huiuſce luſus ius eſt datũ. Perſonarum vſus, pudorem circunuentæ temulentiæ cauſam habet.

DE MODO COMEDENDI antiquorum.

Fuit etiã illa ſimplicitas antiquorũ in cibo capiẽdo, humanitatis ſimul & cõtinẽtię certiſſima index. Nã maximis viris prandere & cœnare in propatulo, verecundiæ nõ erat. Nec ſanè vllas epulas habebãt, quas populi oculis ſubijcere eru-

beſcerent. Erant autẽ adeo continentiæ attẽti, vt frequentior apud eos pultis vſus, q̃ panis eſſet. Ideóq; in ſacrificijs mola, quę vocabatur, ex farre & ſale conſtat: exta farre ſpargũtur: & pullis quib⁹ auſpicia petũtur, puls obijcitur. primitus enim ex libamẽtis victus ſui deos eo efficacius, quo ſimplicius placabãt. Et cæteros quidem ad benefaciẽdũ venerabantur, Febrẽ autẽ ad minus nocendũ tẽplis colebãt: quorũ adhuc vnũ in palatio, alterũ in area Marianorũ monimẽtorum, tertiũ in ſumma patre Vici lõgi extat. In eaq; remedia quæ corporibus ægrorũ adnexa fuerãt, deferebantur. Hæc ad humanæ mentis æſtus leniendos cũ aliqua vſus ratione excogitata, cæterum ſalubritatem ſuam induſtriæ certiſſimo ac fideliſſimo munimento tuebantur: bonæque valetudinis eorum quaſi quędam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immoderato Veneris vſu auerſa.

EXTERNA.

DE CIVITATE SPARTANA.

Idem ſenſit proxima maiorum noſtrorum grauitati Spartana ciuitas: quæ ſeueriſſimis Lycurgi legibus obtemperãs, aliquandiu ciuium ſuorũ oculos à contemplanda Aſia retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitę genus prolaberentur. Audierant enim lautitiam inde, & immodicos ſumptus, & omnia nõ neceſſaria voluptatis genera fluxiſſe, primoſque Ionas, vnguenti, coronarumq; in conuiuio dandarũ, & ſecundæ menſæ ponẽdæ conſuetudinem, haud parua

luxuriæ iritamẽta reperiſſe. Ac minime mirum eſt q̃ homines labore ac patientia gaudẽtes, tenaciſſimos patriæ neruos, externarũ deliciarũ cõtagione ſolui & hebetari noluerunt: cum aliquanto faciliorẽ virtutis ad luxuriam, quàm luxuriæ ad virtutem, tranſitum viderent.

DE PAVSANIA.

Quod eos non fruſtra tenuiſſe dux ipſorum Pauſanias patefecit: qui maximis operibus editis, vt primum ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudinem ſuã effœminato eius cultu mollire non erubuit.

DE CIVITATE IPSA.

E iuſdem ciuitatis exercitus non ante ad dimicandum deſcendere ſolebant, quàm tibiæ concentu, & Anapeſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent, vegeto & crebro ictus ſono ſtrenue hoſtem inuadere admoniti. Iidem ad diſſimulandum & occultandum vulnerũ ſuorum cruorẽ, puniceis tunicis in prælio vtebantur: non vt ipſis aſpectus earum terrorem, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret.

DE ATHENIENSIBVS.

E gregios virtutis bellicæ ſpiritus Lacædemoniorum, prudentiſſimi pacis moribus Athenienſes ſubſequuntur: apud quos inertia e latebris ſuis languore marcẽs in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitq̃ vt facinoroſæ, ita erubeſcendæ rea culpæ.

DE AREOPAGO.

E iuſdem vrbis & ſanctiſſimum conſilium Areopagus, quid quiſq̃ Athenienſiũ ageret, aut quo-

nam quæstu sustentaretur, diligentissime inquirere solebat: vt homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur.

DE EODEM.

EAdem bonos ciues corona decorãdi primo consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile institutum, siue rem, siue personam intueri velis. Nam & virtutis vberrimum alimentum est honos, & Pericles dignus à quo talis muneris dãdi posteritas potissimum initium caperet.

Age, quid illud institutum Athenarum, quàm memorabile, quo conuictus a Patrono Libertus ingratus, iure libertatis exuitur? Supersedeo te, inquit, habere ciuem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum, vt credam vrbi vtilem, quem domi sceleſtum cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniam liber esse nesciſti.

DE MASSILIENSIBVS.

INde Massilienses quoq; ad hoc tempus vsurpant disciplinæ grauitatem, prisci moris obseruantia charitate Po. Ro. precipue conspicui, qui treis in eodem manumissiones rescindi permittũt, si ter ab eodem deceptum dominũ cognouerint, quarto errori subueniendũ non putant: quia sua iam culpa iniuriam accepit, qui ei se toties obiecit.

Eadem ciuitas seueritatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam Mimis dando, quorum argumẽta maiore ex parte stuprorum continent actus: ne talia spectandi consuetudo, etiã imitandi licentiam sumat. Omnibus autem

qui per aliquam religionis ſimulationem alimẽta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendacem & fucoſam ſuperſtitionem ſubmouendã eſſe exiſtimans. Cæterum a condita vrbe gladius eſt ibi quo noxij iugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetudinis monimenta ſeruanda.

DE DVABVS ARCIS.

Duæ etiam ante portas eorum arcæ iacent: altera qua liberorum, altera qua ſeruorum corpora ad ſepulturæ locum plauſtro deuehuntur. Sine lamentatione, ſine planctu, ſine luctu funeris dies domeſtico ſacrificio, adiectoque neceſſariorum cõuiuio finitur. Etenim quid attinet humano dolori indulgere? aut diuino numini inuidiam fieri, quod immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit? Venenum cicuta temperatum in ea ciuitate publice cuſtoditur, quod datur ei, qui cauſas Sexcentis (id enim Senatus eius nomen eſt) exhibuit, propter quas mors ſit illi expetenda, cognitione virili beneuolentia teperata, quæ neq; egredi vita temere patitur, & ſapienter, excedere cupieti, celerem fati viam præbet: vt vel aduerſa vel proſpera nimis vſi Fortuna, (vtraq; enim finiendi ſpiritus, illa ne perſeueret, hæc ne deſtituat, rationem præbuerit) comprobatio exitu terminetur. Quam conſuetudinem Maſſilienſium non in Gallia ortam, ſed è Græcia trãſlatam inde exiſtimo, quòd illam etiam in inſula Cæa ſeruari animaduerti, quo tempore Aſiam

cum Sex. Pomp. petens, Iulide oppidum adi-
ui. Forte enim tunc euenit, vt ſummæ dignitatis
ibi fœmina, ſed vltimæ iam ſenectutis, reddita
ratione ciuibus cur excedere vita deberet, vene-
no conſumere ſe deſtinarit, mortēq; ſuā Pompeij
præſentia clariorem fieri magni æſtimarit. Nec
preces eius vir ille vt omnibus virtutibus, ita
humanitatis quoque laudibus inſtructiſſimus, a-
ſpernari ſuſtinuit. Venit itaq; ad eam, facundiſſi-
moq; ſermone qui, ore eius quaſi è beato quodā
eloquētiæ fonte manabat, ab incepto cōſilio diu
nequicquam reuocare conatus, ad vltimū propo
ſitum exequi paſſus eſt. quæ nonageſimum annū
trāſgreſſa, cum ſumma & animi & corporis ſyn
ceritate, lectulo, quantū dignoſcere erat, quoti-
diana cōſuetudine cultius ſtructo recubās, & in-
nixa cubito, Tibi, inquit, Sex. Pom. Dij magis
quos relinquo, quàm quos peto, gratias referant:
quia nec hortator vitæ meæ, nec mortis ſpecta-
tor eſſe faſtidiſti. Cęterum ipſa hilarem Fortu-
næ vultū ſemper experta, ne auiditate lucis tri-
ſtē intueri cogar, reliquias ſpiritus mei proſpe-
ro fini, duas filias, & vnum nepotū gregem re-
lictura ſuperſtitē, permitto. Cohortata deinde
ad concordiam ſuos, diſtributo eis patrimonio,
& cultu ſuo ſacriſq; domeſticis maiori filiæ tra-
ditis, poculum in quo venenū temperatū erat,
coſtāti dextera arripuit. Tunc defuſis Mercurio
delibametis, & inuocato numine eius, vt ſe placi
do itinere in meliorem ſedis infernæ deduceret
partē, cupido hauſtu mortiferā traxit potionē.

ac sermone significans quasnam subinde parteis corporis sui rigor occuparet: cum iã visceribus eum & cordi imminere esset locuta, filiarũ manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocauit: nostros autem, tametsi nouo spectaculo obstupefacti erant, suffusos tamen lacrymis dimisit.

DE RITV MASSILIENSIVM.

Sed vt ad Massilienſium ciuitatem, vnde in hoc diuerticulum excessi, reuertar: Intrare oppidum eorum nulli cũ telo licet: præstoq; est, qui id custodiæ gratia acceptũ, exituro reddat: vt hospitia sua quemadmodum aduenientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint.

DE MORE QVEM OBSERuabant Galli.

Horum mœnia egresso, vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoria proditum est, pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare: quia persuasum habuerint animas hominũ immortales esse. Dicere stultos, nisi idem Bracati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.

DE GALLIS.

Auara & fœneratoria Gallorũ philosophia, Alacris & fortis Cimbrorum & Celtiberorum, qui in acie gaudio exultabant, tanquam glorioſe & feliciter vita excessuri: lametabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri.

DE CELTIBERIS.

Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, cum is occidisset pro cuius salute spiritum

deuouerant. Laudanda vtrorũq; populorũ animi præstantia, quod & patriæ incolumitatẽ fortiter tueri, & fidem amicitiæ constanter præstãdam arbitrabantur.

DE THRACIA.

Thraciæ vero illa natio merito sibi sapientiæ laudẽ vendicauerit, quæ natales hominũ flebiliter, exequias cũ hilaritate celebrat, sine vllis doctorũ præceptis: verũ cõditionis nostræ habitũ præuidit. Remoueatur itaq; naturalis omnium animaliũ dulcedo vitæ, quæ multa & facere & pati turpiter cogit, si ea mortua aliquãto eius felicior ac beatior reperietur finis.

DE MORIBVS ET RITV Lyciorum.

Quocirca recte Lycij, cũ is luctus incidit, muliebrẽ vestem induũt: vt deformitate cultus cõmoniti, maturius stultũ proijcere mœrorẽ velint.

DE FOEMINIS INDICIS.

Verum quid ego fortissimos in hoc genere prudẽtiæ viros laudẽ? Respiciantur Indorũ fœminæ quę cũ more patrio cõplures eidẽ nuptæ esse soleant, mortuo marito in certame iudiciumq; veniũt, qua ex ijs maxime dilexerit. Victrix gaudio exultans, deductaq; à necessarijs lætũ præferens vultũ, coniugis se flammis superiacit, & cũ eo tanquã felicissima crematur: superatæ cũ tristitia & mœrore ĩvita remanẽt. Protrahe ĩ medium Cimbrica audacia. Adijce Celtiberica fidem. Iũge animosam Thraciæ sapientia. Annecte Lyciorũ in luctibus abijciẽdis callide quæsi

tam rationem. Indico tamen rogo nil eorũ prę-
feres, quem vxoris pietas in modũ genitalis to-
ri propinquæ mortis securã conscendit.

DE PVNICIS FOEMINIS, & fano Veneris.

Cui gloriæ, Punicarum fœminarũ, vt ex compa-
ratione turpius appareat, dedecus subnectã. Sicæ
enim fanum Veneris est, in quod se matronæ cõ
ferebant: atq; inde procedentes, quæstum dotis
corporis iniuria contrahebant, honesta nimirũ
tam inhonesto vinculo coniugia iuncturæ.

DE INSTITVTO PROBA-bili Persarum.

Nam Persarũ admodum probabile institutũ fuit,
quod liberos suos non prius aspiciebãt, quàm se-
ptimum implessent annum: quò paruulorum a-
missionem æquiore animo sustinerent.

DE NVMIDIS.

Ne Numidæ quidem reges vituperandi, qui more
gentis suæ nulli mortalium osculum ferebant.
Quicquid enim in excelso fastigio positum est,
humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius,
vacuum esse conuenit.

DE DISCIPLINA MILITARI.

Caput II.

VEnio nũc ad præcipuum decus, & ad sta-
bilimetum Roma. imperij, salutari per-
seuerantia ad hoc tempus syncerum &
incolume seruatum, militaris disciplinæ tenacis-
simum vinculum: in cuius sinu ac tutela serenus
tranquillusq; beatæ pacis status acquiescit.

DE SCIPIONE.

Publius Cor. Scipio cui deleta Carthago auitum cognomen dedit, c o s. in Hispaniam missus, vt insolentissimos Numantinæ vrbis spiritus, superiorum ducum culpa nutritos contunderet: eodem temporis momento quo castra intrauit, edixit vt omnia ex ijs quæ voluptatis causa cõparata erant, auferrentur, ac summouerentur. Nam constat tum maximum inde institorũ & lixarũ numerũ cũ duobus millibus scortorũ abiisse. Hac turpi atq; erubescenda sentina vacuefactus exercitus noster, qui paulo ante metu mortis, deformi se fœderis ictu maculauerat, erecta virtute, recreataque, acrem illam & animosam Numantiam incendijs exustam, ruinisque prostratam, solo æquauit. Itaq; neglectæ disciplinæ militaris indiciũ, Mãcini miserabilis deditio: seruatæ merces, speciosissimus Scipionis triumphus extitit.

DE METELLO.

Eius sectam Metellus secutus, cum exercitũ in Africa Iugurthino bello nimia Spu. Albini indulgentia corruptum c o s. accepisset, omnibus imperij neruis ad reuocandam pristinæ disciplinam militiæ cõnixus est: nec singulas partes apprehendit, sed totam continuo in statum suũ redegit. Protinus nãque lixas è castris summouit, cibunq; coctũ venalem proponi vetuit: in agmine neminem militum ministerio seruorum iumentorũq;, vt arma sua & alimenta ipsi ferrent, vti passus est. Castrorum subinde locum

mutauit: eadē, tanquā Iugurtha semper adesset, vallo fossaq; aptissime cinxit. Quid ergo restitu ta continentia, quid repetita industria profecit? Crebras scilicet victorias, & multa trophæa peperit ex eo hoste, cuius tergum sub ambitioso imperatore Rom. militi videre non contigerat. Bene etiam illi disciplinæ militari affuerūt, qui necessitudinum perruptis vinculis, vltionē vindictamq; læsæ, cum ignominia domuū suarum exigere nō dubitauerunt. Nā P. Rutilius c o s. eo bello quod in Sicilia cū fugitiuis gessit, Qu. Fabium generum suū, quia negligentia Tauromenitanā arcē amiserat, prouicia iussit decedere.

DE COTTA.

Et C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iuctū, quē obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus prefecerat, virgis cælum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, quòd eius culpa ager incensus, & penè castra erant capta.

DE QVINTO FVLVIO.

Quintus etiam Fuluius Flaccus Celor, Fuluiū fratrem cohortem legionis in qua Tri, militū erat, inussu consulis domum dimittere ausum, senatu amouit. Tam digna exēpla, tam breuiter, nisi maioribus vrgerer, nō referretur. Quid enim, est tam difficile factu, q̄ copulatæ societati generis & imaginum, deformem in patriam reditum indicere? aut communioni nominis, ac familiæ veteris propinquitatis serie cohēreti, virgarum cōtumelioſa verbera adhibere? aut Cen-

sorium supercilium aduersus fraternam charitatem distringere? Dentur hæc singula quauis claris ciuitatibus, abunde tamen gloria disciplinæ militaris instructæ videbuntur.

DE POSTHVMIO TIBVRTO, & Manlio Torquato.

At nostra vrbs, quæ omni genere mirificorũ exẽplorum totum orbem terrarum repleuit, imperatorum proprio sanguine manantes secures, ne turbato militiæ ordine vindicta deesset, e castris publice speciosas, priuatim lugubres, duplici vultu recepit: incerta, gratulandi prius, an lugendi officio fungeretur. Igitur ego quoq; hæsitante animo vos bellicarum rerum seueriſſimi custodes, Posthumi Tiburte, & Manli Torquate, memoria ac relatione complector, quia animaduerto fore, vt pondere laudis quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatẽ ingenij mei detegam, quàm vestrã virtutem sicut par est repræsentem. Tu nanque Posthumi Dictator, Aulum Posthumium, quem ad generis, penetraliumque sacrorum successionem propagandam genueras, cuius infantiæ blandimenta sinu atq; oculis foueras, quem puerũ literis, quem iuuenem armis instruxeras, sanctum, fortem, amantem tui pariter ac patriæ, quia non tuo iussu, sed sua sponte præsidio progressus hostes fuderat, victorem securi feriri iussisti, & ad hoc imperium peragendum, paternæ vocis ministerio sufficere valuisti. Nã oculos tuos certum scio clarissima in luce tenebris offusos, ingens opus animi intueri

nequiuisse. Tu item Manli Torquate Latino bello cos. filiu, quòd prouocatus a Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimicandu te ignaro descenderat, gloriosam victoriam & speciosa spolia referentem, abripi a lictore, & in modum hostiæ mactari iussisti, satius esse iudicans, patrem forti filio, quàm patriam militari disciplina carere.

DE LVCIO QVINTIO Cincinnato.

Age quanto spiritu putamus vsum L. Quintium Cincinnatum Dictatorem eo tempore, quo deuictis Equiculis, & sub iugum missis, L. Minutium consulatum deponere coegit, quòd castra eius hostes ijdem obsederant? Indignum enim maximo imperio credidit, quem non sua virtus, sed fossa vallumq; tutum præstiterat, cuique verecundiæ non fuerat arma Romana metu trepida clausis portis contineri. Ergo imperiosissimi XII. fasces, penes quos senatus, & equestris ordinis, & vniuersæ plebis summum decus erat, quorumque nutu Latium, ac totius Italiæ vires regebantur, contusi atq; fracti, dictatoriæ se animaduersioni subtraxerunt. Ac ne inulta foret gloria militaris, cos. delicti omnis vindex punitus est. His (vt ita dicam) piaculis, Mars imperij nostri pater, vbi aliqua ex parte a tuis auspicijs degeneratum erat, numen tuum propitiabatur, affinium & cognatorum nota, & fratrum filiorumq; strage, & ignominiosa consulum eiuratione.

DE PAPYRIO.

iusdem ordinis, quod sequitur. Papyrius Dictator, cum aduersus imperium eius Qu. Fabius Rutilianus magister equitum exercitum in aciem eduxisset: quanquam fusis Samnitibus in castra redierat, tamen neque virtute eius, neq; successu, neque nobilitate motus, virgas expediri, eumque nudari iussit. O spectaculum admirabile. & Rutilianus, & magister equitum, & victor, scissa veste, spoliatoq; corpore, lictorum se verberibus lacerandum præbuit, vt in acie exceptorum vulnerum nodosis ictibus cruore renouato, victoriarum, quas modo speciosissimas adeptus erat, titulos respergeret. Precibus deinde sui exercitus occasione Fabio confugiendi in vrbem dedit: vbi frustra senatus auxilium implorauit. Nihilo minus enim Papyrius in exigenda pœna perseuerauit, itaq; coactus est pater eius post Dictaturam tertiumque consulatum rem ad populum deuocare, auxiliumq; Tri. plebis supplex pro filio petere. neque hac re seueritas Papyrij refrenari potuit. Cæterum cum ab vniuersis ciuibus, ipsisq; Trib. plebis rogaretur, testatus est, non pœnam illam se Fabio, sed Populo Romano & Tribunorum concedere potestati.

DE L. CALPHVRNIO.

Lucius quoq; Calphurnius Piso, cos. cũ in Sicilia bellũ aduersus fugitiuos gereret, & Titius equitum præfectus, fugitiuorũ multitudine hostium circunuentus, arma his tradidisset, his præfectũ ignominiæ generib⁹ affici iussit, eũ toga lacinijs abscissis amictum, discinctaq; tunica indutum,

nudis pedibus a mane noctem vsque ad principia per omne tempus militiæ adesse. Interdixit etiam ei conuictum hominum, vsumq; balnearum: turmasq; equitum quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit. Magnum profecto dedecus patriæ, magno Pisonis decore vindicatum est: quoniamquidem id egit Piso, vt qui cupiditate vitæ adducti, cruce dignissimis fugitiuis trophæa de se statuere cōcesserant, libertatiq; suæ seruili manu flagitiosum imponi iugum non erubuerant, amarum lucis vsum experirentur, mortemque, quam effœminate timuerant, viriliter optarent.

DE Q. METELLO.

Nec minus Pisone acriter Qu. Metellus, qui cum apud Contrebiam res gereretur, collocatas a se in quadam statione quinq; cohorteis, atq; ex ea viribus hostium depulsas, repetere eandē stationem euestigio iussit, non q̄ speraret ab ijs amissum locū recuperari posse: sed vt præteritæ culpam pugnæ, insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam, vt si quis ex his fugiens castra petijsset, pro hoste interficeretur. qua seueritate compressi milites, corporibus fatigatis, & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinēq; hostium superarunt. Humanæ igitur imbecillitatis efficacissimum duramentum est necessitas.

DE Q. FABIO.

In eadem prouincia Q. Fabius Max. ferocissimæ gentis animos contundere & debilitare cupiēs,

mansuetissimum ingenium suum, ad tempus de-
posita clementia, sæuiore vti seueritate coegit.
omnium enim qui ex præsidijs Rom. ad hostes
transfugerant, captique erant, manus abscidit:
vt trunca præ se brachia gestantes, metum defe-
ctionis reliquis injcerent. Rebelles itaq; manus
a corporibus suis distractæ, inque cruentato solo
sparsæ, cæteris ne idem committere auderent,
documento fuerunt.

DE AFRICANO SVPERIORE.

Nihil mitius superiore Africano. is tamen ad fir-
mandam disciplinam militarem aliquid ab alie-
nissima crudelitate sibi amaritudinis mutuan-
dum existimauit. siquidem deuicta Carthagine,
cũ omnes qui ex nostris exercitibus ad Pœnos
transierant, in suam potestatem redegisset: gra-
uius in Romanos, quàm in Latinos transfugas
animaduertit. Hos enim tanquam patriæ fugi-
tiuos crucibus affixit, illos autem tanquam per-
fidos socios securi percussit. Non prosequar hoc
factũ vlterius, & quia Scipionis est, & quia Ro-
mano sanguini, quanuis merito perpesso, serui-
se supplicium insultare non attinet: cum præser-
tim transire ad ea liceat, quæ sine domestico vul
nere gesta narrari possunt.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Nam posterior Africanus euerso Punico imperio,
exterarum gentium transfugas in edendis popu-
lo spectaculis feris bestijs obiecit. Et L. Paulus
Perse rege superato, eiusdem generis & culpæ
homines elephantis proterendos substrauit: vti-
lissimo quidem exemplo, si tamen acta excellen-

tissimorum virorũ humiliter æstimare sine insolentiæ reprehensione permittitur. Aspero enim & abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant: quæ vbi a recto tenore desciuerint, oppressura sunt, nisi opprimantur.

DE L. MARTIO TRIBVno militum.

Sed tempus est, eorum quoq; mentione fieri, quæ iam no a singulis, verum ab vniuerso senatu pro militari more obtinendo defendendoq; administrata sunt. L. Martius Trib. militum, cum reliquias duorum exercituũ Publij & Cnei Scipionum, quos arma Punica in Hispania absumpserant, dispersas, mira virtute collegisset, earumq; suffragijs dux esset creatus, senatui de reb⁹ actis a se scribens, in hunc modũ orsus est: L. M. Propretor. Cuius honoris vsurpatione vti eum Patribus C. noplacuit, quia duces a populo, non a militibus solerent creari, quo tepore tam angusto, tamq; graui, propter immane Reip. damnũ etiam Trib. militum adulandus erat, quoniam quidem ad statum totius ciuitatis corrigendum vnus sufficerat. sed nulla clades, nullũ meritum valentius militari disciplina fuit. Succurrebat enim illis q̃ animosa seueritate Tarentino bello maiores eorum vsi fuissent: in quo quassatis & attritis Reipu. viribus, cum magnũ captiuorum ciuium suorũ numerũ a Pyrrho rege vltro missum recepissent, decreuerunt, vt ex ijs qui equo meruerant, peditum numero militarent: qui pe-

dites fuerant, in funditorum auxilia transcribe-
rentur: neve quis eorũ intra castra tenderet, neve
locum extra assignatum, vallo aut fossa cingeret,
neve tentoriũ ex pellibus haberet. Recursum au
tem ijs ad pristinum militiæ ordinem proposue-
rũt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. Qui-
bus supplicijs compressi, ex deformibus Pyrrhi
munusculis acerrimi hostes extiterunt. Parem
iram aduersus illos Senatus distrinxit, qui apud
Cannas Remp. deseruerunt. Nam cum eos gra-
uitate decreti vltra mortaliũ conditionem rele-
gasset, acceptis a M. Marcello literis, vt eorũ sibi
opera ad expugnationem Syracusanorum vti li-
ceret, rescripsit indignos esse qui in castra recipe-
rentur: cæterum se ei permittere, vt faceret quod
expedire Reipublicæ iudicasset, dum ne quis ex
eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur,
aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accede-
ret. Sic enerues animos odisse virtus solet.

Age, quàm grauiter senatus tulit, q; Quintum
Petilium cos. fortissime aduersus Ligures pu-
gnante occidere milites passi essent? legioni neq;
stipendium anni procedere, neque æra dari vo-
luit, quia pro salute imperatoris, hostium telis se
non obtulerant. Idq; decretum amplissimi ordi-
nis, speciosum & æternum Petilij monimentum
extitit. sub quo in acie morte, in Curia vltione
clari cineres eius acquiescunt. Consimili animo
cum ei Hannibal sex millium Romanorũ, quæ
capta in castris habebat, redimendorum pote-
statẽ fecisset, conditionẽ spreuit, memor tantam

multitudinem armatorum iuuenum, si honeste mori voluissent, turpiter capi non potuisse. quorum nescio vtrũ maius dedecus fuerit, quòd patria spei, an quod hostis metus nihil in his reposuerit: hæc pro se, ille ne aduersus se dimicarent, parui ducendo. Sed cum aliquoties senatus pro militari disciplina seuere excubuerit, nescio an tunc præcipue, cum milites qui Rhegyum iniusto bello occupauerant, mortuoque duce Bubelio, M. Cæsium scribam eius sua sponte imperatorem delegerant, carcere incluserit, ac M. Furio Flacco Trib. pl. denũciante ne in ciues Romanos aduersus morem Maiorum animaduerteret, nihilominus propositum executus est. Cæterum minore cum inuidia vt id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos, securi percuti iussit, eorumque nullum sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.

EXTERNA EXEMPLA.

Leniter hoc Patres C. si Carthaginiensium senatus in militiæ negotijs procurandis violentiam intueri velimus, a quo duces bella paruo consilio gerentes, etiam si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen affigebantur: quod bene gesserant, deorum immortalium adiutorio: quod male commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

DE CLEARCHO.

Clearchus vero Lacedæmoniorũ dux egregio dicto disciplinam militiæ continebat, identidem exercitus sui auribus inculcando, a militibus imperatorem potius, q̃ hostem metui debere. quo

aperte denunciabat fururum, vt ſpiritum pœnæ impenderēt, quem pugnæ acceptum ferre dubitaſſent. Idq; a duce pręcipi non mirabantur, maternarū blāditiarum memores, quæ exituros eos ad præliandum monebant: vt aut viui cū armis in cnoſpectū earū venirent, aut mortui in armis referrēt. Hoc intra domeſticos parietes accepto ſigno, Spartanę acies dimicabāt. Sed aliena proſpexiſſe tantummodo ſatis eſt, cū proprijs, multoq; vberioribus & felicioribus exēplis gloriari liceat. Diſciplina militaris acriter retēta, principatum Italiæ Romano imperio peperit, & multarum vrbiū, magnorum Regum, validiſſimarum gētium regimen largita eſt, fauces Pontici ſinus patefecit, Alpium Tauriq; montis conuulſa clauſtra tradidit, ortumq; e paruula Romuli caſa totius terrarū orbis fecit columen. Ex cuius ſinu quoniam omnes triumphi manarūt, ſequitur vt de iure triumphandi dicere incipiam.

DE IVRE TRIVMPHANDI.

CAPVT III.

OB leuia prelia quidam imperatores triūphos ſibi decerni deſiderabāt: quibus vt occurreretur, lege cautū eſt, ne quis triumpharet, niſi quinque millia hoſtium vna acie cecidiſſet. Non enim numero, ſed gloria triumphorum excelſius vrbis noſtræ futurum decus Maiores exiſtimabant. Cæterum ne tam præclara lex, cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta eſt, quam L. Marius & M. Cato trib. pleb. tulerunt. Pœnam enim

imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum literis senatui ausi essent referre. Iubetq; eos, cum primum vrbem intrassent, apud Quæstores Vrbanos iurare de vtroq; numero vere ab his senatui esse scriptum. Post has leges iudicij illius tepestiua mentio introducetur, in quo de iure triumphandi inter clarissimas personas & actum & excussum est. Luctatius c o s. & Qu. Valerius Prętor circa Siciliam insignē Pœnorum classem deleuerāt, quo nomine Luctatio c o s. triumphum Senatus decreuit. Cum autem Valerius sibi eū quoq; decerni desideraret, negauit id fieri oportere Luctatius: ne in honore triūphi minor potestas maiori æquaretur. Pertinaciusq; progressa contentione, Valerius spōsione Luctatium prouocauit, non se petiturum triumphū, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa. nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaq; iudex inter eos couenit Attilius Calatinus: apud quem Valerius in hunc modum egit. Cōsulem ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autem omnibus imperatorijs partibus functum. Tunc Calatinus prius quam Luctatius causam suā oriretur, Quæro, inquit, Valeri à te, si dimicādū nec ne esset, contrarijs inter vos sententijs dissedissetis, vtrū quod c o s. an quod Prętor imperasset, maius habiturum fuerit momentum? Respōdit Valerius, nō facere se controuersiā quin priores partes c o s. essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, Si diuersa auspicia accepissetis,

cuius magis auſpicio ſtaretur? Item reſpõdit Valerius, c o s. Iam me hercule, inquit, cum de imperio & auſpicio inter vos diſceptationem ſuſceperim, & tu vtroque aduerſarium tuum ſuperiorem fuiſſe fatearis, nihil eſt quod vlterius dubitem. Itaque Luctati, quanuis adhuc tacueris, ſecundum te litem do. Mirifice iudex, quod in manifeſto negocio tempus teri paſſus non eſt. Probabilius Luctatius, quod ius amplißimi honoris cõſtanter defendit. Sed nec Valerius quidem improbe, quia fortis & proſperæ pugnæ vt non legitimum, ita ſe dignum præmiũ petijt.

DE CN. FVLVIO FLACCO.

Quid facias Cn. Fuluio Flacco, qui tam expetendũ alijs honorem triumphi, decretum ſibi a ſenatu ob res bene geſtas, ſpreuit, ac repudiauit? Nimirum non plura pręcerpens, quàm acciderũt. Nã vt vrbem intrauit, continuo quæſtione publica afflictus, exilio multatus eſt, vt ſi quid religionis inſolentia commiſiſſet, pœna expiaret.

DE Q. FVLVIO.

Sapiẽtiores igitur Quintꝰ Fuluius, qui Capua capta, & L. Opimius, qui Fregellanis ad deditionẽ compulſis, triumphandi poteſtatem a ſenatu petierunt. Vterque editis operibus magnificus, ſed neuter petitæ rei compos. Non quidem inuidia Patrum Cõ. cui nunquã aditũ in curiã eſſe voluerunt, ſed ſumma diligentia obſeruandi iuris, quo cautum erat, vt pro auctο imperio, nõ pro recuperatis quæ Populi Ro. fuiſſent, triũphus decerneretur. Tantũ enim intereſt, adijcias ali-

quid, an detractum restituas, quantum distat beneficij initium ab iniuriæ fine.

DE P. SCIPIONE, ET MARCO Marcello.

Quinetiam ius de quo loquor, sic custoditum est, vt P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphus non decerneretur: quòd ad eas res gerendas sine vllo missi erant magistratu. Probētur nunc cuiuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montibus, Myoparonumque piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio rupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusæ, triumphales iungere currus nequiuerunt. & quibus viris? Scipioni, & Marcello: quorum ipsa nomina instar sunt æterni triumphi. Sed clarissimos solidæ veræq; virtutis authores, humeris suis, salutem patriæ gestantes, etsi coronatos intueri senatus cupiebat, iustiori tamen reseruandos laureæ putauit. His illud subnectam. Moris erat, ab imperatore triumphum ducturo, COSS. inuitari ad cœnam: deinde rogari, vt venire supersedeant: ne quis eo die quo ille triumphauerit, maioris in eodē cōuiuio sit imperij. Verum quāuis quis præclaras res, maximeq; vtiles Reip. ciuili bello gessisset, imperator tamen eo nomine appellatus non est, neq; vllæ Supplicationes decretæ sunt, neq; aut ouās, aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt: vtpote non externo, sed domestico par-

tæ cruore. Itaque & Naſica Tiberium Gracchũ, & Opimius C. Gracchi factiones mœſti trucidarunt.

DE QV. CATVLO.

Qu. Catulus Marco Lepido collega ſuo cum omnibus copijs ſeditioſis extincto, moderatum præ ſe ferens gaudium, in vrbem reuertitur. C. etiam Antonius Catilinæ victor, abſterſos gladios in caſtra retulit.

DE CINNA.

L. Cinna, & C. Marius hauſerant quidem auidi ciuilem ſanguinem: ſed non protinus ad templa deorum, & aras tetenderunt. Item L. Sylla, qui plurima bella ciuilia cõfecit, cuius crudeliſſimi & inſolentiſſimi ſucceſſus fuerunt: cum conſummata, ac conſtructa potentia ſua triumphum duceret, vt Græciæ & Aſiæ multas vrbes, ita ciuiũ Ro. nullum oppidũ vexit. Piget, tædetq; per vulnera reip. vlterius procedere. Laureã nec ſenatus cuiquam dedit, nec quiſquam ſibi dari deſyderauit, ciuitatis parte lachrymante. Cæterũ ad Quercum pronæ manus porriguntur, vbi obciueis ſeruatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant.

DE CENSORIA NOTA Cap. IIII.

CAſtrenſis diſciplinæ tenaciſſimum vinculum, & militaris rationis diligens obſeruatio, admonet me, vt ad cenſuram pacis magiſtram, cuſtodemque, tranſgrediar. Nam vt opes Populi Romani in tantum amplitu-

dinis imperatorum virtutibus exceſſerunt: ita probitas & continentia cenſorio ſupercilio examinata eſt. Opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male viuitur? Expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis manus inijciantur: niſi foro & curiæ, officium, ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum cælo cumulus æquatus, ſedem ſtabilem non habebit. Ad rem igitur pertinet noſſe, atque adeo recordari acta cenſoriæ poteſtatis.

DE CAMILLO, ET POSTHUMIO.

Camillus & Poſthumius cenſores, æra pœnæ nomine eos qui ad ſenectutẽ cœlibes peruenerant, in Aerarium deferre iuſſerunt, iterum puniri dignos, ſi quo modo de tam iuſta cõſtitutione queri ſunt auſi: cum in hunc modũ increparentur, Natura vobis quemadmodũ naſcendi, ita gignẽdi legem ſcribit, parenteſq; vos alendo nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligauerunt. accedit etiam ijs, quod in Fortuna longã præſtandi huiuſce muneris vacationem eſtis aſſecuti, cum interim conſumpti ſunt anni veſtri, & mariti, & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodoſam exoluite ſtipem vtilem poſteritati numeroſæ.

DE M. VALERIO MAX. ET C. Iunio.

Horum ſeueritatẽ M. Valerius Max. & C. Iunius Brutus Bubulcus cenſores in conſimili genere

animaduersionis imitati, L. Antonium senatu mouerũt, quòd quam virginem in matrimoniũ duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito. At hoc crimen nescio an superiore maius. illo nanque coniugalia sacra spreta tantum, hoc etiam iniuriose tractata sunt. optimo ergo iudicio censores indignum eum aditu curiæ existimauerunt.

DE PORCIO CATONE.

Sicut Porcius Cato L. Flaminium, quem e numero Senatorum sustulit: quia in prouincia quendam damnatum securi percusserat tempore supplicij ad arbitrium & spectaculum mulierculæ cuius amore tenebatur, electo. & poterat inhiberi respectu consulatus, quem is gesserat, atq; authoritate fratris eius Titi Flaminij. Sed & censor, & Cato, duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit, quòd amplissimi honoris maiestatem, tam tetro facinore inquinauerat, nec indignum pensi duxerat, ijsdem imaginibus ascribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.

DE FABRICIO LVCINO.

Quid de Fabricij Lucini censura loquar? narrauit enim omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Cor. Rufinum duobus Consulatibus, & Dictatura speciosissime functum, quòd decem pondo vasa argentea comparasset: perinde ac malo exẽplo luxuriosum, in ordine senatorio retetum nõ esse. ipsæ mediusfidius mihi literæ seculi nostri

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.

obstupescere videntur: cum ad tantam seueritatem referendam ministerium accommodare coguntur: ac vereri, ne non nostræ vrbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti, & inuidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimam.

DE M. ANTONIO, ET L. FLACCO.

Marcus autem Antonius, & L. Flaccus censores Duronium senatu mouerunt, quòd lege de coercendis conuiuiorum sumptibus latam Tribunus ple. abrogauerat. mirifica notæ causa. Quàm enim impudenter Duronius Rostra conscendit, illa dicturus, Freni sunt iniecti nobis Quirites nullo modo perpetiendi. alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis. lex enim lata est, quæ nos esse frugi iubet. abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine oblitum imperium. etenim quid opus est libertate, si volentibus luxu perire non licet?

DE CL. NERONE, ET L. SALINATORE.

Age, par proferamus æquali iugo virtutis, honorumq; societate iunctum, instinctu autem æmulationis animo dissidens. Cl. Nero, Liuiusq; Salinator secundi Punici belli temporibus firmissima reip. latera, quam districtam simul egerunt censuram? Nam cum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum e numero essent, vt est ad Poliam ventum tribum: præco lecto nomine Salinato-

ris, citandum nec ne sibi esset, hæsitauit. quod vt intellexit Nero, & citari collegam, & arma, & equum vendere iussit: quia populi iudicio damnatus esset. Salinator quoq; eadem animaduersione Neronem persecutus est, adiecta causa, quòd non syncera fide secum in gratiam redijsset. Quibus viris si quis cælestium significasset futurum, vt eorum sanguis illustrium imaginum serie deductus, in ortum salutaris principis nostri confluueret, depositis inimicitijs, arctissimo se amicitiæ fœdere iunxissent: seruatam ab ipsis patriam, communi stirpe seruandam relicturi. Salinator vero quatuor atq; triginta tribus inter ærarios referre non dubitauit, quòd cum se damnassent, postea c o s. & censorem fecissent: præterxuitq; causam, quia necesse esset eas alterutro facto, crimine temeritatis, vel perfurij teneri. vnam tantummodo tribum Metiam vacuam nota reliquit: quæ eum suffragis suis, vt no damnatione, ita nec honore quidem dignum iudicauerat. Quam putemus constantis & prævalidi illum ingenij fuisse, qui neque tristi iudiciorum exitu compelli, neque honorũ magnitudine adduci potuit, quo se blandiorem in administratione reipu. gereret?

DE MARCO VAL. ET L. SEMPRONIO.

Equestris quoq; ordinis bona magnaq; pars quadringenti iuuenes, censoriam notã patiente animo sustinuerunt: quos M. Val. & L. Semp. quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexerãt, equis publicis spolia-

tos, in numerum ærariorum retulerunt.

DE M. ATTILIO REGVLO, & L. Furio.

Turpis etiam metus pœnam Censores summa cũ seueritate exegerunt. M. enim Attilius Regulus, & L. Furius Philippus M. Metellum Quæstorem, complureſq; equites Romanos, qui post infeliciter commissam Cannensem pugnam cum eo abituros se Italia iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curauerunt, eosq; graui nota affecerunt, qui cum in potestatem Hannibalis veniissent, legati ab eo missi ad senatum de permutandis captiuis, neq; impetrassent quod petebant, in vrbe mãserunt: quia & Romano sanguini fidem præstare conueniens erat, & M. Attilius Regulus censor perfidiam notabat: cuius pater per summos cruciatus expirare, quàm fallere Carthaginienses, satius esse duxerat. Iam hæc censura ex foro in castra transcedit, quæ neq; timeri, neq; decipi voluit hostem.

Sequuntur duo eiusdem generis exempla, eaq; adiecisse satis erit. Geta, cum à L. Metello, & Cn. Domitio Censoribus senatu motus esset, postea censor factus est.

DE MARCO VALERIO.

Item M. Valerius Messala censoria nota perstrictus, censoria postmodum potestate imperauit: quorum ignominia virtutem acuit. rubore enim eius excitati, omnibus viribus incubuerunt, vt digni ciuibus viderentur, quibus dari potius, quàm abijci censura deberet.

DE MAIESTATE. Cap. V.

EST & illa quasi priuata censura, maiestas clarorum virorum sine tribunalium fastigio, sine apparitorū ministerio potens in amplitudine sua obtinenda. Grato enim & iucundo introitu animis hominū illabitur admirationis prætextu velata: quam recte quis dixerit longum & beatum honorem esse sine honore. Nam quid plus honoris tribui potuit Cos. quàm est datum reo Metello? qui cum causam repetundarum diceret, tabulæq; eius ab accusatore expostulatæ, & ad nomen inspiciendum circa iudicium ferrentur, totum consilium ab earum contemplatione oculos auertit, ne de aliqua re, quæ in his relata erat, videretur dubitasse. Non in tabulis, sed in vita Qu. Metelli argumenta syncerae administratæ prouinciæ legenda sibi iudices crediderūt: indignum rati integritatem tanti viri, exigua cera, & paucis literis perpendi.

DE REGE ANTIOCHO, ET superiore Africano.

Sed quid mirum, si debitus honos à ciuibus Metello tributus est, quem superiori Africano etiā hostis præstare non dubitauit? Siquidem rex Antiochus bello quod cum Romanis gerebat, filiū eius à militibus suis interceptum, honoratissime excepit, regijsq; muneribus donatum, vltro, & celeriter patri remisit: quanquā ab eo tum maxime finibus imperij pellebatur. Sed & rex lacessitus, maiestatē excellentissimi viri venerari, quàm dolorem suum vlcisci maluit.

DE AFRICANO SCIPIONE.

Ad Africanum eundem in Linternina villa se continentem complures prædonum duces videndũ eodem tempore forte confluxerunt. quos cum ad vim faciedam venire existimasset, præsidium domesticorũ in tecto collocauit. eratq; in his repellendis & animo & apparatu occupatus. quod vt prædones animaduerterunt, dimissis militibus, abiectisq; armis, ianuæ appropinquant, & clara voce nunciant Scipioni: non vitæ eius hostes, sed virtutis admiratores venisse: cõspectum & cõgressum tanti viri, quasi cæleste aliquod beneficium expetentes. proinde securum se nobis præstandu præbere ne grauetur. Hæc postquam domestici Scipioni retulerunt: fores referari, eoque intromitti iussit. qui postes ianuæ tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctumque templum venerati, cupide Scipionis dexteram apprehenderunt: ac diu osculati, positis ante vestibulum donis, quæ deorum immortalium numini consecrari solent: læti quia Scipionem vidisse contigisset, ad lares proprios reuerterunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius? Quid etiam iucundius? Hostis ira admiratione sui placauit spectaculo præsentiæ suæ: latronum gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cælo sydera hominibus si se offerant, venerationis amplius non recipient.

DE PAVLO AEMILIO.

Hoc quidẽ viuo Scipioni: illud autẽ Aemilio Paulo exanimi contigit. Nam cum exequiæ eius celebrarẽtur, ac forte tunc principes Macedoniæ,

legationis nomine Romæ morarentur: funebri lecto sponte sua sese subiecerunt, quod aliquanto maius videbitur, si quis cognoscat lecti illius frontem macedonicis triumphis fuisse adornatam. Quantum enim Paulo tribuerunt, propter quę gentis suę cladium indicia per ora vulgi ferre non exhorruerunt? quod spectaculum, funeri speciem alterius triuphi adiecit. His enim te Paule Macedonia vrbi nostrę illustrem ostendit, incolume, spolijs suis: fato functum, humeris.

DE AEMILIANO SCIPIONE.

Nec filij quidem tui Scipionis Aemiliani, quem in adoptionem dando, duarum familiarum ornamentum esse voluisti, maiestati parum honoris tributum est, cum eum adolescentem admodum à Lucullo cos. petendi auxilij gratia ex Hispania in Africam missum Carthaginienses, & Massinissa Rex de pace disceptatorem velut cos. & imperatorem habuerūt. Ignara quidem fatorum suorum Carthago. Orientis enim illud iuuentæ decus, deorum atque hominum indulgentia, ad excidium eius alebatur: vt superius cognomen Africanum capta, posterius euersa Corneliæ genti daret.

DE P. RVTILIO.

Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. Rutilio conspiratione publicanorum perculso, authoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti, omnes prouinciæ illius ciuitates, legatos eius recessum opperientes obuiam miserunt. exulare aliquis hoc loco, an triumphare iustius dixerit?

DE MARIO.

Caius etiam Marius in profundum vltimarũ miseriarum abiectus, ex ipso vitæ discrimine, beneficio maiestatis emerlit. missus enim ad eum occidendũ in priuata domo Minturnis clausum seruus publicus, natione Cimber, & senem, & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non iustinuit: sed claritate viri occæcatus, abiecto ferro attonitus, inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, deuictæq; suæ gentis interitus animum comminuit, etiam dijs immortalibus indignum ratis ab vno nationis eius interfici Mariũ, quam totam deleuerat. Minturnenses autẽ maiestate illius capti, compressum iam & constrictum dira fati necessitate, incolumem præstiterunt. nec fuit eis timori asperrima Syllæ victoria, cum præsertim ipse Marius eos a conseruando Mario absterrere posset.

DE MARCO PORCIO CATONE.

Marcum quoq; Porcium Catonem admiratio fortis ac synceræ vitæ, adeo admirabilem Senatui fecit, vt cum inuito C. Cæsare cos. aduersus publicanos dicendo in curia diem extraheret, & ob id eius iussu à lictore in carcerem duceretur, vniuersus Senatus illum sequi non dubitaret: quæ res diuini animi perseuerantiam flexit.

DE EODEM.

Eodem ludos Florales, quos Messius ædilis faciebat, spectante, populus, vt Mimæ nudarentur, postulare erubuit. quod cum ex Fauonio amici

ſimo ſibi vnà ſedente cognouiſſet, diſceſſit è theatro, ne præſentia ſua ſpectaculi conſuetudinem impediret. quem abeuntem ingenti plauſu populus proſecutus, priſcũ morem iocorum in ſcenam reuocauit, cofeſſus ſe plus maieſtatis illi vni tribuere, quàm vniuerſo ſibi vindicare. Quibus opibus, quibus imperijs, quibus triumphis hoc datum eſt? exiguum viri patrimonium. aſtricti continentia mores. modicæ clientelę. domus ambitioni clauſa. paterni generis vna imago. minime blanda frons: ſed omnibus numeris perfecta virtus, quæ quidem effecit, vt ſi quis ſanctum & egregium ciuem ſignificare velit, ſub nomine Catonis definiat.

EXTERNA,

DE HARMODIO, ET ARISTOGITONE.

Dandum eſt aliquid loci etiam alienigenis exemplis: vt domeſticis aſperſa, varietate ipſa delectet. Harmodij, & Ariſtogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati ſunt, effigies æneas Xerxes rex ea vrbe deuicta in regnum ſuum tranſtulit. longo deinde interiecto tẽpore, Seleucus in priſtinam ſedem reportandas curauit. Rhodij quoque eas vrbi ſuę appulſas, cum in hoſpitium publice inuitaſſent, ſacris etiam puluinaribus collocauerunt. Nihil hac memoria felicius, quæ tantum venerationis, in tam paruulo ære poſſedit.

DE XENOCRATE.

Quantũ porro honoris Athenis Xenocrati ſapientia pariter ac ſanctitate claro, tributum eſt? cum teſtimoniũ dicere coactus ad aram acceſſiſſet, vt

more eius ciuitatis iuraret omnia se vere retu-
lisse, vniuersi iudices conlurrexerunt: proclama-
runtque, ne iusiurandum diceret. quodque sibi-
metipsis postmodum dicendæ sententiæ loco re-
missuri non erant, synceritati eius concedendum
existimarunt.

VALERII MAXIMI LIBER. III.

DE INDOLE. Cap. I.

ATtingam nunc quasi cunabula quæ-
dam & elementa virtutis: animiq; procedente tempore ad summum gloriæ cumulum peruenturi, certo cum indolis experimento, datos ge-
stus referam.

DE AEMILIO LEPIDO.

Aemilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit: ciuem seruauit. cuius tam memorabilis operis index est in capitolio, statua bullata, & incincta prætexta, S. consulto posita. Iniquum enim putauit eum honori non-
dum tempestiuum videri, qui iam virtuti matu-
rus fuisset. Præcurrit igitur Lepidus ætatis sta-
bilimentũ, fortiter faciẽdi celeritate: duplicemq; laudem e prælio retulit, cuius eum vix spectato-
rem anni esse patiebatur. Arma enim infesta, & districti gladij, & discursus telorum, & aduen-
tantis equitatus fragor, & concurrentium exer-
cituum impetus, iuuenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter quæ Aemiliæ gentis pue-
ritia coronam mereri, spolia rapere valuit.

DE MARCO CATONE.

Hic spiritus ne Marci quidē Catonis pueritiæ defuit. Nam cum in domo M. Drusi auunculi sui educaretur: & ad eum Tribunum tunc pl. Latini de ciuitate impetranda conuenissent, a Quinto Popedio Latinorum principe, Drusi autem hospite rogatus, vt socios apud auunculum adiuuaret: constanti vultu non facturum se respondit. Iterum deinde, ac sæpius interpellatus in proposito perstitit. Tunc Popedius in excelsam ædium partem eleuatum, abiecturum se eum inde nisi precibus obtemperaret, minatus est: nec hac re ab incepto moueri potuit. expressa est itaque illa vox hominum: Gratulemur nobis Latini, & Socij, hunc esse tam paruum, quo senatore ne sperare quidem nobis ciuitatem siculisset. Tenero ergo animo Cato totius curiæ grauitatem percepit: perseuerantiaque sua Latinos iura nostræ ciuitatis apprehendere cupientes, repulit.

DE EODEM CATONE.

Idem cum salutandi gratia prætextatus ad Syllam venisset, & capita proscriptorum in atrium allata vidisset: atrocitate rei commotus, pædagogum suum Sarpedonem nomine interrogauit, quapropter nemo inueniretur, qui tā crudelem Tyrannum occideret. cumque is, non voluntatem hominibus, sed facultatem deesse, quòd salus eius magno militum præsidio custodiretur, respondisset, vt ferrum sibi daret, obsecrauit: affirmando perfacile se eum interfecturum, quòd in lecto illius cōsedere soleret. Pædagogus & ani

mum Catonis agnouit, & exhorruit propositũ, eumque postea ad Syllam excussum semper adduxit. Nihil hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus, victorẽ non extimuit, tum maxime cõss. Municipia, Legiones, Equestris ordinis maiorem partem trucidantẽ. Ipsum Marium, si quis eo loci statuisset: celerius aliquid de fuga sua, quàm de Syllæ nece cogitasset.

DE CAIO CASSIO.

Cuius filium Faustum C. Cassius condiscipulum suum in schola proscriptionem paternam laudãtem, ipsumq; cum per ætatem potuisset, idem facturum minitantem, colapho percussit, dignam manum, quæ se publico parricidio non contaminaret.

EXTERNA.

Et vt a Græcis aliquid, Alcibiades ille cuius nescio vtrũ bona, an vitia patriæ pernicioſiora fuerint, (illis enim ciues suos decepit: his afflixit) cũ adhuc puer ad Periclem auunculum suum venisset, eumq; secreto tristem sedentem vidisset, interrogauit, quid ita tantam in vultu confusionem gereret: at illo dicente, mandato se ciuitatis Propylæa Mineruæ, quæ sunt ianuæ arcis, ædificasse, consumptaq; in id opus ingẽti pecunia, non inuenire quo pacto ministerij rationem redderet, atq; ideo conflictari: Ergo, inquit, quære potius quemadmodum rationem non reddas. Itaq; vir amplissimus, & prudentissimus, suo consilio defectus, puerili vsus est, atq; id egit, vt Athenienses finitimo implicati bello, rationibus exigẽdis non vacarent. Sed viderint Athenæ vtrum Alci-

biadem lamentẽtur, an glorientur: quoniam adhuc inter execrationem hominis, & admirationem, dubio mentis iudicio fluctuatur. Nos quia iam initia, procursusq; virtutis patefecimus, actu ipsum prosequemur: cuius ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti, in fortitudine consistunt.

DE FORTITVDINE. Cap. II.

De Horatio Cocl ite.

NEc præterit me, cõditor vrbis nostræ Romule, principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere. Sed patere obsecro vno te præcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes: quia beneficio illius effectum est, ne tam præclarum opus tuum Roma dilaberetur. Hetruscis in Vrbem ponte Sublicio irrumpentibus, Horatius Cocles extremam eius partem occupauit: totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit: atque vt patriam periculo imminenti liberatam vidit, armatus se in Tyberim misit: cuius fortitudinem dij immortales admirati, incolumitatem synceram ei præstiterunt. Nam neque altitudine deiectus, quassatusve, neque pondere armorum pressus, nec vllo vorticis circuitu actus, nec telis quidem, quæ vndiq; congerebantur, læsus tutum natandi euentum habuit. Vnus itaq; tot ciuium, tot hostium in se oculos conuertit, stupẽtes illos admiratione, hos inter lætitiã metumq; hæsitantes. vnusq; duos acerrima pugna cõsertos

exercitus: alterum repellendo, alterum propugnando, distraxit. Deniq; vnus vrbi nostræ tantum scuto suo, quantum Tyberis alueo, munimenti attulit. quapropter discedentes Hetrusci dicere potuerunt: Romanos vicimus: ab Horatio victi sumus.

DE CHLOELIA VIRGINE

Immemorem me propositi mei Chlœlia pene fecit. eadem enim tempestate, certe aduersus eundem hostem, & in eodem Tyberi inclytum ausa facinus. Inter cæteras enim virgines obses Porsenæ data hosti, nocturno tempore custodiam egressa, equum conscendit, celeriq; traiectu fluminis, non solum obsidione, sed etiam metu patriam soluit. Viris puella lumine virtutis præferenda.

DE ROMVLO.

Redeo nunc ad Romulum, qui ab Acrone Ceninensium rege ad dimicandum prouocatus, quanquam & numero, & fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusq; erat toto cum exercitu, quàm solum in aciem descendere, sua potissimum dextera, omen victoriæ rapuit: nec incepto eius Fortuna defuit. Occiso enim Acrone, fusisq; hostibus, opima de eo spolia Ioui Feretrio retulit. Hactenus istud, quia publica religione consecrata virtus, nulla priuata laudatione indiget.

DE CORNELIO COSSO.

A Romulo proximus Cornelius Cossus, eide deo spolia consecrauit, cum Magister equitum ducem Fidenatium in aciem congressus interemisset. magnus initio huiusce generis inchoatæ glo-

riæ Romulus. Cosso quoq; multum acquisitum est, qui imitari Romulum valuit.

DE M. MARCELLO.

Nec Marci quidem Marcelli memoriã ab his exẽplis separare debemus: in quo tãtus animi vigor fuit, vt apud Padum Gallorum regem ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus inuaderet: quem protinus obtrũcatum, armis exuit, eaque Ioui Feretrio dicauit.

DE T. MANLIO TORQVATO, & Scipione Aemiliano.

Eodem & virtutis & pugnæ genere vsi sunt T. Mãlius Torquatus, & Valerius Coruinꝰ, & Aemilianus Scipio. Hi etiam vltro prouocates hostiũ duces interemerunt, sed quia sub alienis auspicijs rem gesserant, spolia Ioui Feretrio nõ posuerunt consecranda. Item Scipio Aemilianus cũ in Hispania sub Lucullo duce militaret, atq; Intercacia prœualidum oppidum circũsederetur, primus mœnia eius conscendit. Neq; erat in eo exercitu quisquã aut nobilitate, aut animi indole, aut futuris actis, cuius magis saluti consuli & parci deberet. sed tunc clarissimus quisq; iuuenũ pro amplificanda & tuenda patria plurimũ laboris ac periculi sustinebat, deforme sibi existimans, quos dignitate præstaret, ab ijs virtute superari. Ideoque Aemilianus hanc militiam alijs propter difficultatem vitantibus, sibi depoposcit.

DE M. ATTILIO.

Magnũ inter hæc fortitudinis exẽplũ antiquitas

offert. Romani Gallorum exercitu pulsi, cum se in capitolium & in arcem conferret, inq; his collibus morari omnes non possent, necessarium cõsilium in plana parte vrbis relinquẽdorũ seniorũ ceperunt, quo facilius iuuentus reliquias imperij tueretur. Cæterum ne illo quidem tam misero, tamq; luctuoso tempore ciuitas nostra virtutis suæ oblita est. defuncti enim honoribus, apertis ianuis, in curulibus sellis, cum insignibus magistratuum quos gesserant, sacerdotiorumq; quæ erant adepti, consederunt: vt & ipsi in occasu suo splendorem & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suos prouocarent. Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit, & nouitate rei, & magnificentia cultus, & ipso audaciæ genere commotis. Sed quis dubitaret quin & Galli & victores illam admirationem mox in risum, & in omne cotumeliæ genus cõuersuri essent? Non expectauit igitur hanc iniuriæ maturitatẽ C. Atilius, verum barbam suam permulcenti Gallo scipionẽ vehementi ictu capiti inflixit: eiq; propter dolorẽ ad se occidendũ rueti, corpus cupidius obtulit. Capi ergo virtus nescit, patiẽtia decus ignorat. Fortunæ succumbere, tristius omni fato ducit. Noua & speciosa genera interit excogitat, si quisquam interit, qui sic extinguitur.

DE C. SEMPRONO.

Reddendus est nũc Romanæ iuuẽtuti debitus gloriæ titul⁹. Q. Catulo Sẽpronio Atracino cos. cũ Volscis apud Verugine parũ prospere dimi-

cãte ne acies noſtra iam inclinata propelleretur, equis delapſa ſe, ipſam centuriauit, atque hoſtiũ exercitum irrupit: quo dimoto, proximum tumulum occupauit, effecitq; vt omnis Volſcorum in ſe conuerſus impetus, legionibus noſtris ad cõfirmandos animos ſalutare laxamentũ daret. Itaq; cum iam de trophæis ſtatuẽdis cogitarent, prælium nocte dirimente, victores ne, an victi diſcederent, incerti abierunt.

DE FABIO MAXIMO.

Strenuꝰ ille quoq; flos ordinis equeſtris, cuius mira virtute Fabius MAX. Rutilianus magiſter equitũ bello quod aduerſus Samnites gerebatur, male commiſſi prælij crimine leuatus eſt. Nanq; Papyrio Curſore propter auſpicia repetenda in vrbem proficiſcente, caſtris præpoſitus, ac vetitꝰ in aciem exercitum ducere, nihilominus manus cum hoſte, ſed non tam feliciter quàm temere conſeruit. procul enim dubio ſuperabatur. Cæterum optimæ indolis iuuentus, detractis equorum frenis, vehementer eos calcaribus ſtimulatos in aduerſos Samnites egit, obſtinataque animi præſtantia extortam manibus hoſtium victoriam, & cum ea ſpem maximi ciuis Rutiliani patriæ reſtituit. Qualis deinde roboris illi milites, qui vehementi ictu remorum concitatã fugæ Punicã claſſem nantes, lubrici pelagi quaſi camporum firmitate pedites in littus retraxerunt? Eiuſdem temporis & notæ miles qui Cãnenſi prælio, quo Hannibal magis vires Romanorum cõtudit, quàm animos fregit, cum ad

retinenda arma inutiles vulneribus manus haberet, spoliare se conantis Numidæ ceruicem complexus, os naribus & auribus corrosis deforme reddidit, incq; plene vltionis morsibus expirauit. Sepone iniquum pugnæ euentum, quanto interfectore fortior interfect⁹? Pœnus enim in victoria obnoxius, morienti solatio fuit, Romanus in ipso fine vitæ vindex sui extitit.

DE P. CRASSO.

Militis huius in aduerso casu tam egregius tamq; virilis animus, quàm relatur⁹ sum imperatoris. P. enim Crassus cum Aristonico bellum in Asia gerens, à Thracibus, quorum is magnum numerũ in præsidio habebat, inter Eleã & Smyrnam exceptus, ne in ditionẽ eius perueniret, dedecus accersita ratione mortis effugit. Virgam enim qua ad regẽdum equũ vsus fuerat, in vnius barbari oculum direxit: qui vi doloris accensus, latus Crassi sica confodit: dũq; se vlciscitur, Romanum imperatorẽ maiestatis amissę turpitudine liberauit. Ostẽdit forunę Crassus, quàm indignum virum tam graui cõtumelia afficere voluisset, quoniam quidem iniectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudẽter pariter ac fortiter rupit; donatũq; iam se Aristonico, dignitati suæ reddidit.

DE SCIPIONE.

Eodem mentis proposito vsus est Scipio. nãq; infeliciter Cn. Pompeij generi sui defensis in Africa partibus, classe Hispaniam petens, cum animaduertisset nauem qua vehebatur, ab hostibus

captam, gladio præcordia sua transuerberauit, ac deinde prostratus in puppi quærentibus cæsarianis militibus vbinã esset imperator, respondit, Imperator bene habet. tantumque eloqui valuit, quantum ad testandam animi magnitudinem æternæ laudi satis erat.

DE CATONE.

Tui quoq; clarissimi excessus, Cato, Vtica monimentum est: in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloriæ quàm sanguinis mãauit. Siquidem constantissime in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dedisti, quãto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quâm vita sine dignitate.

DE PORCIA CATONIS FIlia, & Bruti vxore.

Cuius filia minime muliebris animi: quæ cũ Bruti viri sui consiliũ, quod de interficiẽdo Cæsare ceperat, ea nocte qua dies teterrimi facti secutus est, cognouisset, egresso cubiculũ Bruto, cultellũ tonsoriũ, quasi vnguiũ resecandorum causa posposcit, eoq; velut forte elapso se vulnerauit. Clamore deinde ancillarũ in cubiculum reuocatus Brutus, obiurgare eam cœpit, q; tonsoris præripuisset officiũ. Cui secreto Porcia, Nõ est hoc, inquit, temerarium factum meũ: sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimũ indiciũ. Experiri enim volui, si tibi propositum ex sententia parũ cessisset, quãm æquo animo me ferro essem interemptura.

DE CATONE.

Felicior progenie sua superior Cato, à quo Porcię

familiæ principia manarũt. qui cum ab hoste in acie vehementi periculo peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit. quem subiectum præliantium globo, atq; vndiq; hostilibus pedibus circundatum, postquam abesse sibi animaduertit, adeo costanti animo in suam potestatem redegit, vt illum non periculo oppressus rapere, sed metu vacuus sumere videretur. quo spectaculo attoniti hostes, postero die ad eum supplices pacem petentes venerunt.

DE P. SCIPIONE NASICA.

Togæ quoq; fortitudo militaribus operibus inserenda est: quia eandem laudem foro atq; castris edita meretur. Cum Tib. Gracchus in tribunatu profusis largitionibus fauore populi occupato Remp. oppressam teneret, palãque dictitaret interempto senatu omnia per plebem agi debere, in ædem Fidei publicæ conuocati Patres C. a c o s. Mutio Scæuola, quidnam in tali tempestate faciundum esset, deliberabant: cunctisque censentibus, vt c o s. armis Remp. tuerctur, Scæuola negauit se quicquam vi esse acturum. Tunc Scipio Nasica, quoniam, inquit, c o s. dum iuris ordinem sequitur, id agit, vt cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet priuatus volũtati vestræ me offero ducem. ac deinde lęuã manũ apertę togæ circundedit, sublataq; dextera proclamauit: Qui rẽp. saluã esse volũt, me sequantur. eaq; voce cũctatione bonorũ ciuium discussa, Gracchum cum scelerata factione quas merebatur pœnas persoluere coegit.

DE C. MARIO SENE.

Item cũ Trib. Pl. Saturninus, & Prætor Glaucia, & Equitius designatus Tri. Pl. maximos in ciuitate nostra seditionum motus excitassent, nec quisquam se populo concitato opponeret, primum M. Aemilius Scaurus C. Marium consulatum sextum gerentem hortatus est, vt libertatem legesque manu defenderet. protinusque arma sibi afferri iussit. quibus allatis, vltima senectute cõfectum & pene dilapsum corpus induit, spiculoque innixus ante fores Curiæ constitit, ac paruulis extremi spiritus reliquijs ne respub. expiraret effecit. Præstantia enim animi sui senatum & equestrem ordinem ad vindictam exigendam impulit.

DE DIVO IVLIO.

Sed vt armorum & togæ superius, ita nunc etiam syderum clarum decus Diuum Iulium, certissimam veræ virtutis effigiem repræsentemus. Cum innumerabili multitudine, & feroci impetu Neruiorum inclinari aciem suam videret, timidius pugnãti militi scutum detraxit, eoq; tectus, acerrime præliari cœpit. quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentẽq; belli fortunam diuino animi ardore restituit.

Idem alio prælio legionis Martiæ aquiliferũ ineundæ fugæ gratia iam conuersum, faucibus comprehensum in contrariam partem detraxit, dexteramq; ad hostem tẽdens, Quorsum tu, inquit, abis? illic sunt cum quibus dimicamus. Et manibus quidem vnum militem, adhortatione vero tam acri, omnium legionum trepidatio-

nem correxit, vinciq; paratas vincere douit.

DE VIBIO ACEC, ET VALERIO Flacco, & Pedanio centurione.

Cæterum vt humanæ virtutis actum exequamur, cum Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret: Vibius Aceus Pelignæ cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum proiecit, seipsum, suosq; cõmilitones, si eo hostes potiti essent, execratus: & ad id petendũ subsequente cohorte, primus impetum fecit. quod vt valerius Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos, Spectatores, inquit, vt video, alienæ virtutis huc venimus: sed absit istud dedecus a sanguine nostro, vt Romani gloria cedere Latinis velint. Ego certe aut speciosam optans mortem, aut felicem audaciæ exitum: vel solus præcurrere paratus sum. His auditis, Pedanius Centurio conuulsum signum dextra retinens, iam hoc, inquit, intra hostile vallum mecum erit: proinde sequantur qui id capi nolunt. & cum eo in castra Pœnorum irrupit, totamq; secum traxit legionem. Ita trium virorum fortis temeritas Hannibalem paulo antè spe sua Capuæ potitorem, ne castrorum quidem suorum potientem esse passa est.

DE Q. COTIO.

Quorum virtuti nihil cedit Qu. Cotius, qui propter fortitudinem Achilles cognominatus est. Nam vt reliqua eius opera non exequar, abunde tamen duobus factis quæ relaturus sum, quãtus bellator fuerit cognoscetur. Qu. Metello cos. legatus in Hispaniam profectus, Celtiberi-

cum ſub eo bellum gerens, poſtquam cognouit a quodam gentis huius iuuene ſe ad dimicandum prouocari, erat autem illi forte prandendi gratia poſita menſa: relicta ea, arma ſua extra vallum deferri, equumque duci clam iuſſit, ne a Metello impediretur. Et illum Celtiberum inſolentiſſime obequitantem conſectatus interemit, detractaſque corpori eius exuuias, ouans lætitia in caſtra retulit. Idem Pireſium nobilitate ac virtute omnes Celtiberos præſtantem, cum ab eo in certamen pugnæ prouocatus eſſet, ſuccumbere ſibi coegit: nec erubuit flagrantiſſimi pectoris iuuenis gladium ei ſuum & ſagulum vtroq; exercitu ſpectante tradere. Ille vero etiam petijt, vt hoſpitij iure inter ſe iuncti eſſent, quando inter Romanos & Celtiberos pax foret reſtituta.

DE ATTILIO.

Nec Attilium quidem præterire poſſumus: qui cũ decimæ legionis miles, p C. Cæſaris partibus maritima pugna præliaretur, abſciſſa dextra, quam Maſſilienſium naui iniecerat, lęua puppim apprehendit: nec ante dimicare deſtitit, quàm captam profundo mergeret. quod factum parum iuſta notitia patet.

DE CYNEGIRO.

Et Cynegirum Athenienſem ſimili pertinacia in conſectandis hoſtibus vſum, verboſa cantu laudum ſuarum Græcia, omnium ſeculorũ memoriæ literarum præconio inculcat.

DE M. SCAEVA, ET SCAEVOLA.

Claſſicam Attilij gloriam terreſtri laude M. Scæua eiuſdem imperatoris centurio ſubſecutus eſt.

Cũ enim pro caſtello cui præpoſitus erat, dimi-
caret, Cn. q̃ Pompeij præfectus iuſſu eius, ſum-
mo ſtudio, & magno militum numero ad id ca-
piendum mitteretur, omnes qui propius acceſ-
ſerant, interemit, ac ſine vllo regreſſu pedes pu-
gnans, ſuper ingentem ſtragem, quam ipſe fece-
rat, corruit. cuius corpus capite, humero, femo-
re ſaucio, oculo eruto, ſcutum cẽtum &. xx. icti-
bus perfoſſum apparuit. Tales in caſtris diui Iu-
lij diſciplina milites aluit, quorũ alter dextera,
alter oculo amiſſo hoſtibus inhæſit. Ille poſt hãc
iacturam victor, hic nec hac quidem iactura vi-
ctus. Tuũ vero Scæuola inexuperabilem ſpi-
ritum in vtraq̃ parte rerum naturæ, qua admi-
ratione proſequar, neſcio: quoniã excellenti vir-
tute dubium reliquiſti, inter vndas ne pugnam
fortiorem edideris, an in terra vocem emiſeris.
Bello nanque Gallico, quo C. Cæſar non conten-
tus opera ſua littorib⁹ Oceani claudere, Britãni-
cæ inſulæ cæleſtes iniecit manus, cum quatuor
commilitonibus rate tranſuectus, in ſcopulum
vicinum inſulæ quam hoſtiũ ingentes copiæ ob-
tinebant, poſtquam æſtus regreſſu ſuo ſpatium
quo ſcopulus & inſula diuidebantur, in vadum
tranſitu facili redegit, ingenti multitudine bar-
barorum affluente, cæteris rate ad littus regreſ-
ſis, ſolus immobilem ſtationis gradum retinens,
vndiq̃ irruẽtibus telis, & ab omni parte acri ſtu-
dio ad te inuadendum nitentibus, quinque mi-
litum diurno prælio ſuffectura pila, vna dextra
hoſtium corporibus adegiſti: ad vltimum diſtri-
cto gladio, audaciſſimum quenque modo vmbo-

nis impulsu, modo mucronis ictu depellens, hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, dum cernereris, spectaculo fuisti. Postquã deinde ira ac pudor cuncta conari fessos coegit, tragula femur traiectus, saxique pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, profundo te credidisti, ac duabus loricis onustus, inter vndas quas hostili cruore infeceras, enatasti: visoq; imperatore armis non amissis, sed bene impensis, cum laudem merereris, veniã petijsti. Magnus prælio, sed maior disciplinæ militaris memoria. Itaque ab optimo virtutis æstimatore tum facta tum etiam verba tua centurionatus honore donata sunt.

DE LVCIO SICINIO DENTATO.

Sed quod ad præliatorum excellentem fortitudinem attinet, merito L. Sicinij Dentati commemoratio omnia Romana exempla finierit: cuius opera, honoresque operum, vltra fidem veri excedere iudicari possent, nisi ea certi authores, inter quos Marcus Varro, monimentis suis testata esse voluissent: quem centies & vigesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi atque corporis vtẽtem, vt maiorem semper victoriæ partem traxisse videretur. sex &. xxx. spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus spectãte vtroq; exercitu ex prouocatione dimicasset. xiiij. ciues ex media morte raptos seruasse. quinq; & lx. vulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo. nouem triumphales

Aul. Gel. lib 2. cap. ii

Salust. cicatrices non auersas sed aduersas. Di. de Mario.

imperatorum currus ſecutum totius ciuitatis oculos in ſe numeroſa donorum pompa conuertentem. Præferebãtur enim Aureæ coronę octo, Ciuicæ.xiiij. Murales tres, Obſidionalis vna: torques.clxxxiij. Armillæ clx. Haſtæ.xviij. Phaleræ.xxv. ornamenta etiam legioni, nedum militi ſatis multa.

DE T. IVBELIO CAMPANO.

Ille quoq; ex pluribus corporibus in vnum magna cũ admiratione Calibus cruor confuſus eſt: in quo oppido cũ Fuluius Flaccus propter Campanam perfidiam principes ciuitatis ante tribunal ſuum capitali ſupplicio afficiẽdos iudicaret, literiſq; a ſenatu acceptis finẽ pœnæ eorum ſtatuere cogeretur, vltro ſe ei T. Iubelius Taurea Campanus obtulit: & q̃ potuit clara voce, Quoniã, inquit, Fului cupiditate tanta hauriendi ſanguinis noſtri teneris, quid ceſſas in me cruentam ſecurim diſtringere? vt gloriari poſſis, aliquanto virum fortiorem quàm ipſe es, tuo iuſſu eſſe interemptum. Eo deinde libenter id ſe eſſe facturum, niſi ſenatus voluntate impediretur, affirmante, At me, inquit, cui nihil Patres C. præceperunt, aſpice oculis tuis quidem gratum, animo vero tuo maius opus edentem. protinuſq; interfecta coniuge ac liberis, gladio incubuit. Quem virum illum putemus fuiſſe, qui ſuorum ac ſua cæde teſtari voluit, ſe Fuluij crudelitatem ſugillare, quàm ſenatus miſericordia vti maluiſſe?

EXTERNA.

DE GOBRIA.

Age Gobriæ quantus ardor animi, qui cum ſordida

& crudeli Magorum tyrãnide Perſas liberaret, vnumq; ex ijs obſcuro loco abiectũ corporis põdere vrgeret, præclari operis ſocio plagã ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipſum vulneraret: Tu vero, inquit, nihil eſt quod reſpectu mei timidius gladio vtaris: vel per vtrunque illum agas licet, dum hic quãcelerrime pereat.

DE LEONIDA.

Hoc loci Leonidas Spartanus nobis occurrit: cuius propoſito, opere, exitu, nihil fortius. Nam cum ccc. ciuibus apud Thermopylas toti Aſiæ obiectus, grauem illum & mari & terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, ſed Neptuno quoque compedes, & cælo tenebras minitantem, pertinacia virtutis ad vltimam deſperationem redegit. Cæterũ perfidia & ſcelere incolarum eius regionis, & loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, ſpoliatus, occidere dimicans, quàm aſſignatam ſibi à patria ſtationẽ deſerere maluit. Ideoq; tã alacri animo ſuos ad id prælium, quo perituri erant, cohortatus eſt, vt diceret, Sic prandete commilitones mei, tanquam apud inferos cœnaturi. Mors erat denunciata: Lacedæmonij perĩde ac victoria eſſet promiſſa, ductori intrepide paruerunt.

DE OTHRYADE.

Othryadæ quoq; pugna pariter ac morte ſpecioſa Thyræatium laude quàm ſpatio latius ſolũ cernitur: qui ſanguine ſuo ſcriptis literis, direptã hoſtibus victoriam, tantum non poſt fata ſua in ſinum patriæ cruento trophæi titulo retulit.

DE EPAMINONDA.

Excellentissimos Spartanæ virtutis prouentus, miserabilis lapsus sequitur. Epaminondas maxima Thebarum felicitas, idemq; Lacedæmonis prima clades, cum vetustam eius vrbis gloriam, inuictamq; ad id tempus publicam virtutem, apud Leuctram & Mantineam secundis prælijs contudisset, traiectus hasta, sanguine & spiritu deficiens, recreare se conantes, primum an clypeus suus saluus esset, deinde an fusi hostes penitus forent, interrogauit. quæ postquam ex animi sententia comperit, non finis, inquit, commilitones, meæ vitæ, sed melius & altius initium aduenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu & auspicijs meis caput Græciæ factas video, & fortis & animosa ciuitas Spartana iacet, armis nostris abiecta, & amara dominatiõe Græcia liberata est. orbq; quoq;, non tamẽ sine liberis, morior, quoniam mirificas filias Leuctram & Mantineam relinquo. è corpore deinde suo hastam educi iussit, eoq; vulnere expirauit. Quòd si eũ Dij immortales victorijs suis perfrui passi essent, sospes glorioſior patriæ mœnia non intrasset.

DE THERAMENE ET THEOGENE.

Ac ne Theramenis quidem Atheniẽsis in publica custodia mori coacti, parua mentis constãtia, in qua triginta Tyrãnorum iussu porrectam veneni potionem non dubitanter hausit: quodque ex ea superfuerat, iocabundus illisum humo clarum edere sonum coegit: reddensque seruo pu-

blico qui eam tradiderat, Critię, inquit, propino: vide igitur vt hoc poculum ad eũ continuo perferas. erat autẽ is ex. xxx. tyrãnis crudeliſſimus.
» Profecto eſt ſupplicio ſe liberare, tam facile ſupplicium perpeti. Itaq; Theramenes perinde ac indomeſtico lectulo moriens, vita exceſſit, inimicorum exiſtimatione punitus, ſuo iudicio finitus. Sed Theramenes à literis & doctrina virilitatẽ traxit. Numantino vero Theogeni ad conſimilem virtutem capeſſendam quaſi magiſtra gentis ſuæ ferocitas extitit. Perditis nanq; & afflictis rebus Numantinorum, cum omnes eius ciues nobilitate, pecunia, honoribuſque pręſtaret: vicum ſuum, qui in ea vrbe ſpecioſiſſimus erat, cõtractis vndiq; nutrimentis ignis incendit: protinuſq; ſtrictũ gladiũ in medio poſuit, ac binos inter ſe dimicare iuſſit, vt victus inciſa ceruice ardentibus tectis ſuperiaceretur. qui cum tam forti lege mortis omnes abſumpſiſſet, ad vltimũ ſeipſum flammis immiſit.

DE VXORE ASDRVBALIS.

erum vt æque populo Ro. inimicę vrbis excidiũ referam, Carthagine capta, vxor Aſdrubalis exprobrata ei impietate, quòd à Scipione ſoli ſibi impetrare vitam contentus fuiſſet, dextra lęuaq; tres communes filios mortem non recuſantes trahens, incendio ſe flagrantis patriæ obiecit.

DE DVABVS PVELLIS Syracuſanis.

Muliebris fortitudinis exemplo æque fortẽ duarũ puellarũ caſum adijciã. Cũ peſtifera ſeditione

Syracusarum tota regis Gelonis stirps euidētis simis exahusta cladibus, ad vnicam filiam Harmoniam virginē esset redacta, & in eam certatim ab inimicis impet⁹ fieret, nutrix eius æqualem illi puellam regio cultu ornatam hostilibus gladijs obiecit: quæ ne cum ferro quidē trucidaretur, cuius esset cōditionis ederet, proclamauit admirata illius animum Harmonia, & tantæ fidei supereſſe non sustinuit: reuocatosq; interfectores, professa quænam esset, in cædem suā cōuertit. Ita alteri tectum mendacium, alteri veritas aperta finis vitæ fuit.

DE PATIENTIA. CAP. III.

EGregijs pariter virorum ac fœminarum operibus fortitudo se oculis hominū subiecit, patientiamq; in medium procedere hortata est, non sanè infirmioribus radicibus stabilitam, aut minus generoso spiritu abundantem, sed ita similitudine iunctam, vt cum ea vel ex ea nata videri possit.

DE MVTIO SCAEVOLA.

QUid enim ijs quæ supra retuli, facto Mutij conuenientius? Cum à Porsena rege Hetruscorū vrbē nostra graui ac diutino bello vrgeri ægre ferret, castra eius clam ferro cinctus intrauit, immolātemque ante altaria conatus est occidere. Cæterum inter molitionem pij pariter ac fortis propositi oppressus, nec causam aduentus texit, & tormenta quantopere contemneret, mira patientia ostendit. Pertæsus enim, credo, dextēram suam, quòd eius ministerio in cæde regis

vti nequisset, iniectam foculo exuri passus est. Nullum profecto Dij immortales admotum aris cultum attentioribus oculis viderunt. Ipsum quoq; Porsenā oblitū periculi sui, vltione suam vertere in admirationē coegit. Nā, reuertere, inquit, ad tuos Muti, & eis refer, te cum vitā meam petieris, a me vita donatum. cuius clementia no adulatus Mutius, tristior Porsenæ salute, quam sua lætior, vrbi se cum æternæ gloriæ cognomine Scæuolam reddidit.

DE POMPEII PATIENTIA.

Pompeij etiam probabilis virtus, qui dum legationis officio fungeretur, a Genthio rege interceptus, cum senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eaque patientia regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit, & expetendæ P. R. amicitiæ magnam cupiditatem ingenerauit. Ac ne plura huiusce generis exempla domi scrutando, sæpius ad ciuilium bellorum detestandam memoriam progredi cogar, duobus Romanis exemplis cōtentus, quæ vt clarissimarum familiarum commendationem, ita nullum publicum mœrorem continent, externa subnectam.

EXTERNA.

Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. E quibus vnus thuribulo accepto ante ipsum astitit, in cuius brachiū carbo ardens delapsus est: quo etsi ita vrebatur, vt adusti corporis eius odor ad circunstantium nares perueniret, tamen & dolo-

rem silentio pressit, & brachiũ immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut excusso thuribulo impediret, aut edito gemitu aures regias aspergeret. Rex quoq; patientia pueri magis delectatus, hoc certius perseuerantiæ experimentum sumere voluit. solito enim sacrificauit diutius, nec hac re eũ a proposito repulit. Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, sciisset eius stirpis milites vinci non posse, cuius infirmam ætatem tãto robore præditam animaduertisset. Est & illa vehemens & constãs animi militia, literis pollens, venerabilium doctrinæ sacrorum antistes Philosophia: quæ vbi pectore recepta est hominũ, inhonesto atq; inutili affectu depulso, totum in solidæ virtutis munimento confirmat, potentiusq; metu ac dolore facit.

DE ZENONE ELEATE.

Incipiam autem a Zenone Eleate, qui cum esset in dispicienda rerũ natura maximæ prudentiæ, inq; excitandis ad vigorem iuuenũ animis promptissimus: præceptorum fidem exemplo virtutis suæ publicauit. patriã enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili seruitute obrutum petijt, tãta fiducia ingenij ac morũ suorũ fretus, vt sperauerit & Tyranno & Phalaridi vesanæ mentis feritatẽ a se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus cõsuetudinem dominationis, quàm cõsilij salubritatẽ valere animaduertit, nobilissimos eius ciuitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflãmauit. Cuius rei cum indiciũ ad tyrãnum manasset, cõ-

uocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit, subinde quærens quosnam consilij participes haberet. at ille nec eorũ quempiam nominauit, & proximum quemq; ac fidelissimum tyranno suspectum reddidit: increpitansq; Agrigentinis ignauiam ac timiditatem, effecit vt subito mentis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo vnius eculeo impositi, non supplex vox, nec miserabilis eiulatus, sed fortis cohortatio, totius vrbis animum fortunamq; mutauit.

DE ALIO ZENONE.

E iusdem nominis philosophus cum a Nearcho tyranno de cuius nece consiliũ inierat, torqueretur supplicij pariter atq; indicandorum gratia consciorum, doloris victor, sed vltionis cupidus, esse dixit quod secreto audire eum admodũ expediret: laxatoq; eculeo, postquam insidijs opportunum tempus animaduertit, aurẽ eius morsu corripuit: nec ante dimisit, quâm & ipse vita, & ille corporis parte priuaretur.

DE ANAXARCHO.

T alis patientiæ æmulus Anaxarchus, cum a Tyranno Cypriorum Nicocreõte torqueretur, nec vlla vi inhiberi posset quo minus amarissimorũ eum maledictorum verberibus inuicem ipse torqueret, ad vltimum amputationem linguę minitanti, nõ erit, inquit, effœminate adolescens, hæc quoq; pars corporis, mei, tuæ ditionis. protinusq; dentibus abscissam, & cõmanducatam linguam in os eius ira patens expuit. Multorum autem aures illa lingua, & in primis Alexandri regis

admiratione sui attonitas habuerat, dum terræ conditionem, ambitum maris, syderum motus, totius deniq; mundi naturam prudentissime & facundissime exprompsit. pene tamẽ occidit gloriosius quàm viguit, quia tam forti fine illustrem professionis actum comprobauit, Anaxarchique non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

DE THEODORO.

In Theodoro quoque viro grauissimo Hieronymus tyrānus tortorum manus frustra fatigauit. Rupit enim verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, laminas extinxit prius quàm efficeret vt tyrannicidij conscios indicaret. Quinetiã satellite in quo totius dominationis summa quasi quodã cardine versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri eius custodẽ eripuit, beneficioq; patientiæ non solum quæ occulta fuerunt texit, sed etiam tormenta sua vltus est, quibus Hieronymus dum inimicum cupide lacerat, amicũ temere perdidit. Apud Indos vero patientiæ meditatio tam obstinate vsurpari creditur, vt sint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucasi montis gelido rigore corpora sua durantes, modo flammis sine vllo gemitu obijcientes: atq; haud parua his gloria conceptu doloris acquiritur. titulus nãq; sapientiæ datur. Hæc e pectoribus altis & eruditis orta sunt.

DE QVODAM SERVO.

Illud tamen non minus admirabile, quod seruilis animus cepit. Seruus barbarus Asdrubalem,

quòd dominum ſuum occidiſſet, grauiter ferens, ſubito aggreſſus interemit. Cumq; comprehẽſus omni modo cruciaretur, lætitiam tamen, quã ex vindicta ceperat, in ore conſtantiſſime retinuit.

» Non ergo faſtidioſo aditu virtus excitata, inge-
» nia viuida ad ſe penetrare patitur: neq; hauſtum
» ſui cum aliquo perſonarum diſcrimine largum,
» malignumve prebet, ſed omnibus æqualiter ex-
» poſita, qd cupiditatis potius, quàm quid digni-
» tatis attuleris, æſtimat: inq; captu bonorum ſuo-
» rum tibi ipſi pondus examinandum relinquit,
» vt quantum ſubire animo ſuſtinueris, tantum
tecum auferas. Quo euenit, vt & humili loco na-
ti, ad ſummam dignitatem conſurgant, & gene-
roſiſſimarũ imaginum fœtus in aliquod reuoluti
dedecus, acceptam à maioribus lucem in tene-
bras conuertant. quæ quidem planiora ſuis exem
plis redduntur. Ac prius de ijs ordiar, quorum
in meliorem ſtatum facta mutatio, ſplendidam
relatu præbet materiam.

DE IIS QVI HVMILI LOCO nati, clari euaſerunt.

Caput IIII.

INcunabula Tulli Hoſtilij agreſte tugurium cepit: eiuſdem adoleſcẽtia in pecore paſcendo fuit occupata: validior ætas imperiũ Romanũ rexit, & duplicauit. Senectus excellentiſſimis ornamentis decorata, in excellentiſſimo maieſtatis faſtigio fuſſit. Verum Tullus etſi magni & admirabilis incrementi, domeſticum tamen exemplum eſt.

DE TARQVINIO PRISCO.

Tarquinium autem Priscũ ad Romanũ imperium occupandum fortuna in vrbem nostram aduexit, alienum, quòd exactum: alieniore, quòd ortum Corintho: fastidiendum, quòd mercatore genitum: erubescendum, quòd etiam exule Demarato natum patre. Cæterum tam prosperum conditionis suæ euentum, industrium pro inuidioso, gloriosum pro inuiso reddidit. Dilatauit enim fines R.o.po. cultũ deorum nouis sacerdotijs auxit, numerum Senatus amplificauit, equestrẽ ordinem vberiorem reliquit: quodq; laudum eius consummatio est, præclaris virtutibus effecit, ne hæc ciuitas, pœnitentiam ageret, quòd regem de finitimis potius mutuata esset, quàm de suis elegisset.

DE TVLLIO SERVIO REGE.

In Tullio vero Seruio fortuna præcipue vires suas ostendit, vernam huic vrbi natũ, regẽ dando: cui quidem diutissime imperiũ obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare cõtigit. Ad summam autẽ, vnde processerit, aut quo peruenerit, statuæ ipsius titulus abunde testatur, seruili cognomine, & regia appellatione perplexus.

DE VARRONE.

Miro quoq; gradu Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit: & quidem fortuna parum duxit sordidissime mercis capturis inquinari solito, XII fasces largiri, nisi etiam L. Aemilium Paulum dedisset collegam: atq; ita se in eius sinum infudit, vt cum apud Cannas culpa

sua vires Po.Ro.exhausisset, Paulum quoq; qui prelium committere noluerat, occidere patere-tur, illum in vrbem incolumẽ reduceret. Quin-etiam senatum gratias ei agentem, quod redire voluisset, ante portas eduxit, excuditque, vt gra-uissimæ cladis authori Dictatura deferretur.

DE M. PERPENNA.

Non paruus consulatus rubor Marcus Perpenna, vtpote qui c o s. anteq̃ ciuis: sed in bello geren-do vtilior aliquanto reip. Varrone imperatore. Regem enim Aristonicum cepit, Crassianæque stragis punitor extitit: cum interim cuius vita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Nãq; patrẽ illius, nihil ad se pertinentia ciuis Romani iura complexum, Sabelli iudicio petitum, redi-re in pristinas sedes coegerunt. Ita Marci Perpẽ næ nomen adumbratum, falsus Consulatus, cali-ginis simile imperium, caducus triumphus alie-na in vrbe improbe peregrinatus est.

DE M. PORCIO CATONE.

Marci vero Porcij Catonis incremẽta publicis vo-tis expetenda fuerunt, qui nomen suum Tu-sculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. or-nata sunt enim ab eo literarum latinarum mo-nimenta, adiuta disciplina militaris, aucta maie-stas senatus, prorogata familia, in qua maximum decus posterior est ortus Cato.

EXTERNA, DE SOCRATE.

Sed vt Romanis externa iũgamus, Socrates non solum hominũ consensu, verumetiam Apollinis oraculo sapiẽtissimꝰ iudicatus, Phœnarete matre

obstetrice, & Sophroniſco patre marmorario genitus, ad clariſſimum lumen gloriæ exceſſit: neque immerito. Nam cum eruditiſſimorũ virorum ingenia in diſputatione cæca vagarentur, menſuraſque Solis & Lunæ & cæterorum ſyderum loquacibus magis quàm certis argumentis explicare conarẽtur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent, primus ab his indoctis erroribus abductum animum ſuum in intima cõditionis humanæ & in ſeceſſum pectoris repoſitos affectus ſcrutari cœgit: ſi virtus per ſeipſam æſtimetur, vitæ magiſter optimus.

DE EVRIPIDE, ET DEMOSTHENE.

Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demoſthenes habuerit, ipſorum quoq; ſeculo ignotum fuit. alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditaſſe, omnium pene doctorum literæ loquuntur. ſed quid aut illius tragica, aut huius oratoria vi clarius?

DE IIS QVI A PARENTIBVS CLARIS DEGENERAVERVNT. Cap. V.

SEquitur duplicis promiſſi pars adopertis illuſtrium virorum imaginibus reddenda: quoniamquidem ſunt referendi, qui ab earum ſplẽdore degenerauerunt, teterrimis ignauiæ ac nequitiæ ſordibus imbuta nobilia portenta.

DE SCIPIONE IGNOBILI FILIO AFRICANI.

Quid enim monſtro ſimilius, q̃ ſuperioris Africa-

ni filius Scipio? Qui in tanta domestica gloria ortus, a paruulo admodum regis Antiochi præsidio capi sustinuit, cum ei voluntaria morte absumi satius fuerit, quàm inter duo fulgentissima cognomina patris & patrui, altero oppressa Africa ea parte, altero ea maiore ex parte recuperata Asia surgere incipiēte, manus vinciēdas hosti tradere, eiusq; beneficio precariū spiritū obtinere, de quo mox L. Scipio specioſissimū Deorū hominūq; oculis subiecturus erat triumphum. Idem prætureę petitor candidā togā adeo turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit, vt nisi gratia Cicerei, qui patris eius scriba fuerat, adiutus esset, honorem a Po. impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit vtrum repulsam, an sic adeptam, prætura domum referret? quam quum propinqui ab eo pollui animaduerterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet. Insuperque è manu eius annulū, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. Dij boni, quas tenebras e quo fulmine nasci passi estis?

DE FILIO Q. FABII DE GENERE.

Age Qu. Fabij Max. Allobrogici & ciuis & imperatoris clarissimi filius Qu. Fabius Max. quàm perditam luxuria vitam egit? Cuius vt cetera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Qu. Pompeius prætor vrbanus paternis bonis interdixit: neq; in tanta ciuitate, qui illud decretum reprehenderet, inuentus est. Doleter enim homines fere

bant, pecuniam quæ Fabiæ gentis splendori seruire debebat, flagitijs dissipari. Ergo quem nimia patris indulgentia hæredem reliquerat, publica seueritas exhæredauit.

DE FILIO CLODII PVLCHRI.

Possedit fauorem plebis Clodius Pulcher, adhærensq; Fuluianæ stolæ pugio, militare decus muliebri imperio subiectum habuit: quorum filius Pulcher præterquam quòd enerue & frigidam iuuentam egit, perdito etiam amore vulgarissimæ meretricis infamis fuit, mortisq; erubescendo genere consumptus est. abdomine enim auide deuorato, fœdę ac sordidæ intemperantiæ spiritum reddidit.

DE HORTENSIO CORBIONE.

Iam. Qu. quidem Hortensij, qui in maximo & ingenuorum ciuium, & amplissimorum prouętu, summum authoritatis atq; eloquentiæ gradum obtinuit, nepos Hortẽsius Corbio, omnibus scortis abiectiorem & obscœniorem vitam exegit: ad vltimumque lingua eius tam libidini cũctorum inter lupanaria prostitit, quàm aui pro salute ciuium in foro excubuerat. Animaduerto in quam periculosum iter processerim. Itaq; meipsum reuocabo, ne si reliqua eiusdem generis naufragia cõsectari perseuerauero, aliqua inutili relatione implicer. Referam igitur pedem, deformesque vmbras in imo gurgite turpitudinis suæ iacere patiar. Satius est enim narrare qui illustres viri in cultu cæteroque vitæ ritu aliqua ex parte nouando sibi indulserunt.

QVI EX ILLVSTRIBVS IN VESTE aut in cætero cultu licentius quàm mos patrius permittebat, indulserunt. Cap. v.

De P. Scipione.

PVblius Scipio, cum in Sicilia augendo exercitum, traijciẽdoque in Africam, opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volueret, inter consilia ac molitiones tantæ rei operam Gymnasio dedit, palliogꝫ & crepidis vsus est. nec hac re segniores Punicis exercitibus manus intulit: sed nescio an ideo alacriores, quia vegeta & strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Crediderim etiam fauorem eum sociorum vberiorẽ se adepturum existimasse, si victum eorum, & solennes exercitationes comprobasset, ad quas tum veniebat, cum multum ac diu fatigasset humeros, & cætera membra militari agitatione firmitatem suam probare coegisset: consistebatqꝫ in illis labor eius, in ijs remissio laboris.

DE L. SCIPIONE.

Lucij vero Scipionis statuam chlamydatã & crepidatam in Capitolio cernimus: quo habitu videlicet quia aliquando vsus erat, effigiem suam formatam poni voluit.

DE L. SYLLA.

Lucius quoque Sylla cum imperator esset, chlamydato sibi & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.

DE CAIO DVELLIO.

Caius autē Duellius, qui primus naualē triūphum ex Pœnis retulit, quotiescunq; epulaturus erat, ad funalē cereum præeunte tibicine, & fidicine, à cœna domum reuerti solitus est, insigne bellicæ rei successum nocturna celebratione testando.

DE PAPYRIO MASSONE.

Nam Papyrius quidē Masso, cū bene gesta Rep. triūmphū à Senatu non impetrasset, in Albano monte triūphandi & ipse initiū fecit, & cæteris postea exemplum præbuit: proq; laurea corona, cū alicui spectaculo interesset, myrtea vsus est.

DE C. MARIO.

Num C. Marij penē insolens factū? Nam post Iugurthinum, Cimbricumque, & Theutonicum triumphum, cantharo semper potauit, quòd Liber pater inclytum ex Asia ducēs triūphū, hoc vsus poculi genere ferebatur: vt inter ipsum haustum vini, victorię eius suas victorias cōpararet.

DE M. CATONE.

Marcus autē Cato Prętor, M. Scauri cæterorumq; reorū iudicia nulla indutus tunica, sed tantummodo amictus prętexta egit. Sed hęc, atque his similia, virtutis aliquid sibi in consuetudine nouanda licentię sumentis indicia sunt. Illis autem quę deinceps subnectam, quantam sui habere fiduciam soleat, cognoscetur.

DE FIDVCIA SVI. Cap. VII.

PVb. & Cn. Scipionibus in Hispania cum maiore parte exercitus acie Punica oppressis, omnibusque prouinciæ eius na-

tionibus Carthaginiensium amicitiã secutis, nullo ducum nostrorum illuc ad corrigendam rem proficiscì audente, P. Scipio quartum & vigesimum annum agens iturum se pollicitus est. Quę quidem fiducia, Populo. R. salutis ac victoriæ spẽ dedit, eadẽq; in ipsa Hispania vsus est. Nam cum oppidum Badiam circunsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intrà mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diem, facere iussit. continuoq; vrbe potitus, & tẽpore & loco quo prædixerat, sella posita, ius eis dixit. Nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. Nec minus animosus, minusve prosper illius in Africam trãsitus, in quam e Sicilia exercitum senatu vetante traduxit, quia nisi plus in ea re suo quàm P. A. CONSC. consilio credidisset, secundi Punici belli finis inuentus nõ esset. Cui facto par illa fiducia, quòd postquã Africam attigit, speculatores Hannibalis in castris deprehensos, & ad se perductos, nec supplicio affecit, nec de consilijs ac viribus Pœnorum percontatus est, sed circa omnes manipulos diligentissime deducendos curauit: interrogatosque an satis ea considerassent quæ speculari iussi erant, prandio dato ipsis, iumentisq; eorum, incolumes dimisit. quo tã pleno fiduciæ spiritu prius animos hostium quàm arma contudit. Verum vt ad domestica eximiæ eius fiduciæ acta veniamus: cum a L. Scipione ex Antiochensi pecunia HS quadragies ratio in curia reposceretur, prola-

to ab eo libro quo acceptæ expẽſæq; ſummæ cõtinebantur, refelliq; inimicorum accuſatio poterat, diſcerpſit: indignatus de ea re dubitari, quæ ſub ipſo legato adminiſtrata fuerat. quinetiã in hunc modum egit, Nõ reddo, P. C. ærario veſtro HS quadragies rationẽ alieni imperij miniſter, quod meo ductu meiſq; auſpicijs bis millies HS vberius feci. Neq; enim adhuc puto eo malignitatis ventum, vt de mea innocentia quærendum ſit. Nam cum Africam totã poteſtati veſtrę ſubiecerim, nihil ex ea quod meum dicerem, præter cognomẽ retuli. Nõ igitur me Punicæ, nõ fratrẽ meum Aſiaticæ gazæ auarum reddiderunt, ſed vterq; noſtrum inuidia magis quàm pecunia locupletior eſt. Tam conſtantem defenſionẽ Scipionis vniuerſus Senatus comprobauit, ſicut illud factum, quod cũ ad neceſſarium reipu. vſum pecuniam ex ærario promi opus eſſet, idq; Quęſtores, quia lex obſtare videretur, aperire non auderẽt, priuatus claues popoſcit, patefactoq; ærario, legem vtilitati cedere coegit. quam quidem fiduciam conſcientia illa dedit, quia meminerat omnes leges a ſe eſſe ſeruatas. Non fatigabor eiuſdem facta identidem referẽdo, quoniam nec ille quidem in conſimili genere virtutis edẽdo fatigatus eſt. Diẽ illi ad populum M. Nęuius Tribu. ple. aut, vt quidam memorãt, duo Petilij dixerant. qui ingenti frequentia in forũ deductus, Roſtra cõſcẽdit, capitiq; ſuo corona triumphali impoſita, hac ego, inquit, Quirites die Carthaginem magna ſperantem, leges noſtras accipere

iussi. proinde æquum est vos mecum ire in Capitolium supplicatũ. Speciosissimam deinde eius vocem æque clarus euentus secutus est. siquidem & senatum totum, & vniuersum equestrẽ ordinem, & cunctam plebem Iouis Opt. Max. puluinaria petens comitem habuit. Restabat vt Trib. apud populum sine populo ageret, desertusq; in foro cũ magno calumniæ suæ ludibrio solus moraretur. cuius deuitandi ruboris causa, in capitolium processit, decq; accusatore, Scipionis venerator est factus.

DE SCIPIONE AEMILIANO.

Auiti spiritus egregius successor Scipio Aemilianus, cum vrbem præualidam obsideret, suadentibus quibusdã vt circa mœnia eius ferreos mures spargeret, omniaq; vada tabulis plumbatis consterneret habentibus clauorum cacumina, ne subita eruptione hostes in præsidia nostra impetum facere possent, respondit non esse eiusdẽ & capere aliquos velle, & timere.

DE SCIPIONE NASICA.

In quãcũq; memorabilium partem exemplorum conuertor, velim nolimve, in cognomine Scipionum hæreã necesse est. Cui enim liceat hoc loci Nasicam præterire, fidentis animi dictiq; clarissimũ authorẽ? Annonæ caritate increbrescente, C. Curiatius Tribu. ple. productos in concionem c o s s. compellebat, vt de frumento emendo, atq; ad id negocium explicandum mittendis legatis in curiam referrent. Cuius instituti minime vtilis interpellandi gratia Nasica cõtrariam

actionem ordiri cœpit. obstrepente deinde plebe, Tacete quæso quirites, inquit. plus enim ego quàm vos quid reipu. expediat intelligo. qua voce audita omnes pleno venerationis silentio maiorem authoritatem eius quàm suorum alimentorum respectum egerunt.

DE LIVIO SALINATORE.

L iuij quoque Salinatoris æternæ memoriæ tradendus animus: qui cum Asdrubalem, exercitumque Pœnorum in Vmbria delessēt, & ei diceretur Gallos ac Ligures ex acie sine ducibus & signis sparsos ac palantes, parua manu opprimi posse, respondit in hoc eis oportere parci, ne hostibus, tantę cladis domestici nũcij deessent.

DE P. FVRIO PHILO.

B ellica hæc præstantia animi, togata illa, sed non minus laudabilis, quam Publius Furius Philus cos. in senatu exhibuit. Qu. enim Metellũ, Qu. q̃ Pompeium consulares viros vehementer inimicos suos, cupitam sibi profectionẽ in prouinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrãtes, legatos secum illuc ire coegit: fiduciam non solum fortem, sed pene etiam temerariam exhibens: quæ duobus acerrimis odijs latera sua cingere ausa est, vsumq̃ ministerij vix tutum in amicis, e sinu inimicorum petere sustinuit.

DE L. CRASSO.

C uius factum si cui placet, necesse est L. etiã Crassi, qui apud maiores eloquentia clarissimus fuit, propositum non displiceat. nam cum ex consule

prouinciam Galliam obtineret, atq; in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad ſpeculanda acta ſua veniſſet, non ſolum eum inde non ſummouit, ſed inſuper locum ei in tribunali aſſignauit, nec vlla de re niſi eo in conſiliũ adhibito cognouit. Itaq; acer & vehemẽs Carbo nihil aliud Gallica peregrinatione conſecutus eſt, q̃ vt animaduerteret ſontem patrem ſuum ab integerrimo viro in exilium miſſum.

DE CATONE SVPERIORE.

Cato vero ſuperior ſæpenumero ab inimicis ad cauſæ dictionẽ vocatus, nec vllo vnquã crimine conuictus, ad vltimum tantum fiduciæ in ſua innocẽtia repoſuit, vt ab his in quæſtionem publicam deductus, T. Gracchũ, a quo in adminiſtratione reipu. ad multum odium diſſidebat, iudicẽ depoſceret. Qua quidem animi præſtantia pertinaciam eorum inſectandi ſe inhibuit.

DE M. SCAVRO.

Eadem M. Scauri fortuna: æque ſenectus longa ac robuſta: idem animus: qui cũ pro Roſtris accuſaretur quòd a rege Mithridate ob rempu. prodendam pecuniam accepiſſet, cauſam ſuam ita egit. Eſt enim Quirites iniquũ, cũ inter alios vixerim, apud alios me rationẽ vitæ reddere. Sed tamen audebo vos, quorum maior pars honoribus & actis meis intereſſe non potuit, interrogare. Varius Sucronenſis M. Aemiliũ Scaurũ regia mercede corruptum, imperiũ Po. Ro. prodidiſſe ait: M. Aemilius Scaurus huic ſe affinẽ eſſe culpæ negat. vtri creditis? Cuius dicti admiratione po-

pulus commotus, Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.

DE M. ANTONIO.

Contra M. Antonius ille disertus. Nõ enim respuẽdo, sed amplectendo causæ dictionem, quàm innocens esset, testatus est. Quæstor proficiscens in Asiam, Brũdusiũ iam peruenerat, vbi literis certior factus incesti se postulatũ apud L. Cassium Prætorem, cuius tribunal propter nimiam seueritatẽ scopulus reorũ dicebatur, cũ id vitare beneficio legis Memię liceret, quæ eorum qui reip. causa abessent, recipi nomina vetabat, in vrbẽ tamen recurrit: quo tam pleno fiduciæ bonæ cõsilio tum absolutionem celerem, tum profectionẽ honestiorem consecutus est.

DE SENATV ROMANO.

Sunt & illa specioſæ fiduciæ publica exẽpla. Nam cum eo bello quod aduersus Pyrrhũ gerebatur, Carthaginiẽses C. ac. xxx. nauiũ classem in præsidium Romanis Hostiã vltro misissent, senatui placuit, legatos eorum ad ducem ire, qui dicerẽt, Po. Ro. bella susc ipere solere, quæ suo milite gerere posset. proinde classem Carthaginem reducerent. Idem post aliquot annos Cannensi clade exhaustis Romani imperij viribus, supplementum exercitus in Hispaniam mittere ausus, fecit ne hostilium locus castrorum, tum maxime Capenam portam armis Hãnibale pulsante, minoris veniret, quàm si illum Pœni non obtinerent.

» Ita se gerere in aduersis rebus, quid aliud est, q̃
» sæuientem fortunam in adiutorium sui pudore

victam conuertere?

DE ACCIO POETA.

Magno spacio diuisus est a senatu ad poetã Acciũ transitus. Cæterũ vt ab eo decentius ad externa trãseamus, producatur in mediũ. Is Iulio Cæsari amplissimo & florẽtissimo viro in collegiũ poetarum venienti nunquam assurrexit, nõ maiestatis eius immemor, sed quòd in comparatione cõmunium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret: quapropter insolẽtiæ crimine caruit: quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur.

EXTERNA.

DE EVRIPIDE TRAGICO.

Nec Euripides quidem Athenis arrogãs visus est, cum postulante populo vt ex tragœdia quandã sentẽtiam tolleret, progressus in scenam, dixit se vt eum doceret, non vt ab eo discceret, fabulas cõponere solere. Laudãda profecto fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantum sibi arrogans, quantum a contemptu & insolentia distare satis est. Itaque & quod Alcesti di tragico poetæ respondit, probabile: apud quẽ cum quereretur quòd eo triduo non vltra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur, sed hoc, inquit, interest, quòd tui in triduum tantũmodo, mei vero in omne tẽpus sufficient. Alterius enim fœcundi cursus scripta, intra primas memoriæ metas corruerunt, alterius cunctante stylo elucubratũ opus, per omne æui

tempus plenis gloriæ velis feretur.

DE ANTIGENIDA.

Adijciam ſcenæ eiuſdē exemplū. Antigenidas tibicen diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parū feliciter populo ſe approbanti, cunctis audientibus, dixit: Mihi cane & muſis. quia videlicet perfecta ars fortunæ lenocinio defecta, iuſta fiducia non exuitur: quāq; ſcit ſe laudem meritam, eam etſi ab alijs non impetrat, domeſtico tamen acceptā iudicio refert.

DE ZEVSI PICTORE.

Zeuſis autē cū Helenā pinxiſſet, quid de eo opere homines cenſuri eſſent, expectandū non putauit, ſed protinus hos verſus græcos adiecit:

Οὐνέμεσις τρῶάς τε, καὶ ἐυκνημίδας ἀχαιούς
Τοίηδ' ἀμφὶ γύναικι πολύν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Αἰνῶς ἀθανάτησι θεᾶις εἰς ὦπα ἐοικεν.

Adeo dexteræ ſuæ multum pictor arrogauit, vt ea tantum forma comprehenſum crederet, quātum aut Leda cæleſti partu edere, aut Homerus diuino ingenio exprimere potuit.

DE PHIDIA.

Phidias quoq; Homeri verſibus egregio dicto aluſit. Simulacro enim Iouis Olympij perfecto, quo nullum præſtantius aut admirabilius humanæ fabricatę ſunt manus, interrogatus ab amico, quonam mentem ſuam dirigens, vultum Iouis propemodum ex ipſo cælo petitū, eboris lineamentis eſſet amplexus, illis ſe verſibus quaſi magiſtro vſum reſpondit:

ἢ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

DE EPAMINVNDA.

Non patiuntur me tenuioribus exemplis diutius insistere fortissimi duces. siquidem Epaminundas cum ei ciues irati, sternendarum in oppido viarum contumelię causa curam mandarēt (erat enim illud ministerium apud eos sordidissimū) sine vlla cunctatione id recepit, daturūq; se operam, vt breui speciosissimum fieret, asseuerauit. mirifica deinde procuratione abiectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetēdum Thebis reddidit.

DE HANNIBALE.

Hannibal vero cum apud regē Prusiā exularet, authorq; ei cōmittēdi prælij esset, atq; is non idem sibi extis portendi diceret: an tu, inquit, vitulinæ carunculę, quàm imperatori veteri mauis credere? Si verba numeres, breuiter & absciſſe: si sensum æstimes, copiosè & valēter. Hispanias enim direptas Po. Ro. & Galliarū ac Liguriæ vires in suam redactas potestatē, & nouo transitu Alpiū iuga patefacta, & Thrasimenū lacū dira inustū memoria, & Cānas Punicæ victorię clarissimū monimentū, & Capuam possessam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit, vniuſq; hostiæ iocinori, longo experimento testatā gloriam suam postponi æquo animo non tulit. Et sanè quod ad exploranda bellica sacrificia,

æſtimandoq; militares ductus attinebat, omnes foculos, omnes aras Bithyniæ, Marte ipſo iudice pectus Hannibalis prægrauaſſet.

DE COTYE.

Capax generoſi ſpiritus illud quoq; dictum regis Cotys. vt enim ab Athenienſibus ciuitatem ſibi datam cognouit, & ego, inquit, illis meæ gentis ius dabo. Aequauit Athenis Thraciã, ne viciſſitudine talis beneficij imparem ſe iudicando, humilius de origine ſua ſentire exiſtimaretur.

DE VTROQVE SPARTANO.

Nobiliter etiã vterq; Spartanus, & qui increpitus à quodam, quòd in aciem claudus deſcenderet, Pugnare, non fugere propoſitum ſibi eſſe reſpõdit: & qui referente quodam ſagittis Perſarum Solem obſcurari ſolere: Bene narras, inquit. in vmbra enim melius præliabimur. Vir eiuſdem vrbis, atq; animi, hoſpiti ſuo patriæ muros excelſos latoſque oſtendenti, dixit: Si mulieribus iſtos comparaſtis, recte: ſi viris, turpiter.

DE CONSTANTIA. Cap. VIII.

APtum & animoſum bonę fiduciæ pectus emẽſo, quaſi debitum opus ſupereſt, conſtantiæ repræſentare naturam. Natura enim ſic comparatum eſt, vt quiſquis ſe aliquid ordine ac recta mente complexum confidit, vel iam geſtum, ſi obtrectetur, acriter tueatur: vel nõdum editum, ſi interpelletur, ſine vlla cunctatione ad effectum perducat.

DE FVLVIO.

Sed dum exẽplar propoſitæ rei proſequor, latius mihi circunſpicienti, ante omnia ſe Fuluij Flacci conſtantia offert. Capuam fallacibus Hannibalis promiſſis Italiæ regnũ nefaria defectione paciſci perſuaſam, armis occupauerat: tãdem culpæ hoſtium tam iuſtus æſtimator, quàm ſpecioſus victor, Capuanum Senatum imperij decreti authorem funditus delere conſtituit. Itaque catenis onuſtum in duas cuſtodias, Theanam, Calenamque diuiſit, conſilium executurus, cum ea peregiſſet, quorum adminiſtrandorum celerior eſſe neceſſitas videbatur. Rumore deinde de Senatus mitiore ſententia orto: ne debitam pœnã ſceleraſti effugerent, nocte admiſſo equo Theanam contendit, interfectiſq; qui ibi aſſeruabantur, eueſtigio Calenam tranſgreſſus, perſeuerãtiæ ſuæ opus executus eſt: & iam deligatis ad palum hoſtibus, literis à P. C. nequicquã Capuanis ſalutares accepit. In ſiniſtra enim eas manu ſicut erant traditæ repoſuit, ac iuſſo lictore lege agere, tunc demum aperuit, poſtquam illis obtemperari non poterat. Qua conſtantia victoriæ quoq; gloriam antecellit: quia ſi eum intra ſeipſum partita laude æſtimes, maiorem punita Capua, quàm capta reperies.

DE Q. FABIO MAXIMO.

Atque iſta quidem ſeueritatis, illa vero pietatis conſtantia admirabilis, quam Qu. Fabius Max. infatigabilẽ patriæ præſtitit. pecuniã pro captiuis Hãnibali numerauit. fraudatus ea publice, tacuit. Dictatori ei magiſtrũ equitũ Minutiũ iure

imperij ſenatus æquauerat. ſilentium egit. com pluribus præterea iniurijs laceſſitus, in eodem animi habitu permanſit: nec vnquam ſibi Reipublicæ permiſit iraſci. tam perſeuerans in amore ciuium fuit. Quid in bello gerendo? nonne par eius conſtantia? Imperium Ro. Cannenſi prælio penè deſtructũ, vix ſufficere ad exercitus cõparandos videbatur. Itaque fruſtrari & eludere Pœnorum impetus, quàm manum cum ijs tota acie conſerere melius ratus, pluribus comminationibus Hannibalis iritatus, ſæpe etiam ſpe bene gerendæ rei oblata, nunquam à conſilij ſalubritate ne parui quidem certaminis diſcrimine receſſit: quodq; eſt difficillimum, vbique ira ac ſpe ſuperior apparuit. ergo vt Scipio pugnando, ita hic non dimicando maxime ciuitati noſtræ ſuccurriſſe viſus eſt. Alter enim celeritate ſua Carthaginem oppreſſit: alter cũctatione id egit, ne Roma opprimi poſſet.

DE C. PISONE, ET M. PALICANO.

Caium etiam Piſonem mirifice & conſtanter turbulento Reip. ſtatu egiſſe cos. narratione inſequenti patebit. M. Palicani ſeditioſiſſimi hominis peſtiferis blanditijs præreptus populi fauor, conſularibus comitijs ſummum dedecus admittere conabatur, ampliſſimũ ei deferre imperium cupiẽs: cuius teterrimis actis exquiſitum potius ſupplicium, q̃ vllus honos debebatur. Nec deerat conſternatæ multitudini furialis fax tribunitia, quæ temeritatem eius & ruentem comitaretur, & languentem actionibus ſuis inflammaret.

In hoc miſerando pariter atq; erubeſcendo ſtatu ciuitatis tantũmodo manibus Tribunorum pro Roſtris Piſo collocatus eſt. cum hinc atque illinc eum ambiſſent, ac Palicanum ſuffragijs populi cos. creatum an renunciaturus eſſet interrogaretur, primo reſpondit non exiſtimare ſe tantis tenebris offuſam eſſe Rempu. vt huc indignitatis venirent. Deinde cum perſeueranter inſtarent, ac dicerent: Age, ſi ventum fuerit: Non renunciabo, inquit. quo quidem tam abſciſſo reſponſo conſulatum Palicano, prius quàm illum adipiſceretur, eripuit. Multa & terribilia Piſo contẽpſit, dum ſpecioſum mentis ſuæ flecti non vult rigorem.

DE METELLO.

Metellus autem Numidicus propter cõſimile perſeuerantiæ genus excepit quoque indignam maieſtate ac moribus ſuis procellam. Cum enim animaduerteret quò tenderent Saturnini Trib. ple. funeſti conatus, quantoque malo Reipubliçę, ſi non his occurreretur, erupturi eſſent: in exilium quàm in legem eius ire maluit. Poteſt aliquis hoc viro dici conſtantior? qui ne ſententia ſua pelleretur, patria, in qua ſummum dignitatis gradum obtinebat, carere ſuſtinuit.

DE Q. SCAEVOLA.

Cæterum vt neminem ei prętulerim, ita Qu. Scæuolam Augurem merito compararim. Depulſis proſtratiſq; inimicorum partibus, Sylla occupata vrbe, ſenatũ armatus coegerat, ac ſumma cupiditate ferebatur, vt C. Marius quamcelerrime hoſtis iudicaretur. cuius voluntati nullis ob-

uiam ire audentibus, ſolus Scęuola interrogatus de hac re, ſententiam dicere noluit: quinetiã truculentius ſibi minitanti Syllæ, licet, inquit, mihi agmina militum quibus curiam circunſediſti, oſtentes, licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies vt propter exiguum ſenilẽque ſanguinem meum, Marium, à quo vrbs & Italia conſeruata eſt, hoſtem iudicem.

DE SEMPRONIA.

Quid fœminæ cum concione? ſi patrius mos ſeruetur, nihil. ſed vbi domeſtica quies ſeditionũ agitata fluctibus eſt, priſcę conſuetudinis authoritas conuellitur: pluſque valet quod violentia cogit, quàm quod ſuadet & præcipit verecundia. Itaque te Sempronia Tib. & C. Gracchorum ſoror, vxor Scipionis Aemiliani, non vt abſurde grauiſſimis virorum operibus inſerens, maligna relatione comprehẽdam: ſed quia a Trib. ple. producta ad populum, in maxima confuſione nihil à tuorum amplitudine degeneraſti, honorata memoria proſequar. Coacta es eo loci cõſiſtere, vbi principum ciuitatis perturbari frons ſolebat. Inſtabat enim tibi toruo vultu minas profundens ampliſſima poteſtas, cum clamore imperitę multitudinis obſtreperet totum forum, & acerrimo ſtudio nitebat, vt Equitio, cui Semproniæ gentis falſum ius quærebatur, tanquam filio Tiberij fratris tui oſculum dares: tu tamen illum neſcio quibus tenebris protractũ, vt portentum, execrabili audacia ad vſurpandam alienam propinquitatem tendentem repuliſti.

DE CENTVRIONIBVS.

Non indignabuntur lumina noſtræ vrbis, ſi inter eorum eximium fulgorem, Centurionum quoq; virtus ſpectandam ſe obtulerit. Nam vt humilitas amplitudinem venerari debet, ita nobilitate fouenda magis, quàm ſpernenda bonæ indolis nouitas eſt. An abigi debet Pontius ab horum exemplorum cõtextu? qui pro Cæſaris partibus excubans, Scipionis præſidio interceptus, cum vno modo ſalus ei daretur, ſi ſe futurũ Cn. Pompeij generi ipſius militem affirmaſſet, ita reſpondere non dubitauit. Tibi quidem Scipio gratias ago: ſed mihi vti iſta conditione vitæ non eſt opus. Sine vllis imaginibus nobilem animum, & idem conſtantiæ propoſitum ſecutus C. Meuius Centurio diui Auguſti, cũ Antoniano bello ſæpenumero excellentes pugnas edidiſſet, improuiſis hoſtium inſidijs circunuentus, & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatuſque quidnam de eo ſtatui deberet, iugulari me, inquit, iube: quia non ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſſum, vt aut Cæſaris miles deſinam, aut tuus eſſe incipiam. Cæterum quo conſtantius vitam contempſit, eo facilius impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem tribuit.

EXTERNA.

DE BLASIO.

Complura huiuſce notæ Romana exẽpla ſuperãt, ſed ſatietas modo vitanda eſt. Itaq; ſtylũ meum ad externa iam delabi permittam: quorũ principatũ teneat Blaſius, cuius conſtantia nihil perti-

nacius. Salapiam enim patriam ſuam præſidio Punico occupatam Romanis cupiẽs reſtituere, Daſium acerrimo ſtudio ſecum in adminiſtratione Reipublicæ diſſidentem, & alioqui toto animo Hannibalis amicitiæ vacãtem, ſine quo propoſitum conſilium peragi non poterat, ad idem aggrediendũ opus maiore cupiditate, quàm ſpe certiore, tentare auſus eſt. qui protinus ſermonem eius, adiectis quæ & ipſum commendatiorem, & inimicum inuiſiorem factura videbantur, Hannibali retulit, â quo adeſſe iuſſi ſunt, vt alter crimen probaret, alter defenderet. Cæterum cum res pro tribunali gereretur, & illi quæſtioni omnium oculi eſſent intenti: dum aliud forte certioris curæ negociũ tractatur, Blaſius vultu diſſimulante, ac voce ſummiſſa monere Daſium cœpit, vt Romanorum potius quàm Carthaginienſium partes foueret. Enimuero tũc ille proclamat, ſe in conſpectu ducis aduerſus eum ſolicitari. quod quia incredibile exiſtimabatur, & ad vnius tantum aures penetrauerat, & iactabatur ab inimico, veritatis fide caruit: ſed nõ ita poſt multo Blaſij mira conſtantia Daſium ad ſe traxit; Marcelloque & Salapiam, & quingentos Numidas, qui in ea cuſtodiæ cauſa erant, tradidit.

DE PHOCIONE.

Phocion vero cum Athenienſes rem aliter quàm ipſe ſuaſerat, proſpere adminiſtraſſent, adeo perſeuerans cõſtantiæ ſuę propugnator extitit, vt in concione lætari quidem ſe ſucceſſu eorum, ſed conſilium tamen ſuum aliquanto melius fuiſſe

diceret. Non enim damnauit quod recte viderat, quia quod alius male consuluerat, bene gesserāt: felicius illud existimans, hoc sapientius. Plerūq; » enim temeritatem casus iuuat, vbi prauo cōsilio » propius aspirat, & quo vehemētius noceat, despe » ratius prodest. Placidi sanè & misericordes & liberales, omniq; suauitate tēperati mores Phocionis: quos optime profecto consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. Itaque constantia, quæ natura rigidior videtur, lenis e mansueto pectore fluxit.

DE SOCRATE.

ocratis autem virilitatis robore palliatus animus aliquanto præstantius perseuerantiæ exemplum edidit. Vniuersa ciuitas Athenienſium iniquissimo ac truculentissimo errore instructa, de capite decem Prætorum, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleuerant, tristem sententiam tulerat. Forte tunc eius potestatis Socrates, cuius arbitrio plebiscita ordinarentur, indignum iudicans tot & tā benemeritos ex indigna causa impetu inuidiæ abripi, temeritati multitudinis cōstantiam suam obiecit, maximoq; concionis fragore, & incitatissimis minis compulsus nō est vt se publicæ dementiæ authorem ascriberet: quæ oppositu eius legitima grassari via prohibita, iniusto Prætorum cruore manus suas contaminare perseuerauit. nec timuit Socrates ne consternatæ patrię vndecimus furor mors ipsius existeret.

DE EPHILATE.

Proximum, etsi non eiusdem splendoris est, tamẽ certum constantiæ haberi potest experimentũ, efficacis operæ forensis, fidei non latentis. Athenis Ephilates accusare publice iussus, & inter cæteros Demostrati nomen deferre coactus est, cuius filius erat Democharis, excellentis formæ puer, animo eius flagrantissimo inhærens amore. Itaque communis officij sorte truculentus accusator, priuati affectus conditione miserabilis reus, puerum ad se exorandum quo parcius patris criminibus insisteret, venientem, neq; repellere, neq; supplicem genibus suis aduolutum intueri sustinuit, sed operto capite flẽs & gemẽs preces expromere passus est, nihiloq; minus syncera fide accusatum Demostratum damnauit. Victoriam nescio laude, an tormẽto maiore partam: quoniam prius quàm fontem opprimeret, seipsum vicit Ephilates.

DE SYRACVSANO DIONE.

Quem Syracusanus Dion diuersitate exempli prægrauat, qui quibusdã monẽtibus vt aduersus Heraclidem & Calippũ, quorum fidei plurimũ credebat, tanquã insidias ei nectentes cautior esset, respondit se vita malle excedere, q̃ in metu violentæ mortis amicos inimicosq; iuxta ponere. Quod sequitur: & rei ipsius admiratione, & claritate authoris illustre.

DE ALEXANDRO MAGNO.

Alexander Macedonũ rex inclyta iam pugna excellentissimis opibus Darij contusis, æstu & itineris feruore in Cilicia percalefactꝰ, Cydno, qui

aquæ liquore conſpicuus Tarſum interfluit, corpus ſuum immerſit. ſubito deinde ex nimio hauſtu rigore obſtupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanimatione totius exercitus in oppidum caſtris propinquum defertur. iacebat æger Tarſi, inq; valetudine eius aduerſa, inſtantis victoriæ ſpes fluctuabat. Itaque conuocati medici attentiſſimo conſilio ſalutis remedia circũſpiciebant. qui cum ad vnam potionem ſententiam direxiſſent, atque eam Philippus medicus ſuis manibus temperatam Alexandro (erat autem ipſius amicus & comes) porrexiſſet, a Parmenione miſſæ literę ſuperuenerunt, admonentes, vt rex inſidias Philippi perinde ac pecunia corrupti a Dario caueret. quas cum legiſſet, ſine vlla cunctatione medicamentum hauſit, ac tunc legendas Philippo tradidit. pro quo tã cõſtanti erga amicũ iudicio, digniſſimã a Dijs immortalib⁹ mercedẽ recepit, qui incolumitatis eius pręſidiũ falſo interpellari indicio noluerũt.

VALERII MAXIMI LIBER IIII. DE ANIMI MODERATIONE. CAP. I.

TRanſgrediar ad ſaluberrimã partem animi moderationem, quæ mentes noſtras impotentiæ & temeritatis incurſu tranſuerſas ferri non patitur: quo euenit vt reprehenſionis morſu ſit vacua, & laudis quæſtu ſit opulentiſſima. Itaque effectus ſuos in claris viris recognoſcat.

DE P. VALERIO PVBLICOLA.

Atque vt ab incunabulis ſummi honoris incipiã, P. Valerius, qui populi maieſtatem venerando, Publicolæ cognomen aſſecutus eſt, cum exactis regibus imperij eorum vim vniuerſam, omniaq; inſignia ſub titulo conſulatus in ſe tralata cerneret, inuidioſum magiſtratus faſtigium moderatione ſua ad tolerabilem habitum deduxit, faſces ſecuribus vacuefaciendo, & in concione populo ſummittendo. numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, vltro Spurio Lucretio collega aſſumpto: ad quem, quia maior natu erat, priores faſces transferri iuſſit. legem etiam comitijs centuriatis tulit, ne quis magiſtratus ciuem Romanum aduerſus prouocationem verberare aut necare vellet. Ita quo ciuitatis conditio liberior eſſet, imperium ſuum paulatim deſtruxit. Quid quòd ædes ſuas diruit, quia excelſiore loco poſitę, inſtar arcis habere videbantur? Nonne quantum domo inferior, tantum gloria ſuperior euaſit?

DE FVRIO CAMILLO.

Vix iuuat abire a Publicola, ſed venire ad Furium Camillum libet, cuius tam moderatus ex magna ignominia ad ſummum imperium trãſitus fuit, vt cum præſidium eius ciues capta vrbe a Gallis Ardeæ exulantis petiſſent, non prius Veios ad accipiendum exercitum iret, quàm de dictatura ſua omnia ſolenni iure acta comperiſſet. Magnificus Camilli Veientanus triũphus, egregia Gallica victoria, ſed iſta cunctatio longe admirabilior. Multo enim, multoq; ſeipſum quàm

hoſtem ſuperare operoſius eſt, nec aduerſa propera feſtinatione fugientem, nec ſecunda effuſo gaudio apprehendentem.

DE M. RVTILIO CENSORINO.

PAr Furio moderatione M. Rutilius Cenſorinus. Iterum enim Cenſor creatus, ad concionem populũ vocatum, q̃ potuit grauiſſima oratione corripuit, quòd eam poteſtatem bis ſibi detuliſſet, cuius maiores, quia nimis magna videretur, tempus coartandum iudicaſſent. Vterq; recte, & Cẽſorinus, & populus. alter enim, vt moderate honores crederent, præcepit, alter ſe moderato credidit.

DE L. QVINTIO.

AGe, L. Quintius Cincinnat⁹ qualẽ cõſulatũ geſſit? Cum honorem eius P. C. cõtinuare vellent, non ſolum propter illius egregia opera, ſed etiã quòd populus eoſdem tribunos in proximũ annũ creare conabatur, quorũ neutrum iure fieri poterat, vtrũq; diſcuſſit, ſenatus ſtudium ſimul inhibendo, & tribunos verecundiæ ſuæ exemplum ſequi cogendo: atq; vnus cauſa fuit vt ampliſſimus ordo populuſq; tutus eſſet ab iniuſti facti reprehenſione.

DE FABIO MAXIMO.

FAbius vero MAX. cum a ſe quinquies, & a patre auo, proauo, maioribuſq; ſuis ſæpenumero conſulatũ geſtũ animaduerteret, in comitijs quibus filius ſuus ſummo cõſenſu COS. creabatur, quàm potuit conſtãter cũ populo egit, vt aliquando vacationem huius honoris Fabiæ genti daret, non

quòd virtutibus filij diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Quid hac moderatione efficacius aut valentius, quæ etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superauit?

DE AFRICANO SVPERIORE.

Non defuit maioribus grata mens ad præmia superiori Africano exoluenda. Siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati. voluerunt illi statuas in Comitio, in Rostris, in Curia, in ipsa denique Iouis Opti. Maxi. cella ponere. Voluerunt imaginem eius triumphali ornatu indutam capitolinis puluinaribus applicare. Voluerunt ei continuum per omnes vitæ annos consulatum, perpetuamq; dictaturam tribuere: quorum sibi nihil neq; plebiscito dari, neq; Senatusco̅sulto decerni patiẽdo, pene tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum egerat in merendis.

DE EODEM AFRICANO.

Eodem robore mentis causam Hannibalis in senatu protexit, cum eum ciues sui missis legatis tãquam seditiones apud eos mouentem accusarẽt. adiecit quoq; non oportere P. C. se reip. Carthaginiẽsium interponere: altissimaq; moderatione alterius saluti consuluit, alterius dignitati, victoriâ tenus vtriusq; hostem egisse contentus.

DE M. MARCELLO.

At M. Marcellus, qui primus & Hannibalem vinci, & Syracusas capi posse docuit, cum in consulatum eius Siculi de eo questũ in vrbẽ veniissent, nec senatum vlla de re habuit, quia collega Vale-

rius Leuinus forte aberat, ne ob id Siculi in querendo timidiores essent: & vt is redijt, vltro de his admittendis retulit, querentesq; de se patienter sustinuit: iussos etiam a Leuino discedere, remanere, vt suæ defensioni interessent, coegit: ac deinde vtraq; parte perorata, etiam excedētes curia subsecutus est, quo liberius senatus sententiā ferret: improbatisque eorum querelis, supplices & orantes vt ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit: super hæc Siciliam sortitus, eam prouinciam collegæ cessit. Toties laudatio Marcelli variari potest, quoties nouis ipse gradibus moderatione aduersus sociosvsus est.

DE T. GRACCHO TRIBVNO PLEBIS.

Quàm etiā Tiberius Gracchus admirabilē se exhibuit? Tribunus enim plebis cū ex professo inimicitias cū Africano & Asiatico Scipionibus gereret, & Asiaticus iudicatæ pecuniæ satisdare non posset, atq; ideo a c o s. in vincula publica duci iussus esset, appellassetq; collegium tribunorum: nullo volēte intercedere, secessit a collegis, decretūq; cōposuit, nec quisquā dubitauit quin eo scribēdo, irati hostis aduersus Asiaticū verbis vsurus esset. At is iurauit primum cum Scipionibus se in gratiam nō rediisse: deinde tale decretum recitauit: Cū L. Cornelius Scipio die triūphi sui ante currum actos hostiū duces in carcerē coniecerit, indignū & alienū a maiestate P. R. videri, eundē ipsū duci: itaq; id nō passurū fieri. Libēter tūc opinionē suā P. R. a Graccho deceptā cognouit, moderationēq; eius debita laude prosecutus est.

DE C. CLAVDIO NERONE.

Caius quoque Claudius Nero inter cætera præcipuæ moderationis exempla numerandus est. Liuij Salinatoris in Asdrubale opprimendo particeps gloriæ fuerat, & tamen eum triumphantem equo sequi, quàm triumpho, quem ei senatus æque decreuerat, vti maluit, quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat. sine curru ergo triumphauit, eo quidem clarius, quòd illius victoria tantummodo laudabatur, huius etiam moderatio.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Nec Africanus quidem posterior nos de se patitur tacere, qui Censor cum lustrũ conderet, inq; solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solẽni eius precationis carmine præiret, quo Dij immortales vt po. Ro. res meliores amplioresq; facerent rogabantur, Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. Itaq; precor, vt eas perpetuò incolumes seruent. ac protinus in publicis tabulis ad hũc modũ carmen emẽdari iussit. Qua votorũ verecũdia deinceps Censores in condendis lustris vsi sunt. Prudenter enim sensit tũc incrementũ Romano imperio petẽdum fuisse, cũ intra septimũ lapidem triũphi quærebãtur: maiorẽ autẽ totius terrarum orbis partẽ possidenti, vt auidũ esset quicquã vltra appetere: ita abũde felix, si nihil ex eo qđ obtinebat amitteret. Neq; alia in eius Censura moderatio pro tribunali apparuit. Cẽturias recognoscẽs equitum, postq; C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animaduertit, dixit illũ se scire verbis conceptis peieraſſe: proinde si quis eum

accuſare vellet, vſurum teſtimonio ſuo. ſed nullo ad id negotium accedente, Traduc equũ, inquit, ſacerdos, ac lucrifac cenſoriam notam, ne ego in tua perſona, & accuſatoris, & teſtis, & Cẽſoris, & iudicis partes egiſſe videar.

DE Q. SCAEVOLA.

Quod animi temperamentum etiam in Quinto Scæuola excellentiſſimo viro adnotatum eſt. teſtis nanq; in reum productus, cũ id reſpõdiſſet, quod ſalutẽ periclitãtis magnopere læſurũ videbatur, diſcedens adiecit, ita ſibi credi oportere, ſi & alij idem aſſeueraſſent: quoniã vnius teſtimonio aliquem credere, peſſimi eſſet exempli. Et religioni igitur ſuæ debitã fidem, & communi vtilitati ſalubre conſilium reddidit.

DE METELLO MACEDONICO.

Sentio quos ciues, quæve facta eorũ ac dicta q̃ anguſto ambitu orationis amplectar: ſed cũ magna mihi & multa breuiter dicẽda ſint, claritate excellentibus infinitis perſonis rebuſq; circunfuſus, vtrunq; præſtare non poſſum. Itaque propoſiti quoq; noſtri ratio nõ laudãda ſibi omnia, ſed recordanda ſumpſit. Quapropter bona cũ venia duo Metelli, Macedonicus, & Numidicus, maxima patriæ ornamenta, ſtrictim ſe narrari patiẽtur. Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorũq; ab æmulatione virtutis profecta contentio, ad graues teſtataſque inimicitias progreſſa fuerat. Sed tamẽ cũ interẽptum Scipionẽ cõclamari audiſſet, in publicũ ſe proripuit, mœſtoq; vultu, & voce cõfuſa, cõcurrite, cõ

currite, inquit, ciues, mœnia noſtræ vrbis euerſa ſunt. Scipioni enim Africano intra ſuos penates quieſcēti nefaria vis allata eſt. O Remp. pariter Africani morte miſerā, & Macedonici tam humana tamq; ciuili lamētatione felicem. Eodem enim tempore & quantum amiſiſſet principē, & qualē haberet, recognouit. Idem filios ſuos monuit, vt funebri eius lecto humeros ſubijcerent, atq; huic exequiarum illum honorem vocis adiecit, non fore vt poſtea id officium ab illis maiori viro pręſtari poſſet. Vbi illa tot in curia iurgia? Vbi tā multæ pro roſtris altercationes? Vbi maximorum ciuium & ducum tantorum togata prælia? Omnia nimirum iſta præcipua veneratio ne proſequenda deleuit moderatio.

DE METELLO NVMIDICO.

Numidicus autem Metellus populari factione patria pulſus, in Aſiam ſeceſſit: in qua cum ei forte ludos Trallibus ſpectanti literæ redditæ eſſent, quibus ſcriptū erat, maximo Senatus & populi conſenſu reditum illi in vrbē datū, non è theatro prius abijt, quàm ſpectaculum ederetur, non lætitiam ſuam proxime ſedentibus vlla ex parte patefecit, ſed ſummum gaudium intra ſe continuit. Eundem conſtat pari vultu & exulē fuiſſe, & reſtitutū: adeo moderationis beneficio medius ſemper inter ſecundas & aduerſas res animi firmitate verſatus eſt.

DE CATONE POSTERIORE.

Tot familijs in vno genere laudis enumeratis, Porcium nomen velut expers huiuſce gloriæ ſilentio

prætereundum ſe negat. Poſterior Cato non paruo ſummæ moderationis fiſus indicio, cypriacã pecuniam maxima cum diligentia & ſanctitate in vrbem deportauerat, cuius miniſterij gratia ſenatus relationẽ interponi iubebat, vt Prætorijs comitijs extra ordinem ratio eius haberetur: ſed ipſe id fieri paſſus non eſt, iniquum eſſe affirmans, quod nulli alij tribueretur, ſibi decerni: ac ne quid in perſona ſua nouaretur, campeſtrem experiri temeritatem, quàm curiæ beneficio vti, ſatius eſſe duxit.

DE M. BIBVLO.

Ad externa iam mihi exempla trãſire conanti, M. Bibulus vir ampliſſimæ dignitatis, & ſummis honoribus functus, manus inijcit: qui cũ in Syria moraretur prouincia, duos egregię indolis filios ſuos â Gabinianis militibus Aegypti occiſos cognouit. Quorum interfectores ad eum vinctos regina Cleopatra miſit, vt grauiſſimæ cladis vltionem arbitrio ſuo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum maius tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coegit, carnificeſque ſanguinis ſui intactos eueſtigio ad Cleopatram reduci iuſſit, dicendo, poteſtatem huius vindictæ non ſuã, ſed ſenatus eſſe debere.

DE ARCHITA TARENTINO. Externa.

Tarentinus Architas dum ſe Pythagoræ præceptis Metaponti penitus immergit, magno labore, longoq; tempore ſolidũ opus doctrinæ cõplexus, poſtquam in patriam reuertitur, ac rura ſua

reuisere cœpit, animaduertit negligentia villici corrupta & perdita. Intuensque male meritum, sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Maluit enim impunitum dimittere, quàm propter iram grauius iusto punire.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Nimis liberalis Archytæ moderatio, temperatior Platonis. Nam cum aduersus delictum serui vehemẽtius exarsisset, veritus ne ipse modum vindictę dispicere non posset, Speusippo amico castigationis arbitrium mandauit, deforme sibi futurum existimãs, si commisisset, vt parem reprehensionem culpa serui, & animaduersio Platonis mereretur.

DE EODEM.

Quo minꝰ miror quod in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit. audierat enim eũ multa de se impie locutum, sine vlla cũctatione criminationem respuit. instabat certo vultu iudex quærens causam cur sibi fides non haberetur. adiecit non esse credibile, vt quem tantopere amaret, ab eo inuicem nõ diligeretur. Postremo cum ad iusiurandum inimici asserentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaretur, affirmauit nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici sibi expedire iudicasset. Nõ in corpore mortali, sed in arce cælesti equidem armatum animum eius vitæ stationem putes peregisse, humanorum vitiorum incursus à se inuicta pugna repellentem, cunctosque virtutis numeros, altitudinis suæ sinu clausos custodiẽtem.

DE SYRACVSANO DIONE.

Neq̃uaquam Platoni literarum cõmendatione par Syracuſanus Dion, ſed quod ad præſtãdam moderationem attinet, vehementioris experimenti. Patria pulſus à Dionyſio tyranno, Megaram petierat: vbi cum Theodôrum principem eius vrbis domi conuenire vellet, neq̃ admitteretur, multum diuq̃ ante fores retẽtus, comiti ſuo, Patienter hoc ferendum eſt, ait. forſitã enim & nos cum in gradu dignitatis noſtræ eſſemus, aliquid tale fecimus. qua tranquillitate conſilij ipſe ſibi conditionem exilij placidiorem reddidit.

DE THRASYBVLO.

Thraſybulus etiam hoc loci apprehendendus eſt, qui populum Athenienſem xxx tyrãnorum ſeuitia ſedes ſuas relinquere coactum, diſperſamque & vagam vitam miſerabiliter exigentem, animis pariter atque armis confirmatum in patriam reduxit. Inſignem deinde reſtitutione libertatis victoriam, clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim ſcitum interpoſuit, nequa præteritarum rerum mentio fieret. Hæc obliuio, quam Athenienſes ἀμνησίαν vocant, concuſſum & labentem ciuitatis ſtatum, in priſtinum habitum reuocauit.

DE STASIPPO TEGEATE.

Non minoris admirationis illud. Staſippus Tegeates, hortantibus amicis vt grauem in adminiſtratione Reipublicæ æmulum, ſed alioqui probum & ornatum virum, qualibet ratione vel tolleret, vel ſummoueret, negauit ſe facturum, ne

quem in tutelam patriæ bonus ciuis locum obtineret, malus & improbus occuparet: seque potius vehementer ab aduersario vrgeri, quàm patriam egregio aduocato carere præoptauit.

DE PITTACO.

Pittaci quoq; moderatione pectus instructum, qui Alcæum poëtam & amaritudine odij, & viribus ingenij aduersus se pertinacissime vsum, tyrannidem à ciuibus Mitylene delatam adeptus, tantummodo quid in opprimẽdo posset, admonuit.

DE SEPTEM SAPIENTIBVS.

Huius viri mentio subijcit, vt de septẽ sapientum moderatione referam. A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam iactum emerat. extracta deinde magni ponderis aurea delphica mẽsa, orta cõtrouersia est, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunæ ductus emisse dicẽte. qua contẽtione propter nouitatem rei, & magnitudinem pecunię, ad vniuersum eius ciuitatis populum delata, placuit Apollinẽ Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia cæteros præstaret, his verbis Græcis.

Εκγονε μιλήτου τρίποδ' ὃν πέρι φοῖβος ἔρωτᾶσ.

Ος σοφίη πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' ἄμμ δῶ.

Tunc illi consensu Thaleti mensam dederũt. ille cessit eã Bianti, Bias Pittaco, is protinus alij. deincepsq; per oim septẽ sapientũ orbẽ, ad vltimũ ad Solonẽ peruenit: qui & titulũ amplissimę pru-

dentiæ,& pręmiũ ad ipſum Apollinẽ tranſtulit.

DE THEOPOMPO.

Atque vt Theopompo quoque Spartanorum regi moderationis teſtimonium reddamus, cum primus inſtituiſſet vt Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regię poteſtati oppoſiti, quemadmodum Romæ conſulari imperio Trib. ple. ſunt obiecti, atq; illi vxor dixiſſet, id egiſſe illum, vt filijs minorem poteſtatem relinqueret, relinquam, inquit, ſed diuturniorẽ. Optime quidẽ. Ea enim demum tuta eſt potẽtia, quę viribus ſuis modum imponit. Igitur Theopompus legitimis regnum vinculis conſtringendo, quo lõgius a licẽtia retraxit, hoc ad beneuolentiam ciuium propius admouit.

DE ANTIOCHO.

Antiochus autẽ a L. Scipione vltra Taurum mõtem imperij finibus ſummotus, cũ Aſiam prouinciam, vicinaſque ei gentes amiſiſſet, gratias Populo Ro. non diſſimulanter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Et ſanè nihil eſt tam prę-clarum, aut tam magnificum, quod nõ moderatione temperari deſideret.

DE IIS QVI EX INIMICIS IVNCTI ſunt amicitia & neceſſitudine. Cap. II.

QVæ quoniam multis & claris authoribus illuſtrata eſt, tranſgrediamur ad egregiũ humani animi affectum, quem ab odio ad gratiam deflexum, & quidem

cum læto ſtylo proſequamur. nã ſicut placidum mare ex aſpero, cælumq; ex nubilo ſerenum hilari aſpectu ſentitur, ſic bellum pace mutatum, plurimum gaudij affert. offenſarum etiam acerbitas depoſita, candida relatione celebranda eſt.

DE M. AEMILIO LEPIDO.

Marcus Aemilius Lepidus bis COS. & Pon. Max. ſplẽdoreq; honorũ par vitæ grauitate, diutinas ac vehemẽtes inimicitias cũ Fuluio Flacco eiuſdem amplitudinis viro geſſit: quas, vt ſimul Cẽſores renũciati ſunt, in cãpo depoſuit, exiſtimãs non oportere eos priuatis odijs diſſidere, qui publice ſumma iuncti eſſent poteſtate. Id iudicium animi eius & præſens ætas cõprobauit, & nobis veteres annaliũ ſcriptores laudandũ tradiderũt.

DE SEXTO LIVIO SALINATORE.

Sicuti Liuij quoq; Salinatoris finiendarum ſimultatum illuſtre conſiliũ, ignotũ poſteritati eſſe noluerunt. is nãq; etſi Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, teſtimonio eius præcipue afflictus, tamen poſtquã eũ inde reuocatũ ciues collegam illi in conſulatum dederunt, & ingenij ſui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauiſſimam acceperat, obliuiſci ſibi imperauit: ne ſi diſſidente animo conſortium imperij vſurpare voluiſſet, pertinacem exhibendo inimicum, malum COS. ageret. quæ quidẽ mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aſpero ac difficili temporum articulo plurimum ſalutis vrbi noſtræ atq; Italiæ attulit, quia pari virtutis impetu connixi, terribiles Punicas vires contuderunt.

DE AFRICANO, ET TIBERIO.

Clarum etiã in Africano ſuperiore, ac Tib. Graccho depoſitarum inimicitiarum exemplũ. ſiquidem ad cuius menſæ ſacra odio diſſidẽtes venerant, ab ea & amicitia & affinitate iuncti diſceſſerunt. Nõ cõtentus enim Scipio authore ſenatu in capitolio Iouis epulo cum Graccho cõcordiam cõmunicaſſe, filiam quoque ei Corneliam protinus ibidem deſpondit.

DE CICERONE.

Sed huiuſce generis humanitas etiam in M. Ciceronе præcipua apparuit. A. nãq; Gabiniũ repetũdarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eũ in cõſulatu ſuo vrbe expulerat. Idemq; P. Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum, duobus publicis iudicijs tutatꝰ eſt, vt ſine vllo crimine leuitatis, ita cum aliqua laude: quia ſpecioſius aliquanto iniuriæ beneficijs vincuntur, q̃ mutui odij pertinacia penſantur.

DE P. PVLCHRO.

Ciceronis autẽ factũ adeo viſum eſt probabile, vt imitari id ne inimiciſſimus quidẽ illi P. Clodiꝰ Pulcher dubitauerit, qui inceſti crimine a tribus Lentulis accuſatus, vnum ex his ambitus reũ patrocinio ſuo protexit, atq; in animũ induxit, & iudicem, & Prætorem & teſtem, Veſtæ ædẽ intuens, amicum Lentulo agere, intra quam ille ſalutem eius fœdo crimine obruere cupiens, hoſtili voce perorauerat.

DE CANINIO GALLO.

Caninius autem Gallus reum pariter atque accu-

ſatorem admirabilem egit, & C. Antonij, quem dãnauerat, filiam in matrimonium ducendo, & M. Colonium, a quo dãnatus fuerat, rerum ſuarũ procuratorem habendo.

DE CAELIO RVFO.

C ælij vero Rufi vt vita inquinata, ita miſericordia quam Qu. Pompeio præſtitit, probanda: cui a ſe publica quæſtione proſtrato, cũ mater Cornelia fidei cõmiſſa prædia non redderet, atq; iſte auxiliũ ſuũ literis imploraſſet, pertinaciſſime abſenti affuit. Recitauit & eius epiſtolam in iudicio vltimæ neceſſitatis indicem, qua impiam Corneliæ auaritiam ſubuertit: factum propter nimiam & eximiam humanitatem ne ſub Cælio quidẽ authore repudiandum.

DE ABSTINENTIA, ET CONtinentia. Cap. III.

MAgna cura præcipuoq; ſtudio referẽdũ eſt, quantopere libidinis & auaritiæ furori ſimiles impetus ab illuſtrium virorũ pectoribus conſilio ac ratione ſummoti ſunt, qua ij demum penates, ea ciuitas, id regnũ ęterno in gradu facile ſteterit, vbi minimum virium Veneris pecuniæq; cupido ſibi vendicauerit. Nã quo iſtæ generis humani certiſſimæ peſtes penetrauerint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat. igitur contrarios his tam diris vitijs mores commemoremus.

DE SCIPIONE.

Q uartum & viceſimum annum agens Scipio cũ in Hiſpania Carthagine oppreſſa maioris Cartha-

ginis capiendæ ſumpſiſſet auſpicia, multoſq; obſides, quos in ea vrbe Pœni clauſos habuerant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, eximiæ inter eos formæ virginem ætatis adultæ & iuuenis & celebs & victor poſtquàm comperit illuſtri loco inter Celtiberos natam, nobiliſſimoque gentis eius Indibili deſponſatam, accerſitis parentibus & ſponſo inuiolatam tradidit, aurum quoque quod pro redemptione puellæ allatum erat, ſummæ dotis adiecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando, meritis eius gratiam debitam retulit.

DE M. CATONE.

Verum vt huius viri abſtinentiæ teſtis Hiſpania, ita M. Catonis Epiros, Achaia, Cyclades inſulæ, Maritima pars Aſiæ, prouincia Cypros. Vnde cum pecuniæ deportandæ miniſteriũ ſuſtineret, tam auerſum animũ ab omni Venere, q̃ a lucro habuit, in maxima vtriuſq; intemperantiæ verſatus materia. Nam & regiæ diuitiæ poteſtate ipſius continebantur, & fertiliſſimæ deliciarũ totius Græciæ vrbes neceſſaria totiꝰ nauigationis diuerticula erãt: atq; id Munatiꝰ Rufus Cypriacæ expeditionis fidus comes ſcriptis ſuis ſignificat, cuius teſtimonium non amplector. Proprio enim argumẽto laus iſta nititur, quoniam ex eodem naturæ vtero & continentia nata eſt, & Cato.

DE DRVSO GERMANICO.

Druſum etiã Germanicũ eximiã Claudiæ familiæ gloriam, fratrem Tiberij, patriæq; rarum orna-

mentum, & quod ſuper omnia eſt, operum ſuorum pro habitu ętatis magnitudine vitrico pariter ac fratri Auguſto duobus reip. diuinis oculis mirifice reſpondentẽ, conſtat vſum Veneris intra coniugis charitatem clauſum tenuiſſe.

DE ANTONIA.

Antonia quoq; fœmina laudibus virilem familiæ ſuæ claritatem ſupergreſſa, amorem mariti ſui egregia fide pẽſauit, quæ poſt eius exceſſum forma & ætate florens, cubiculum ſocrus pro coniugio habuit: in eodemq; toro alterius adoleſcẽtiæ vigor extinctꝰ eſt, alterius viduitatis experientia conſenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis ſummam imponat.

DE CN. MARTIO.

Deinceps his vacemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquã vacauit. Cn. Martius patriciæ gẽtis adoleſcens, Anci regis clara progenies, cui Corioli Volſcorum oppidum captum cognomen adiecit, cum editis conſpicuæ fortitudinis operibus a Poſthumio Comminio co s. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri c. iugeribus, & decem captiuorum electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argẽtoq; quãtum ſuſtinere valuiſſet, donaretur, nihil ex his pręter vnius captiui ſalutẽ hoſpitis, equũq; quo in acie vteretur, accipere voluit. Qua tam circunſpecta animi moderatione, neſcias vtrum maiore cum laude præmia meruerit, an reiecerit.

DE M.CVRIO.

Marcus autem Curius exactiſſima norma Romanæ frugalitatis, idemq; fortitudinis perſpectiſſimum ſpecimen, Samnitum legatis agreſti ſe in ſcamno aſſidentem foco, ac ligneo catino cœnãtem (quales epulas, apparatus indicio eſt) ſpectãdum præbuit. Ille enim Samnitum diuitias contempſit, Samnites eius paupertatem mirati ſunt. nam cum ad eum magnum auri pondus publice miſſum attuliſſent, benignis verbis inuitatus vt eo vti vellet, vultũ riſu ſoluit: protinuſq;, ſuperuacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis miniſtri, narrate Samnitibus M. Curium malle locupletibus imperare, q̃ ipſum fieri locupletẽ: atq; iſtud vt pretioſum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi poſſe. Idem cũ Italia Pyrrhũ regẽ exegiſſet, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum vrbemq; ditauerat, attigit. decretis etiã à Senatu ſeptenis iugeribꝰ agri populo, ſibi autem quinquaginta, popularis aſſignationis modum non exceſſit, parum idoneum reip. ciuem exiſtimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non eſſet.

DE FABRICIO LVCINO.

Idem ſenſit Fabricius Lucinus, honoribus & authoritate omni ciue temporibus ſuis maior, cenſu par vnicuique pauperrimo, qui à Samnitibus, quos vniuerſos in clientelam habebat, decẽ æris, & quinq; pondo argenti, totidemq; ſeruos ſibi miſſos in Samnium remiſit, continentiæ ſuę

beneficio ſine pecunia prædiues: ſine vſu familiæ abunde comitatus: quia locupletē illum faciebat non multa poſſidere, ſed modica deſiderare. ergo domus eius quemadmodū ære & argento & mācipijs Samnitum vacua, ita gloria ex his contēptis parta referta fuit.

DE EODEM FABRICIO.

Conſentanea repudiatis donis Fabricij vota extiterunt. legatus enim ad Pyrrhum profectus, cum apud eum Cyneam Theſſalum narrātem audiſſet, quendam Atheniēſem clarum ſapientia, ſuadentem ne quid aliud homines, quàm voluptatis cauſſa facere vellent, pro monſtro eam vocem accepit, continuoq; Pyrrho & Samnitibus iſtam ſapientiam deprecatus eſt. Licet Athenæ doctrina ſua glorientur, vir tamen prudens Fabricij deteſtationem quàm Epicuri maluit præcepta: quod euentus quoque indicauit. Nam quę vrbs voluptati plurimum tribuit, imperiū maximum amiſit. quæ labore delectata eſt, occupauit: & illa libertatem tueri non valuit, hęc etiam donare potuit.

DE Q. TVBERONE CATELIO.

Curij & Fabricij Qu. Tuberonē cognomine Catelīū diſcipulū fuiſſe merito quis exiſtimauerit: cui conſulatum gerēti, cū Aetolorū gens omnis vſus vaſa argētea, magno pondere, exquiſita arte fabricata, per legatos miſiſſet, qui ſuperiori tempore gratulandi cauſa ad eum profecti retulerant fictilia ſe in eius menſa vaſa vidiſſe, monitos ne continentiæ quaſi paupertati ſuccurren-

dum putarēt, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit. Quã bene Aetolicis domeſtica prætulerat, ſi frugalitatis eius exemplũ poſterior ętas ſequivoluiſſet? nunc quò vẽtũ eſt? A ſeruis vix impetrari poteſt ne eam ſupellectilẽ faſtidiant, qua vti Cos. non erubuit.

DE PAVLO AEMILIO.

At Perſe rege deuicto, Paulus cum Macedonicis opibus vetcrem atque hæreditariam vrbis noſtræ paupertatem eouſque ſatiaſſet, vt illo tempore primum Populo Ro. tributi præſtandi one re ſe liberaret, penates ſuos nulla ex parte locupletiores fecit, præclare ſecum actum exiſtimãs, quòd ex illa victoria alij pecuniam, ipſe gloriam occupaſſet.

DE Q. FABIO GVRGITE, C. NVmerio, Fabio pictore, & Qu. Vgolino.

Atque huic animi eius iudicio Qu. Fabius Gurges, C. Numerius, Fabius pictor, Qu. Vgolinꝰ ſe ſubſcripſerunt: qui legati ad Ptolemæum regem miſſi, munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium quidem prius quàm ad ſenatum legationem referrent, detulerunt: ſcilicet de publico miniſterio nihil cuiquam præter laudẽ bene adminiſtrati officij accedere debere iudicãtes. Iam illud humanitatis ſenatus, & attentæ maiorum diſciplinæ indicium eſt. data enim ſunt legatis quæ in ærarium repoſuerat, non ſolum patrum C. decreto, ſed etiam populi permiſſu: eaque legatis quæſtores prompte vnicuique diſtribuerunt. ita in ijſdem Ptolemæi liberalitas, legatorum abſtinentia, ſenatus ac populi æquitas debi-

tam probabilis facti portionem obtinuit.

DE CALPVRNIO PISONE.

Fabiorum & Vgolini continentiæ Calpurniũ Pisonem in consimili genere laudis æmulum fuisse res ipsa documento est. cos. graui fugitiuorum bello a se liberata Sicilia, eos quorum præcipua opera vsus fuerat, imperatorio more donis prosequebatur. inter quos filiũ suum aliquot locis præliatum fortissime, titulo trium librarũ aureæ coronæ decorauit, præfatus non oportere à magistratu è publica pecunia erogari, quod in ipsius domum rediturum esset. tantũq; ponderis se testamento adolescenti legaturum promisit, vt honorem publice à duce, pretium priuatim à patre reciperet.

DE CATONE SVPERIORE.

Age, si quis hoc seculo vir illustris pellibus hœdinis pro stragulis vtatur, tribusq; seruis comitat⁹ Hispaniam regat, & quingẽtorum assium sumptu trãsmarinam prouinciam petat, eodem cibo eodemq; vino quo nautæ, vti contentus sit, nõne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissime superior Cato tolerauit, quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat.

DE CATONE POSTERIORE.

Multum â prisca continentia spatio annorum posterior Cato discedit, vtpote in ciuitate iã diuite & lautitia gaudente natus: is tamen cum bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens, duodecim seruos habuit, numero plures quàm supe-

rior: temporum diuersis moribus, pauciores. Exultat animus maximorum virorum memoriam percurrens.

DE SCIPIONE AEMILIANO.

Scipio Aemilianus post duos inclytos cõsulatus, totidemq; suæ præcipuæ gloriæ triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est: & puto, Carthaginis ac Numantiæ spolijs comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque cum per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur: continentia vero etiam vniuersis plebis animis sæpenumero cognita est: sed abunde erit ex his duo exempla longe inter se distantium seculorum retulisse.

DE PYRRHO.

Pyrrhus impetus sui terrore soluto, ac iã Epiroticis armis languentibus, beneuolentiam Po. Ro. mercari, quia virtutẽ debilitare nequiuerat, cupiens, pene totum regiarum opum apparatũ in vrbẽ nostrã trãstulit. Cæterum cũ & magni pretij, & varij generis a legatis eius tam virorum quàm fœminarũ apta vsui munera circa domos ferrentur, nulla cuiquam dono ianua patuit: Tarentinæq; petulantiæ animosus magis quàm efficax defensor, haud scio maiore cum gloria huius vrbis armis, quàm moribus repulsus sit.

DE C. MARIO, ET L. CINNA.

In illa quoque procella quã C. Marius & L. Cinna Reip. inflixerant, abstinentia Popu. Roma, mirifica conspecta est. Nam cũ a se proscriptorum penates vulgi manibus diripiendos abiecissent, inueniri potuit nemo, qui ciuili luctu prædam peteret. Vnus enim quisq; se ab his perinde ac sacris ædibus abstinuit. Quę quidem tam misericors continentia plebis, tacitum crudelium victorum conuitium fuit.

EXTERNA.

DE PERICLE.

Ac ne eiusdem laudis commemorationem externis inuideamus, Pericles Athenienſiũ princeps, cum tragœdiarũ scriptorẽ Sophoclem in Prætura collegam haberet, ac is publico officio vnà districtus, pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpitans dixit, Prætoris non solum manus a pecuniæ lucro, sed etiam oculos a libidinoso aspectu continentes esse debere.

DE SOPHOCLE.

Sophocles autem ætate iam senior, cum ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus venereis vteretur, Dij meliora, inquit. Libenter enim istinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione.

DE XENOCRATE.

Aequæ abstinentis senectæ Xenocratẽ fuisse accepimus: cuiꝰ opinionis nõ parua fides erit narratio quæ sequitur. In peruigilio Phryne nobile Athenarum scortum, iuxta eũ vino grauem ac-

cubuit,pignore cum quibuſdam iuuenibus po-
ſito,an temperantiam eius corrumpere poſſet.
quam nec tactu,nec ſermone aſpernatus, quoad
voluerat in ſinu ſuo moratam,propoſiti irritam
dimiſit.factum ſapiẽtia imbuti animi abſtinens.
Sed meretriculæ quoque dictum perquam face-
tum. deridentibus enim ſe adoleſcentibus, quia
tam formoſa,tamq; elegans poti ſenis animum
illecebris pellicere non potuiſſet, pactumque
victoriæ pretium flagitantibus, de homine ſe
cum ijs, non de ſtatua pignus poſuiſſe reſpon-
dit. Poteſtne Xenocratis continentia a quoquã
magis vere,magiſq; proprie demonſtrari,quàm
ab ipſa meretricula expreſſa eſt? Phryne pul-
chritudine ſua nulla ex parte conſtantiſſimam
eius continentiam labefecit. Quid rex Alexan-
der?diuitijs eum quatere potuit.ab illo quoque
ſtatuam equidem æque fruſtra tentatam putes.
legatos ad eum cum aliquot talentis miſerat:
quos in Academiam perductos,ſolito ſibi,id eſt
modico apparatu,& admodum paruulis copijs
excepit. poſtero die interrogantibus cuinam
adnumerari pecuniam vellet:Quid?vos,inquit,
heſterna cœna non intellexiſtis ea me non in-
digere?Ita Rex Philoſophi amicitiam emere
voluit, Philoſophus Regi ſuam vendere no-
luit.

DE DIOGENE.

Alexander vero cognomen inuicti aſſecutus,conti-
nentiã Diogenis Cynici vincere non potuit: ad
quẽ cum in ſole ſedentẽ acceſſiſſet, hortaretur q;

vt ſiqua ſibi præſtari vellet,indicaret:quemadmodum erat in crepidine collocatus,ſordidę appellationis,ſed robuſtæ vir præſtantiæ, mox, inquit,de cæteris, interim velim a Sole mihi non obſtes.quibus verbis illa nimirum inhæſit ſententia,Alexander Diogenem gradu ſuo diuitijs pellere tentat,celerius Darium armis. Idem Syracuſis,cum olera ei lauanti Ariſtippus dixiſſet,Si Dionyſio adulari velles,iſta non eſſes. Imò ,inquit, ſi tu iſta eſſe velles, Dionyſio non adulareris.

DE PAVPERTATE. Cap. IIII

De Cornelia.

MAxima ornamenta eſſe matronis liberos,apud Pomponium Rufum Collectorum libro ſic inuenimus. Cornelia Gracchorum mater,cum Campana matrona apud illam hoſpita,ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius ei oſtenderet, traxit eam ſermone, quouſq; e ſchola redirent liberi:&,Hæc,inquit,
» ornamẽta mea ſunt.Omnia nimirum habet,qui
» nihil concupiſcit,eo quidem certius, quàm qui
» cuncta poſſidet,quia dominium rerum collabi
» ſolet:bonæ mentis vſurpatio nullum triſtioris
» Fortunæ recipit incurſum.Itaque quorſum atti-
» net,aut diuitias in prima felicitatis parte, aut
» paupertatem in vltimo miſeriarũ ſtatu ponere?
» cũ & illarũ frons hilaris,multis intus amaritudi
» nibus ſit referta:& huius horridior aſpectus, ſo-
» lidis & certis bonis abundet.quod melius perſonis,quàm verbis repræſentabitur.

DE VALERIO PVBLICOLA.

Regio imperio propter nimiam Tarquinij ſuperbiam finito, conſulatus initium Valerius Publicola cũ Iunio Bruto auſpicatus eſt. Idemq; poſtea tres conſulatus acceptiſſimos Po. Rom. geſſit: & plurimorum ac maximorum operum prætextu titulum imaginũ ſuarum amplificauit: cum interim faſtorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impenſam ſufficiẽte, deceſſit: ideoque publica pecunia ductæ ſunt. Non attinet vlteriore diſputatione tanti viri paupertatem ſcrutari. Abunde enim patet quid viuus poſſederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit.

DE MENENIO AGRIPPA.

Quantæ amplitudinis M. Menenium Agrippam fuiſſe arbitremur, quem Senatus & Plebs pacis inter ſe faciendæ authorem elegit? quantæ ſcilicet eſſe debuit arbiter publicæ ſalutis. Hic niſi a populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet, ita pecuniæ inops deceſſit, vt ſepulturæ honore caruiſſet: verum iccirco pernicioſa ſeditione diuidua ciuitas, manibus Agrippæ in vnum cõtrahi voluit, quia eas pauperes quidem, ſed ſanctas animaduerterat. cuius vt ſuperſtitis nullum fuit quod in cenſum deferretur, ita extincti, hodie, quod ampliſſimũ eſt patrimonium, Romana concordia.

DE CAIO FABRICIO, ET QV. AEMILIO.

In C. vero Fabricij, & Qu. Aemilij Pappi principum ſeculi ſui domibus argentum fuiſſe confi-

tear oportet. vterque enim patellam deorum, & ſalinam habuit. Sed eo lautius Fabricius, quòd patellam ſuam corneo pediculo ſuſtineri voluit. Pappus quoque ſatis animoſe, qui cum hæreditatis nomine ea accepiſſet, religionis cauſa abalienanda non putauit. Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accerſebantur vt coss. fierent, voluptatis cauſa ſterile atque æſtuoſiſſimum Pupiniæ ſolum verſabant, deliciarumq; ignari vaſtiſſimas glebas plurimo cum ſudore diſſipabant: imo vero quos pericula Reipub. imperatores accerſebant, anguſtiæ rei familiaris (quid ceſſo proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant.

DE ATTILIO CALATINO.

Attilium autem, qui ad eum accerſendũ a Senatu miſſi erant ad imperium Po. Ro. ſuſcipiendum, ſemen aſpergentem viderũt: ſed illæ ruſtico opere attritæ manus, ſalutem publicam ſtabilierunt, ingentes hoſtium copias peſſundederunt. Quæque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. nec fuit ijs rubor eburneo ſcipione depoſito, agreſtem ſtiuam aratri repetere. Poteſt pauperes conſolari Attilius, ſed multo magis docere locupletes, quàm non ſit neceſſaria ſolidæ laudis cupidini, anxia diuitiarum comparatio.

DE ATTILIO REGVLO.

E iuſdem nominis & ſanguinis Attilius Regulus primi Punici belli gloria, cladeſq; maxima, cum in Africa inſolentiſſimæ Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, ac prorogatum ſibi

ob bene gestas res in proximum annum imperium cognouisset, consulib. scripsit, villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento discessisse: ideoque petere, vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset vnde vxor ac liberi sui alerentur. Quæ postquam Senatus a coss. accepit, & agrum alij villico colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, resque quas amiserat, redimi publice iussit. Tanti ærario nostro virtutis Attilianæ exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.

DE QVINTIO CINCINNATO.

Aeque magna latifundia L. Quintij Cincinnati fuerunt. Septē enim iugera agri possedit: ex his tria, quæ pro amico ad ærariū obsignauerat, multæ nomine amisit. pœnam quoq; pro filio Cesone, quòd ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditus soluit: & tamen ei quatuor iugera aranti, non solum dignitas patrisfamiliæ cōstitit, sed etiam Dictatura delata est. Anguste se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

DE AELIA FAMILIA.

Quid? Aelia familia, q̄ locuples? sexdecim eodem tempore Aelij fuerūt, quibus vna domūcula fuerat eodē loci, quo nūc sunt Mariana monimenta: & vnus in agro Veiente fundus, minus multo cultores desiderans, quàm dominos habebat: in q̄ maximo circo Flaminio spectaculi locus. quæ

quidem loca ob virtutem publice donata possi-
debant. Eadem gens nullũ antè scrupulum ar-
genti habuit, quàm Paulus Perse rege deuicto,
Qu. Aelio Tuberoni genero suo quinque pondo
argẽti ex præda donaret. Taceo enim quod prin
ceps ciuitatis filiam ei nuptui dedit, cuius pecu-
nia tam ieiunos penates videbat, qui ipse quo-
que adeo inops decessit, vt nisi fundus, quem v-
num reliquerat, venisset, vxor eius dotem vnde
reciperet, non extitisset. Animi virorum & fœ-
minarum vigebãt in ciuitate, eorumq; bonis, di-
gnitatis æstimatio cunctis in rebus ponderaba-
tur. hæc imperia conciliabant: hæc iungebant af-
finitates: hæc in foro, hæc in curia, hæc intra pri
uatos parietes plurimum potetant. Patriæ
enim rem vnusquisque, non suam augere pro-
perabat: pauperque in diuite, quàm dives in pau-
pere imperio versari malebat: atque huic tam
præclaro proposito illa merces reddebatur,
quòd nihil eorum quæ virtuti debentur, eme-
re pecunia licebat, inopiæq; illustrium virorum
publice succurrebatur.

DE CN. SCIPIONE.

Itaq; cum secũdo Punico bello Cn. Scipio ex Hi-
spania senatui scripsisset, petens vt sibi succes-sor
mitteretur, quia filiam virginem adultæ iã æta-
tis haberet, neque ei sine se dos expediri posset:
senatus, ne Respublica bono duce careret, patris
sibi partes desumpsit: consilioq; vxoris ac pro-
pinquorum Scipionis constituta dote, summam
eius ex ærario erogauit, ac puellã nuptui dedit.
dotis modus. xl. millia æris fuit. qua non solum

humanitas Patrum C. ſed etiã habitus veterum patrimoniorũ cognoſci poteſt. nãq; adeo fuerũt arcta, vt Tatia Ceſonis filia maximam dotẽ ad virum.x.millia æris attuliſſe viſa ſit: & Megulia quia cum quingentis millibus æris mariti domũ intrauit, dotatę cognomen inuenerit. Idẽ ſenatus Fabricij Lucini, Scipioniſq; filias ab indotatis nuptijs liberalitate ſua vindicauit: quoniam paternæ hęreditati præter opimam gloriam nihil erat quod acceptum referret.

DE M. SCAVRO.

Marcus autem Scaurus quantulam à patre hęreditatem accepit, in primo libro eorum quos de vita ſua ſcripſit, refert. ait enim ſibi decem ſola mãcipia, totumq; cenſum quinq; atq; triginta millium nummũm relictum. In hac enim ille pecunia futurus ſenatus princeps nutritus eſt ſpiritꝰ.

» Hæc igitur exẽpla reſpicere, his acquieſcere ſo-
» latijs debemus, qui paruulos ſenſus noſtros nun-
» quam querelis vacuos eſſe ſinimus, nullum autẽ
» vel admodum paruí ponderis argentum, paucos
» ſeruos, ſeptem iugera aridæ terræ, indigentia do-
» meſtica impenſa funera, inopes dotum filias, ſed
» egregios conſulatus, mirificas dictaturas, innu-
» merabiles triumphos cernimus. Quid ergo mẽ-
» dicam Fortunam quaſi præcipuum generis hu-
» mani malum diuturnis conuitijs laceramus? quę
» vt non abundantibus, ita fidis vberibus Publi-
» colas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones,
» Scauros, hiſque paria robora virtutis aluit. Exur-
» gamus potius animis, pecuniæque aſpectu debi-

litatos ſpiritus, priſtini temporis memoria recreemus. nanque per Romuli caſum, perque veteris capitolij humilia tecta, & æternos Veſtæ focos, fictilibus etiamnum vaſis contentos, iuro, nullas diuitias paupertati talium virorum poſſe præferri.

DE VERECVNDIA. Cap. v.

EQua tempeſtiuus ad verecũdiam trãſitus videtur. Hæc enim iuſtiſſimis viris præcepit vt priuatas facultates negligerẽt, publicas quãampliſſimas eſſe cuperent. digna cui perinde ac cęleſti numini templa extruantur, araęq; conſecrentur, quia parens eſt omnis honeſti cõſilij, tutela ſolenniũ officiorum, magiſtra innocẽtiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem præ ſe ferens vultum.

DE POPVLI VERECVNDIA.

SEd vt à laudibus eius ad facta veniamus, à condita vrbe vſque ad Africanum & Tiberiũ Lõgum conſules, promiſcuus Senatui & populo ſpectãdorum ludorum locus erat. nunquã tamen quiſquã ex plebe in theatro ante P. C. ſpectare ſuſtinuit. Adeo circũſpecta noſtræ ciuitatis verecundia fuit. Quæ quidem certiſſimum ſui documentum etiã illo die exhibuit, quo L. Flaminius extrema in parte theatri conſtitit, qui à M. Catone & L. Flacco cenſoribus ſenatu motus fuerat, cõſulatus iam honore defunctus, frater etiã T. Flaminij, Macedoniæ, Philippique victoris. omnes enim eum tranſire in locum dignitati ſuæ debitum coegerunt.

DE TER. VARRONE.

Confregit rempublicam Terentius Varro Cannẽsis pugnæ temerario ingressu. idem delatam sibi ab vniuerso senatu & populo dictaturam recipere non sustinendo, pudore culpam maximę cladis redemit: effecitq; vt acres deorum iræ modestia ipsius moribus imputarentur. Itaque titulo imaginis eius spectosius non recepta Dictatura, quàm aliorum gesta, adscribi potest.

DE CN. SCIPIONE, ET Scriba Cicereio.

Nos autem ad præclarum verecundiæ opus transgrediamur. Magna cum inuidia fortuna Prætorijs comitijs Africani superioris filium Cn. Scipionem & scribam Cicereium in campum deduxerat, vt qui nimis impotẽs sermõe vulgi carpebatur, quòd tanti viri sanguinem clientelamque comitiali certamine confuderat. Cæterũ crimen eius in suam laudem Cicereius cõuertit. Nam vt vidit omnibus se centurijs Scipioni anteferri, tẽplo descendit, abiectaque cãdida toga, competitoris sui suffragatorẽ agere cœpit, vt scilicet Prętură melius Africani memoriæ concederet, quã sibi vendicaret. necnon etsi maximo verecundię pretio Scipio tunc honorẽ adeptus est, Cicereio tamen magis gratulati sunt.

DE L. CRASSO.

Ac ne protinus comitijs abeamus, consulatum petens L. Crassus, cum omnium candidatorũ more circũ forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, vt id præsente Qu. Scęuola

grauissimo & sapientissimo viro socero suo faceret. Itaq; rogabat eum vt à se dũ ineptæ rei inseruiret, discederet: maiorem verecũdiam dignitatis eius, quã candidæ togæ suæ respectũ agens.

DE POMPEIO MAGNO.

Pompeius autem Magnus Pharsalica acie victus à Cæsare, cum postero die Lariſſam intraret, oppidiq; illius vniuersus populus obuiam ei processisset, ite, inquit, & istud officiũ præstate victori. Dicerẽ, non dignus qui vinceretur, nisi à Cæsare esset superatus. certe modestus in calamitate. Nam quia dignitate sua vti iam nõ poterat, vsus est verecundia.

DE CAIO IVLIO CAESARE.

Quam præcipuam in Caio quoq; Cæsare fuisse sæpenumero apparuit, & vltimus eius significauit dies. cõpluribus enim parricidarũ violatus mucronibus, inter ipsum illud tempus quo diuinus spiritus mortali secernebatur a corpore, ne trib⁹ quidẽ & viginti vulneribus quin verecũdię obsequeretur absterreri potuit. siquidẽ vtraq; togam manu demisit, vt inferior pars corporis tecta collaberetur. In hũc modum non homines expirãt, sed Dij immortales sedes suas repetunt.

EXTERNA.

DE SPVRINA.

Quod sequitur, externis adnectam, quia antè gestum est, q̃ Hetruriæ ciuitas daretur. Excellẽtis in ea regione pulchritudinis adolescens nomine

Spurina,cum mira ſpecie compluriũ fœminarum illuſtrium ſolicitaret oculos,ideoq; viris ac parentibus earum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret,oris decorem vulneribus confudit,deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem,quàm formam iritamentum alienæ libidinis eſſe maluit.

DE QVODAM SENE ATHENIENSI.

Athenis quidam vltimæ ſenectutis, cum ſpectatũ ludos in theatrum veniſſet,eũq; nemo e ciuibus ſeſſum reciperet,ad Lacedæmoniorũ legatos forte peruenit:qui hominis ætate moti,canos eius & annos aſſurgẽdi officio venerati ſunt,ſedemq; ei inter ipſos honoratiſſimo loco dederunt.quod vbi fieri populus aſpexit,maximo plauſu alienæ vrbis verecũdiam comprobauit.ferunt tunc vnũ e Lacedęmonijs dixiſſe,Ergo Athenienſes quid rectum ſit ſciunt,ſed id facere negligunt.

DE AMORE CONIVGALI.
Caput. VI.

APlacido & leni affectu,ad æque honeſtũ, verũ aliquanto ardentiorem & concitatiorem pergam,legitimiq; amoris quaſi quaſdam imagines non ſine maxima veneratione contẽplandas lectoris oculis ſubijciam,valenter inter cõiuges ſtabilita fidei opera percurrẽs, ardua imitatu,cæterum cognoſci vtilia,quia excellentiſſima animaduertẽti,ne mediocria quidem præſtare,rubori oportet eſſe.

DE T. GRACCHO, ET CORnelia eius vxore.

Tiberius Gracchus anguibus domi ſuæ mare ac

fœmina apprehẽsis, certior factus ab Aruspice, mare dimisso, vxori eius: fœmina, ipsi celerẽ obitũ instare, salutarẽ cõiugi potius q̃ sibi partẽ secutus augurij, marem necari, fœminam dimitti iussit, sustinuitq; in conspectu suo seipsum in interitu serpentis occidi. Itaque Corneliam nescio vtrum feliciorem dixerim, quòd talem virum habuerit: an miseriorem, quòd amiserit.

DE ADMETO REGE Thessaliæ.

O Te Thessalię rex Admete crudelis, & diri fati crimine sub magno iudice damnatum, qui cõiugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaq;, ne tu extinguereris, voluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti: & certe prius parentum indulgentiam tentaueras, fœmineo animo impar inuentus.

DE C. PLAVTIO.

V ilior Graccho iniquæ fortunæ victima, quanuis senatorij vir ordinis C. Plautius Numida, sed in consimili amore par exemplũ. morte enim vxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit. Interuentu deinde domesticorum inceptum exequi prohibitus, colligatusq; vt primũ est occasio data, sciissis fascijs, ac vulnere diuulso, cõstanti dextera spiritum luctus acerbitate permistũ, ex ipsis præcordijs & visceribus hausit: tã violenta morte testatus, quantum maritalis flãmæ illo pectore clausum habuisset.

DE M. PLAVTIO.

E iusdẽ vt nominis, ita amoris quoq; M. Plautius. nã cũ imperio Senatus classem sociorũ sexagin-

ta nauium in Asiam reduceret, Tarentumq; appulisset, atque ibi vxor eius Horestilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset, funerata ea, & in rogum imposita, inter officium vngendi & osculandi stricto ferro incubuit: quē amici, sicut erat, togatum & calceatum corpori coniugis iunxerunt, ac deinde subiectis facibus, vtrūq; vnà cremauerunt: quorum ibi factum sepulchrum Tarenti etiamnum conspicitur, quod vocatur τῶν φιλόντων. Nec dubito quin si quis modo extinctis sensus ineſt, Plautiꝰ & Horestilla fati consortione gestientes vultus tenebris intulerint: saneq; vbi idem & maximus & honestissimus amor est, aliquanto præstat morte iungi, quàm vita distrahi.

» tulerint: saneq; vbi idem & maximus & hone-
» stissimus amor est, aliquanto præstat morte iun-
» gi, quàm vita distrahi.

DE IVLIA CAII CAESARIS FILIA.

Consimilis affectus Iuliæ C. Cæsaris filiæ annotatus est, quæ cum ædilitijs comitijs Pompeij Magni coniugis sui vestem cruore respersam e campo domum relatum vidisset, territa metu ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit, partumque quem vtero cōceptum habebat, subita animi cōsternatione & graui dolore corporis eijcere coacta est, atq; ita expirauit, magno quidem cum totius terrarum orbis detrimento: cuius tranquillitas tot ciuilium bellorum truculentissimo furore perturbata non esset, si Cæsaris & Pompeij concordia, communis sanguinis vinculo constricta mansisset.

DE PORCIA CATONIS FILIA vxore Bruti.

Tuos quoq; castissimos ignes, Porcia M. Catonis filia, cuncta secula debita admiratione prosequũtur: quæ cum apud Philippos victũ & interẽptũ virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum nõ dabatur, ardentes ore carbones haurire nõ dubitasti, muliebri spiritu virilem patris exitũ imitata. Sed nescio an hoc fortius, quòd ille vsitato, tu nouo genere mortis absumpta es.

EXTERNA.

Sunt & alienigeni amores iusti, obscuritate ignorantiæ non obruti: ex quibus paucos attigisse satis erit. Gentis Cariæ Regina Artemisia virum suum Mausolum fato absumptum quantopere desiderarit, leue est, post conquisitorum omnis generis honorum, monimentiq; vsq; ad septem miracula prouecti magnificentiam argumentari. Quid enim aut eos colligas, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausoli viuum ac spirans sepulchrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui illam extincti ossa potioni aspersa bibisse tradunt?

DE HIPSICRATEA VXORE Mithridatis.

Hipsicratea quoq; regina Mithridatem coniugem suum effusis charitatis habenis amauit, propter quem præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem conuertere, voluptatis loco habuit. tonsis enim capillis, equo se' & armis assuefecit, quô facilius laboribꝰ & periculis eius interesset: quinetiam victum a Cn. Pompeio per efferatas

gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili secuta est. cuius tanta fides asperarum atq; difficilium rerum Mithridati maximum solatium, & iucũdissimum lenimentum fuit. cum domo enim & penatibus vagari se credidit, vxore simul exulante.

DE LACEDAEMONE.

Verum quid Asiam, quid barbariæ immensas solitudines, quid latebras Pontici sinus scrutor? cũ splendidissimum totius Græciæ decus Lacedæmon, præcipuũ vxoriæ fidei specimẽ tantũ non nostris ostentet oculis, plurimis & maximis patriæ suæ laudibus admiratione facti comparandum.

DE MINYIS.

Minyiæ, quorũ origo ex inclyto sociorum Iasonis numero Lemniorum in insula concepta, per aliquot seculorum vices stabili in sede manserat, à Pelasgicis expulsi armis, alienæ opis indigẽtes, excelsa Taygetorum montiũ iuga supplices occuparũt, quos Spartana ciuitas respectu Tyndaridarum (nanq; in illo nobilis famæ nauigio destinatum syderibus par fratrum fulserat) deductos inde, legibus commodisque suis immiscuit. Sed hoc tantum beneficium in iniuriam bene meritæ vrbis regnum affectantes verterunt. Igitur publicæ custodiæ inclusi, capitali seruabantur supplicio: quod cum, vetere instituto Lacedæmoniorum, nocturno tempore passuri essent, cõiuges eorum illustris sanguinis ibi velut allocuturæ perituros viros, impetrato a custodibus aditu, carcerem intrarunt, commutataque veste

per ſimulationem doloris velatis capitibus eos abire paſſę ſunt. Hoc loco quid aliud adiecerim, quàm dignas fuiſſe quibus Minyiæ nuberent?

DE AMICITIA. Cap. VII.

COntemplemur nunc amicitiæ vinculum potens & præualidum, neque vlla ex parte ſanguinis viribus inferius: hoc etiam certius, & exploratius, quia illud naſcendi ſors fortuitum opus, hoc vniuſcuiuſq; ſolido iudicio incoacta voluntas contrahit. Itaque celerius ſine reprehenſione propinquum auerſere, quàm amicum: quia altera diremptio vtique iniquitatis, altera leuitatis crimini ſubiecta eſt. Cum enim deſerta ſit futura vita hominis nullius amicitię cincta præſidio, tam neceſſarium ſubſidium temere aſſumi non debet: ſemel autem apprehenſum, recte ſperni non conuenit. Syncerę vero fidei amici præcipue in aduerſis rebus cognoſcuntur: in quibus quicquid præſtatur, totum à conſtanti beneuolentia proficiſcitur. Felicitatis cultus maiore ex parte adulationi, quàm charitati erogatus, certe ſuſpectus eſt, perinde ac plus ſemper petat, quàm impendat. Accedit huc, quòd infractæ fortunæ homines magis amicorum ſtudia deſiderant, vel præſidij, vel ſolatij gratia. Nam læta quidem & proſpera negotia, vtpote cum diuina ſuffragatione foueantur, humana minus indigent. Tenacius igitur eorum nomina poſteritatis memoria apprehendit, qui aduerſos amicorum caſus non deſeruerunt: quàm qui proſperum vitæ curſum comitati ſunt. Nemo de

Sardanapali familiaribus loquitur. Oreſtes Pyla de penè amico, quàm Agamemnone patre notior eſt. Siquidem illorum amicitia in conſortione deliciarum & luxuriæ cõtabuit, horum duræ atq; aſperæ conditionis ſolatium, ipſarum miſeriarum experimento enituit. Sed quid externa attingo, cum domeſticis prius liceat vti?

DE TIB. GRACCHO, ET C. Bloſio.

Inimicus patriæ fuiſſe Gracchus exiſtimatus eſt, nec immerito, quia potentiam ſuam ſaluti eius prętulerat. quàm conſtantis tamen fidei amicum etiam in hoc tam prauo propoſito C. Bloſiũ Cumanũ habuerit, operępreciũ eſt cognoſcere. Hoſtis iudicatus, vltimo ſupplicio affectus, ſepulturæ honore ſpoliatus, beneuolentia tamẽ eius nõ caruit. Nã cũ Senatus Rutilio & Lenati coss. mandaſſet vt in eos qui cũ Graccho conſenſerãt, more maiorũ animaduerterẽt: & ad Læliũ, cuius conſilio præcipue coss. vtebantur, pro ſe Bloſius deprecatum veniſſet, familiaritatiſq; excuſatione vteretur, atq; is dixiſſet: Quid ſi te Gracchus templo Iouis Opt. Max. faces ſubdere iuſſiſſet? obſecuturúsne voluntati ipſius propter iſtam quam iactas familiaritatẽ, fuiſſes? Nũquã iſtud, inquit, Gracchus imperaſſet. Satis, imò etiam nimium. totius nanque ſenatus conſenſu damnatos mores defendere auſus eſt. Verum quod ſequitur, multo audacius, multoq; periculoſius. Cõ preſſus enim perſeueranti interrogatione Lælij, in eodẽ cõſtãtiæ gradu ſtetit, ſeq; etiã hoc, ſi mo-

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.

do Gracchus annuisset, facturũ respondit. Quis illum sceleratum putasset fuisse, si tacuisset? Quis etiam non sapientem, si pro necessitate temporis locutus esset? At Blosius nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem suam, nequa ex parte infelicis amicitię memoriã desereret, tueri voluit.

DE C. GRACCHO, ET POMPONIO, & Lectorio.

In eadem domo æque robusta constantis amicitiæ exempla oboriuntur. prostratis enim iam & perditis C. Gracchi consilijs, rebusque, cum tota eius conspiratio late quæreretur, desertum omni auxilio duo tantum amici Pomponius & Lectorius ab infestis & vndiq; ruentibus telis oppositu corporum suorum texerunt. quorum Pomponius, quò is facilius euaderet, concitatum sequẽtium agmen in porta Trigemina aliquandiu acerrima pugna inhibuit: nec viuus pelli potuit, sed multis cõfectus vulneribus transitum super cadauer suum eis (credo etiam post fata inuitus) dedit. Lectorius autem in ponte Sublicio constitit, & eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritus sui sepsit: ac vi iam multitudinis obrutus, cõuerso in se gladio, celeri saltu profundum Tiberis petijt: quamq; in eo ponte charitatem toti patriæ Horatius Cocles exhibuerat, vnius amicitiæ adiecta voluntaria morte præstitit. Quàm bonos Gracchi, si aut patris aut materni aui sectam vitæ ingredi voluissent, habere milites potuerant? Quo enim impetu, qua perseuerãtia animi Blosius & Põponius & Lectorius trophæa

ac triumphos eorum adiuuiſſent, furioſi conatus tam ſtrenui comites? ſiniſtris quidem auſpicijs amicitiæ conditionem ſecuti: ſed quo miſeriora, hoc certiora fideliter cultæ nobilitatis exempla.

DE LVCIO RHEGINO.

Lucius autem Rheginus, ſi ad debitam publico miniſterio ſynceritatẽ exigatur, poſteritatis conuitio lacerandus: ſi amicitiæ fido pignore exiſtimetur, in optimo laudabilis cõſcientię portu relinquendus eſt. Trib. enim plebis Cepionem in carcerem coniectũ, q̃ illius culpa exercitus noſter à Cimbris & Theutonibus videbatur deletus, veteris arctæq; amicitiæ memor, publica cuſtodia liberauit, nec eatenus amicum egiſſe contentus, etiam fugæ eius comes acceſſit. Prò magnum & inexuperabile tuum numen Amicitia: cum ex altera parte Reſpub. manum inijceret, ex altera tua illum dextra traheret: & illa vt ſacroſanctus eſſe vellet exigeret, tu exilium indiceres: adeo blando vteris imperio, quòd is ſuppliciũ honori prætulit. Admirabile eſt opus tuũ: ſed quod ſequitur, aliquanto laudabilius. Recognoſce enim quouſque Volumnij cõſtantem erga amicum ſuum charitatem ſine vlla Reip. iniuria euexeris: qui ortus equeſtri loco, cum Marcum Lucullũ familiariter coluiſſet, eumq; Marcus Antonius, quòd Bruti & Caſſij partes ſecutus fuerat, interemiſſet, in magna fugiendi licentia exanimi amico adhæſit, hucuſque in lachrymas & gemitus profuſus, vt nimia pietate cauſam ſibi mortis accerſeret. Nam propter præci-

puam & perſeuerantem lamentationem ad Antonium pertractus eſt. cuius poſtquam in conſpectu ſtetit, Iube me, inquit, imperator protinus ad Luculli corpus perductum occidi: neque enim abſumpto illo ſupereſſe debeo, cum ei infelicis militiæ author extiterim. Quid hac fidelius beneuolentia? Mortem amici, hoſtis odio leuauit, vitam ſuam conſilij crimine aſtrinxit: quoque illum miſerabiliorē redderet, ſe fecit inuiſiorem: nec difficiles Antonij aures habuit: ductuſque quò voluerat, Luculli dexteram auide oſculatus, caput quod abſciſſum iacebat, ſublatum, pectori ſuo applicauit, ac deinde dimiſſam ceruicem victoris gladio præbuit.

DE THESEO ET PIRYTHOO.

Lequatur nunc Græcia nefandis Theſea Pirythoi amoribus ſubſcribentem, Ditis ſe patris regnis cōmiſiſſe. nā vani eſt illud narrare, ſtulti credere, miſtum cruorem amicorum, & vulneribus inexa vulnera, mortemq; morti inhærētem videre. hæc vera Romanæ amicitiæ indicia: illa gentis ad fingendum paratæ, monſtro ſimilia mēdacia.

DE LVCIO PETRONIO.

Lucius quoq; Petronius huiuſce laudis conſortionem merito vendicat. Pari enim inclytæ amicitiæ auſui, par gloriæ portio aſſerenda eſt. Admodum humili loco natus, ad equeſtrem ordinem, & ſplendidæ militiæ ſtipendia, Publij Cælij beneficio peruenerat: cui gratum animum quia in materia lęta exhibere non contigerat, in ea quā iniquam fortuna eſſe voluit, cum multa fide prę-

stitit. Erat ab Octauio cos. Placentiæ præpositus Cælius, qua Cinnano exercitu capta, & senior iam, & graui valetudine affectus, ne in potestatem hostium veniret, ad auxiliū dextræ Petronij confugit. quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere, in ijsdem perseuerātem precibus interemit, cædiq; eius suam iunxit: ne eo iacente, per quem omnia dignitatis incremēta assecutus fuerat, supereſſet. Ita alterius fato verecundia, alterius pietas causam præbuit.

DE SERVIO TERENTIO.

Iungendus est Petronio Seruius Terentius, quanquam ei, sicut cupierat, pro amico suo perire nō contigit. Incepto nanq; egregio, non irrito euentu ęstimari debet: quia quantum in illo fuit, & ipse extinctus est, & D. Brutus periculum euasit mortis: qui fugiens â Mutina, vt ad se interficiēdū ab Antonio missos equites aduenisse cognouit, quodam in loco iustæ pœnę debitū spiritum tenebris furari conabatur: eoque iam facta irruptione, Terentius fideli mendacio obscuritate ipsa suffragrante, Brutum se esse simulauit, & corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verū cognitus à Furio, cui Brutianæ vltionis officium mandatum fuerat: nece sua, amici suppliciū discutere non potuit. sic inuitus fortuna cogente vixit.

DE DECIMO LAELIO, ET M. Agrippa.

Ab hoc horrido & tristi pertinacis amicitiæ, ad lętum & serenum vultū transeamus, atq; inde eam euocatā, vbi omnia lachrymis, gemitu, cædibus

fuerant referta: in eo quo dignior est, felicitatis domicilio collocemus, gratia, honore, abundantissimisq; opibus fulgente. Orire igitur ab illa quæ sanctorum vmbris dicata esse creditur, sede, hinc Decime Læli, illinc M. Agrippa, alter virorum, alter deorum maximum amicum, & certa mente, & secundis ominibus sortiti: totumq; beatæ turbæ gregem, qui vestro ductu veneranda syncerae fidei stipendia laudibus & præmijs onustus peregit, in lucem vobiscum protrahite. Vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestrã inexpugnabilem taciturnitatem, proque dignitate & salute amicorum perpetuam excubationem, testatiorẽ beneuolentiam, & rursus harum rerum vberrimos fructus posterior intuens ætas, in excolendo iure amicitiæ, quàm libentius, tam etiam religiosius erit operata. Hæret animus in domesticis, sed aliena quoq; benefacta referre, Romanæ vrbis candor hortatur.

EXTERNA.

Damon & Pythias Pythagoricæ prudentię sacris initiati, tam fidelẽ inter se amicitiam iunxerunt, vt cũ alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo prius quàm periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrauisset: alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitauit. solutus erat periculo mortis, qui modo gladio ceruices subiectas habuerat: eidemq; caput suũ subiecerat, cui securo viuere licebat. Igitur omnes, & in primis Dio

nysius,nouæ atq; ancipitis rei exitum speculabã-
tur.appropinquante deinde finita die,nec illo re-
deunte,vnusquisq; stultitiæ tam temerariũ spon-
sorem damnabat.at is nihil se de amici constan-
tia metucre prædicabat.eodem autem momen-
to,& hora a Dionysio constituta,qui eã accepe-
rat,superuenit. Admiratus amborũ animum ty
rãnus,supplicių fidei,remisit,insuperq; eos roga-
uit,vt se in societatem amicitiæ, tertiũ sodalitij
gradum vltima culturũ beneuolẽtia reciperent.
Hæ sane vires amicitiæ,mortis contemptũ,in-
generare,vitędulcedinem extinguere,crudelita-
tem mansuefacere, odium in amorem conuerte-
re,pœnam beneficio pensare potuerunt. quibus
penè tantum venerationis,quãtum deorum im-
mortalium ceremonijs debetur.Illis enim publi-
ca salus,ijs priuata continetur:atq; vt illarum ę-
des sacra domicilia,ita harũ fida hominũ pectora
quasi quodã sancto spiritu referta templa sunt.

DE ALEXANDRO.

Quod ita esse rex Alexander sensit. Darij castris,
in quibus omnes necessarij eius erant , potitus,
Ephestione gratissimo sibi latus suum tegẽte,ad
eos alloquendos venit.cuius aduentu mater Da-
rij recreata,humi prostratum caput erexit,Ephe
stionemq;,quia ei & statura & forma pręstabat,
more Persarum adulata,tanquam Alexandrum
salutauit.admonita deinde erroris,per summam
trepidationem excusationis verba quærebat.cui
Alexander,Nihil est,inquit,quòd hoc nomine
confundaris.nam & hic Alexãder est. Vtri prius

gratulemur? qui hoc dicere voluit? an cui audire contigit? maximi enim animi rex, etiam totum terrarum orbem aut victorijs aut ſpe cõplexus, tam paucis verbis ſe cũ comite ſuo partitus eſt. O donum inclytæ vocis danti pariter atq; accipienti ſpecioſum.

DE POMPEIO.

Quod priuatim quoque merito veneror clariſſimi ac diſertiſſimi viri promptiſſimam erga me beneuolentiam expertus: nec metuo ne parum conueniat mihi Pompeium meũ imitar eſſe Alexandri: cum illi Epheſtio ſuus alter tuerit Alexander. Ego vero grauiſſimo crimini ſim obnoxius, conſtantis & benignæ amicitię exempla ſine vlla eius mẽtione tranſgreſſus, cuius in animo velut in parentum amãtiſſimorum pectore, lætior vitæ meæ ſtatus viguit, triſtior acquieuit. a quo omnium incrementa commodorum vltro oblata cepi: per quem tutior aduerſus caſus ſteti: qui ſtudia mea ductu & auſpicijs ſuis lucidiora & alacriora reddidit. Itaque paui inuidiam quorũdam optimi amici iactura, videlicet quia fructu torſeram, non quidem meo merito, gratiam meam, quantacunque cum ijs fuit, qui ea vti voluerant, partitus: verum nulla tam modeſta felicitas eſt, quæ malignitatis dentes vitare poſſit, & quo receſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordiæ permulſeris, non cohibebis ne vt alienis malis perinde ac bonis ſuis lætentur, ac geſtiant. diuites ſunt aliorum iacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus: ſed illi

» quatenus alienis incommodis ſuorum adhuc ex-
» pertes inſultẽt, optima vindex inſolentiæ varie-
» tas humanæ conditionis viderit.

DE LIBERALITATE. Ca. VIII.

NOſtrum opus pio egreſſu ad propriã rem prouectum, in ſuum ordinem reuocetur: liberalitatiſque commemorationi vacemus: cuius duo ſunt maxime probabiles fontes, verum iudicium, & honeſta beneuolentia. Nam cum ab his oritur, tũc demum eius ratio cõſtat. dono autem ipſi gratiam & magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas cõciliat.

DE FABIO MAXIMO.

Accedit enim pretio rei, inęſtimabile momentum occaſionis, quæ Fabium Maximũ tot ante ſecula ob paruam pecuniæ ſummam erogatę, ad hoc vſq; tempus laudabilem fecit. Captiuos enim ab Hannibale interpoſita pactione nummorũ receperat. qui cum a ſenatu non præſtarentur, miſſo in vrbem filio, fundum quem vnicũ poſſidebat, vendidit, eiuſque pretium Hãnibali protinus numerauit. Si ad calculos reuocetur, paruum, vtpote ſeptem iugeribus, & hoc in Pupinia addictis redactum: ſi animo prærogantis, omni pecunia maius: ſe enim patrimonij, quàm patriam fidei inopem eſſe maluit: eo quidem maiore cum cõmẽdatione, quòd proni ſtudij certius indiciũ eſt ſupra vires niti, quàm viribus ex facili vti. alter enim quod poteſt præſtat: alter etiã plus quàm poteſt.

DE BVSA.

Itaq; eiusdem tēporis fœmina Busa nomine, regionis autem Apuliæ ditissima, merito quidem liberalitatis testimonium recepit, sed excellētes opes suas Fabianis rei familiaris angustijs non coparauerit. Nam etsi circa decem millia ciuiū nostrorum Cannensis prælij reliquias benignissime inter Cānusina mœnia alimentis sustētauit, saluo tamen statu fortunarum suarum munificā se P.R. præstitit: Fabius in honorem patriæ paupertatem inopia mutauit.

DE QVINTO CONSIDIO.

In Quinto quoque Considio saluberrimi exempli nec sine paruo ipsius fructu liberalitas annotata est: qui Catilinæ furore ita consternata rep. vt ne a locupletibus quidem debitæ pecuniæ, propter tumultum pretijs possessionum diminutis, solui creditoribus possent, cum centies atq; quinquagies HS summam in fœnore haberet, neq; de sorte quēquam debitorum suorū, neq; de vsura appellari a suis passus est: quātūq; in ipso fuit, amaritudinem publicæ confusionis priuata tranquillitate mitigauit: opportune mirificeq; testatus, se nummorum suorum, nō ciuilis sanguinis esse fœneratorem. Nam qui nunc præcipue negociatione delectantur, cum pecuniam cruentam domum retulerint, quàm improbando gaudio exultent, recognoscent si diligenter S. Consultum quo Considio gratiæ actæ sunt, legere non fastidierint.

DE POPVLO ROMANO.

Queri iamdudum mecũ Popu. Ro. videtur, quòd cum ſingulorum munificentiam cõſecter, de ſua taceam. ad ſummã enim eius laudem pertinet, quem animũ regibus & vrbibus & gẽtibus præſtiterit, recognoſci, quia omne præclari facti decus crebra memoria in ſe ipſo reuireſcit. Aſiam bello captam, Attalo regi muneris loco poſſidendã tribuit, eo excelſius & ſpecioſius vrbi noſtræ futurum imperium credens, ſi ditiſſimam atque amœniſſimam partem terrarum orbis in beneficio q̃ in fructu ſuo reponere maluiſſet. ipſa victoria donum felicius, quia multum occupaſſe, habere inuidiam potuit: tantum tribuiſſe, gloria carere non potuit.

DE T. QVINTIO FLAMINIO.

Illius vero Romanæ liberalitatis cæleſtem ſpiritũ nullæ literæ ſatis dignis laudibus proſequuntur. Philippo enim Macedoniæ rege ſuperato, cũ ad inſigne ſpectaculum tota Græcia cõueniſſet, Quintius Flaminius tubæ ſigno ſilentio facto per præconem hæc verba recitari iuſſit. Senatus P. Q. R. & Quintꝰ Flaminꝰ imperator, omnes Græciæ vrbes quæ ſub ditione Philippi regis fuerunt, liberas atq; immunes eſſe iubet. Quibus auditis, maximo & inopinato gaudio homines pculſi, primo veluti nõ audiſſe ſe quæ audiuerãt credentes, obticuerũt. Iterata deinde pronunciatione præconis, tãta cælũ clamoris alacritate cõpleuerũt, vt certe cõſtet, aues quæ ſuperuolabãt, attonitas pauẽteſq; decidiſſe. Magni animi fuiſ-

set a tot captiuorum capitibus seruitutẽ detraxisse, quot tunc nobilissimis & opulẽtissimis vrbibus P.R. libertatem largitus est. Ad cuius maiestatem pertinet, non solum quod ipse benigne tribuit, sed etiam quod alio tribuẽte sensit, commemorari. Vt enim illic commemoratæ, ita hic redditæ laudis commendatio est.

EXTERNA.

DE HIERONE SYRACVSANO.

Hiero Syracusanorũ rex audita clade qua Romani apud Thrasimenum lacum afflicti erant, trecenta millia modiorũ tritici, ducenta hordei, auriq; ducenta & XL pondo vrbi nostræ muneri misit: nec ignarus verecundiæ maiorum nostrorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formauit, vt eos religione motos, munificẽtia sua vti cogeret: voluntate mittendi prius, iterum prouidentia cauendi ne remitteretur, liberalis.

DE AGRIGENTINO GILLIA.

Subnectam huic Agrigẽtinũ Gilliam, quem propemodum ipsius liberalitatis præcordia constat habuisse. Erat enim opibus excellens, sed multo etiã animo quàm diuitijs locupletior, semperq; in erogãda potius q̃ in contrahenda pecunia occupatus: adeo vt domus eius quasi quædam munificẽtiæ officina crederetur. illinc enim publicis vsibus apta monimẽta extruebantnr, illinc grata populi oculis spectacula edebantur: illinc epularum magnifici apparatus, libentiq; animo annonæ subsidia tribuebantur: & cũ hæc vniuersis priuatim alimẽta inopia laborantibus, dotes virgi-

nibus paupertate preſſis, ſubſidia detrimentorũ incurſu quaſſatis ſolatia erogabantur: hoſpites quoq; tum vrbanis penatibus, tum etiã ruſticis tectis benigniſſime excepti, varijs muneribus ornati dimittebantur. Quodã vero tempore quingẽtos ſimul Gelẽſium equites vi tempeſtatis in poſſeſſiones ſuas cõpulſos aluit ac veſtiuit. Quid multa? Nõ mortalem aliquem, ſed propitiæ fortunæ benignũ eſſe diceres ſinum. Ergo quod Gillias poſſidebat, omnium quaſi cõmune patrimonium erat. Pro cuius ſalute & incrementis tum Agrigentina ciuitas, tum etiam vicinæ regiones votis excubabãt. Colloca e contraria parte arcas inexorabilibus clauſtris obſeratas: nõne præſtantiorem aliquãto exiſtimes illam impẽſam, quàm hanc cuſtodiam?

VALERII MAXIMI LIB. QVINTVS.

DE HVMANITATE. Cap. I.

Iberalitati quas aptiores comites, quàm humanitatẽ & clementiam dederim, quoniam idem genus laudis expetunt? quarũ prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præſtatur: cumq; neſcias quã maxime probes, eius tamen commendatio præcurrere videtur, cui nomen ex ipſo numine quæſitum eſt. Ante omnia tamen humaniſſima & clementiſſima ſenatus acta referam. Qui, cũ Carthaginienſiũ legati ad captiuos redimẽdos in vrbẽ veniſſent, protinus his nulla pecunia accepta red-

didit iuuenes numerum duûm milliũ & ſeptingentorum quadragintatrium explentes. tantum hoſtium exercitum dimiſſum, tãtam pecuniam cõtemptam, tot Punicis iniurijs veniam datam ipſos legatos obſtupuiſſe arbitror, ac ſecũ dixiſſe: O munificẽtiam gentis Romanæ, deorum benignitati æquandam. O etiam noſtram legationem ſupra vota felicem. nam beneficium quod nunquam dediſſemus, accepimus.

DE SENATV ROMANO.

Illud quoq; non paruum humanitatis Senatus indicium eſt. Siphacem enim quondam opulentiſſimum Numidiæ regem captiuum in cuſtodia Tiburi mortuum publico funere cenſuit efferẽdum, vt vitæ dono honorem ſepulturæ adijceret.

DE EIVSDEM SENATVS Clementia.

Conſimiliq; clementia in Perſe vſus eſt. nam cum Albæ, in quã cuſtodiæ cauſa legatus erat, deceſſiſſet, Quæſtorem miſit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur. Hoſtibus hæc, & miſeris, & fato functis officia regibus erogata: illa amicis & felicibus & viuis tributa ſunt.

DE EODEM SENATV IN filium Maſiniſſæ.

Confecto Macedonico bello, Muſicanes Maſiniſſæ filius cum equitibus quos in præſidiũ Romanorum adduxerat, ab imperatore Paulo ad patrem remiſſus, tempeſtate claſſe diſperſa, Brũduſium

æger delatus est. quod vbi senatus agnouit, cõtinuo illò Quæstorem ire iussit, cuius cura & hospitiũ adolescẽti expediretur, & omnia quę ad valetudinem opus essent, præberentur: impẽsæq; liberaliter tum ipsi, tum toti comitatui præstarentur: naues etiam vt prospicerẽtur, quibus ipse bene ac tuto cum suis in Africam traijceretur: equitibus singulas libras argenti, & quingenos sestertios dari imperauit. quæ tam prompta, & tam exquisita patrum C. humanitas efficere potuit, vt etiam si expirasset adolescens, æquiore animo desiderium eius pater toleraret.

DE EODEM IN PRVSIAM.

Idem senatus cum ad gratulandum sibi Prusiam Bithynię regẽ Perse deuicto venire audisset, obuiam illi P. Corneliũ Scipionẽ Quęstorẽ Capuã misit, censuitq;, vt ei domus Romæ quamoptima conduceretur, & copiæ non solum ipsi, sed etiam comitibus eius publice præberẽtur. In eoque excipiendo tota vrbs vnius humani amici vultum habuit. Ita qui amantissimus nostri venerat, duplicata erga nos beneuolentia in regnũ suum reuersus est.

DE EODEM IN PTOLEMAEVM.

Nec Aegyptus quidem Romanæ humanitatis expers fuit. Rex enim Ptolemęus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilij gratia cum paucis admodum seruis squalore obsitus Romam venerat, ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam senatui relatum est, accersito iuuene, q̃ potuit accurata excusatione

vſus eſt, quòd nec Quæſtorem illi more maiorũ obuiam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet: eaque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtino aduentu facta dixit: & illum è curia ſubito ad publicos penates deduxit: hortatuſque eſt, vt depoſitis ſordibus, adeundi ipſius diem peteret. quinetiam curæ habuit, vti munera ei per Quæſtorem quotidie darentur. his gradibus officiorum iacentem ad regium faſtigium euexit, effecitque vt plus ſpei in auxilio Populi Romani, quàm metus in ſua fortuna reponeret.

DE L. CORNELIO.

Atque vt ab vniuerſis Patribus C. ad ſingulos veniã, L. Cornelius COS. primo Punico bello, cum Olbiam oppidũ cepiſſet, pro quo fortiſſime pugnans Hanno dux Carthaginienſium occiderat: corpus eius è tabernaculo ſuo amplo funere extulit, nec dubitauit hoſtis exequias ipſe celebrare: eam demum victoriam & apud deos & apud homines minimum inuidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuiſſet.

DE QVINTO CRISPINO.

Quid de Q. Criſpino loquar? cuius humanitatem potentiſſimi affectus ira atq; gloria quatere non potuerunt. Badium Campanum & hoſpitio benigniſſime domi ſuæ exceperat, & aduerſa valetudine correptum, attentiſſima cura recreauerat: a quo poſt illam nefariam Campanorũ defectionem in acie ad pugnam prouocatus, cũ & viribus corporis, & animi virtutibus aliquanto eſſet ſuperior, monere ingratum, quàm vincere

maluit.nam,quid agis,inquit,demens? aut quò te praua cupiditas transuersum rapit? parum habes publica impietate furere, nisi etiam priuata lapsus fueris? Vnus tibi Romanorum videlicet Quintius placet, in quo sceleſta exerceas arma? cuius penatibus & honoris vicissitudinem,& salutem tuam debes. At me fœdus amicitię,Dijq; hoſpitales,ſancta noſtro ſanguini, veſtris pectoribus vilia pignora, hoſtili certamine congredi tecum vetant.quinetiam ſi in concurſu exercituũ fortuito vmbonis mei impulſu proſtratũ agnouiſſem,applicatum iã ceruicibus tuis mucronem reuocaſſem. Tuum ergo crimen ſit,hoſpitem occidere voluiſſe, meum non eris hoſpes occiſus. proinde aliam qua occidas dexterã quære, quoniam mea te ſeruare didicit.Dedit vtrique cęleſte numen debitum exitum.ſiquidem in eo prælio Badius obtruncatus eſt,Quintius inſigni pugna clarus euaſit.

DE M. MARCELLO.

Age,Marci Marcelli clemẽtia quàm clarũ, quâmque memorabile exemplũ haberi debet? qui captis a ſe Syracuſis,in arce earum conſtitit,vt vrbis modo opulentiſſimæ,tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret.Cęterum caſum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. quem ſi quis ignarus vir aſpexiſſet, alterius victoriã eſſe credidiſſet.Itaq; Syracuſana ciuitas maxima clade tua aliquid admiſtum gratulationis habuiſti: quia ſi tibi incolumi ſtare fas nõ erat,leuiter ſub tam manſueto victore cecidiſti.

DE Q. METELLO.

Quintus vero Metellus Celtibericum in Hiſpania gerens bellum, cum vrbem Centobricam obſideret, & iam admota machina, partem muri quę ſola conuelli poterat, diſiecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cum Rhetogenis filios, qui ad eum tranſierat, Centobricenſes machinæ ictibus obieciſſent, ne pueri in conſpectu patris crudelis genere mortis conſumerẽtur, quanquam ipſe Rhetogenes negabat eſſe impedimẽto quo minus etiam per exitum ſanguinis ſui expugnationẽ perageret, ab obſidione diſceſſit. Quo quidem tam clementi facto, etſi non vnius ciuitatis mœnia, omniũ tamen Celtiberarum vrbium animos cepit, effecitque vt ad redigendas eas in ditionem Populi Rom. non multis ſibi obſidionibus opus eſſet.

DE AFRICANO POSTERIORE.

Africani quoq; poſterioris humanitas ſpecioſe lateq; patuit. Expugnata enim Carthagine, circa Siciliæ ciuitates literas miſit, vt ornamenta templorum ſuorum a Pœnis rapta, per legatos recuperarent, inque priſtinis ſedibus reponẽda curarent. Beneficium Dijs atque hominibus pariter acceptum. Huic facto par eiuſdẽ viri humanitas. A Quęſtore ſuo haſtæ ſubiectos captiuos vẽdente, puer eximiæ formæ, & liberalis habitus miſſus eſt: de quo cum exploraſſet Numidam eſſe, orbum relictũ a patre, educatum apud auunculum Maſiniſſam: eo ignorante immaturam aduerſus Romanos ingreſſum militiam: & errori

illius veniam dandam, & amicitiæ regis fidiſſimi Populo Rom. debitam venerationem tribuendam exiſtimauit. Itaque puerum annulo, fibulaque aurea, & tunica laticlauia, hiſpanoque ſagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum proſequerentur equitibus, ad Maſiniſſam remiſit: eos victorię maximos fructus ratus, dijs templorum ornamenta Romanos, regibus ſanguinem ſuum reſtituere.

DE L. PAVLO.

Lucij etiã Pauli in tali genere laudis memoria apprehendenda eſt: qui cum Perſen parui temporis momento captiuum ex rege ad ſe adduci audiſſet, occurrit ei Romani imperij decoratus ornamentis: conatumq; ad genua procumbere, dextra manu alleuauit, ſermoneque grato ad ſpem exhortatus eſt. introductum etiam in tabernaculum, lateri ſuo proximum in conſilio ſedere fecit: nec honore menſę indignũ iudicauit. Proponatur in conſpicuo acies qua proſtratus eſt Perſes, & harum rerum quas retuli contextus: vtro magis ſpectaculo delectentur, homines dubitabunt. Nam ſi egregium eſt hoſtem abijcere, nõ minus tamen laudabile infelicis ſcire miſereri.

DE CN. POMPEIO.

Hæc L. Pauli humanitas admonet me, ne de Cn. Pompeij clementia taceam. Regem Armeniæ Tigranem, qui & per ſe magna cum P. R. bella geſſerat, & infeſtiſſimum vrbi noſtrę Mithridatẽ Ponto pulſum viribus ſuis protexerat, in conſpectu ſuo diutius iacere ſupplicem paſſus non eſt, ſed benignis verbis recreatũ, diadema quod

abiecerat,capiti reponere iussit: certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit:æque pulchrum esse iudicans,& vincere reges,& facere. Quàm præclarum tributæ humanitatis specimen Cn. Pompeius? quàm miserabile desideratæ idem euasit exemplum? Nam qui Tigranis tempora insigni regio texerat,eius caput tribus coronis triumphalibus spoliatum, in summo terrarum orbe nusquam sepulturæ locũ habuit,sed abscissum â corpore,inops rogi,nefarium Aegyptiæ perfidię portatum munus est, etiam ipsi victori miserabile. Vt enim id Cæsar aspexit, oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum etiam filiæ suæ lachrymas reddidit. Caput etiam plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curauit. quod si non tam mansuetus animus diuini principis extitisset,paulo antè Romani imperij columen habitum(sic mortalium negotia fortuna versat)inhumatum iacuisset.

DE CAESARE.

Catonis quoque morte Cæsar audita,& se inuidere illius gloriæ, & illum suæ inuidisse dixit: patrimoniumque eius liberis ipsius incolume seruauit. Et hercule,diuinorum Cæsaris operũ non parua pars Catonis salus fuisset.

DE M. ANTONIO, ET M. BRVTO.

Marci autem Antonij animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendũ tradidit: quoq; honoratius cremaretur,inijci ei suũ paludamentũ iussit,iacentem non hostem,sed ciuem deposito existimans

odio. cumque interceptum à liberto paludamentum comperisset, ira percitus protinus in eum animaduertit, hac ante præfatione vsꝰ. Quid tu? ignorasti cuius tibi viri sepulturã commiserim? Fortem, piamque eius victoriam Philippica m libenter Dij viderunt, sed ne ista quidem generosissimæ indignationis verba inuiti audierunt.

EXTERNA.

DE ALEXANDRO.

Commemoratione Romani exempli in Macedoniam deductus, morum Alexandri præconium facere cogor. cuius vt infinitam gloriam bellica virtus, ita præcipuum amorem clementia meruit. Is dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loco niuali tempestate oppressus, senio iam confectum militem Macedonem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi & propinqua igni sede sedens animaduertit, factaque non fortunæ, sed ætatis vtriusque æstimatione, descendit, & illis manibus quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum, in suã sedem imposuit: id ei salutare futurum ducens, quod apud Persas capitale extitisset, solium regium occupasse. Quid ergo mirum est si sub eo duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarij militis incolumitas proprio fastigio charior erat? Idem non hominum vlli, sed Naturæ Fortunæque cedens, quanquam violentia morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectus, dexteram omnibus qui eam contingere vellent, porrexit. Quis autem illam osculari non curaret, quæ

iam fato oppreſſa, maximi exercitus cõplexui, humanitate, quàm ſpiritu viuidiore ſuffecit?

DE PISISTRATO.

Non tam robuſti generis humanitas, ſed & ipſa tamen memoria proſequenda Piſiſtrati Atheniēſium tyranni narrabitur. Qui, cũ adoleſcens quidam amore filiæ eius virginis accenſus, in publico obuiam ſibi factam oſculatus eſſet, hortante vxore vt ab eo capitale ſupplicium ſumeret, reſpondit, Si eos qui nos amant, interficimus, quid ijs faciemus quibus odio ſumus? Minime digna vox, cui adijciatur eam ex tyranni ore de humanitate manaſſe. In hunc modum filię iniuriam tulit, ſuam multo laudabilius.

DE EODEM.

A Thraſippo amico inter cœnam ſine fine conuitio laceratus, ita & animum & vocem ab ira cohibuit, vt putares ſatellitem à tyranno male audire. Abeuntem quoque, veritus ne propter metum maturius ſe cõuiuio ſubtraheret, inuitatione familiari cœpit retinere. Thraſippus concitatæ temulentiæ impetu euectus, os eius ſputo reſperſit: nec tamen in vindictam ſui valuit accendere. Ille vero etiam filios ſuos violatæ patris maieſtati ſubuenire cupientes, retraxit. Poſtero quoque die Thraſippo ſupplicium â ſe voluntaria morte exigere volente, venit ad eum, dataque fide in eodem gradu amicitiæ manſurũ, ab incepto reuocauit. Si nihil aliud dignum honore memoriæ geſſiſſet, his tamen factis abunde ſe poſteritati commendaſſet.

DE PYRRHO REGE.

Aeque mitis animus Pyrrhi Regis. Audierat apud quosdam in conuiuio Tarentinorum parũ honoratum de se sermonem habitũ. accersitos qui ei interfuerunt, percontabatur, an ea quæ ad aures eius peruenerant, dixissent. Tum ex his vnus inquit, Nisi nobis vinum defeciisset, ista quæ tibi relata sunt, præ ijs quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent. Tam vrbana crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio, iram regis conuertit in risum. Qua quidem clementia & moderatione assecutus est, vt & sobrij sibi Tarentini gratias agerent, & ebrij bene precarentur. Ab eadem altitudine humanitatis legatis Romanorum ad redimendos captiuos castra sua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Molossum obuiam misit: quo honoratius exciperentur, ipse cum ornatu equitum extra portam occurrit: secundarum rerum prouentu non adeo corruptus, vt officij prospectum in ijs deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant.

DE ANTIGONO REGE.

Cuius tam mitis ingenij debitum fructũ vltimo fati sui tempore recepit. nam cum diris auspicijs Argiuorum inuasisset vrbem, abscissumq; caput eius Alcyoneus Antigoni regis filius ad patrẽ propugnatione laborantẽ lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus attulisset, Antigonus correpto iuuene, quòd tanti viri subitæ ruinæ, immemor humanorum casuum, effuso gaudio insultaret, humo caput sublatum, cauſea qua ve-

latum caput ſuum more Macedonum habebat, texit, corporiq; Pyrrhi redditum honoratiſſime cremandum curauit. Quinetiam filium eius Helenum captiuum ad ſe pertractum, & cultum & animum gerere regium iuſſit: oſſaque Pyrrhi ei aurea incluſa vrna Epirum in patriam ad Alexãdrum fratrem portanda dedit.

DE CAMPANIS.

Campani autem exercitum noſtrum cum COSS. apud Caudinas furcas ſub iugum a Samnitibus miſſum, nec inermem tantum, ſed etiam nudum vrbem ſuam intrantem, perinde ac victorem, & ſpolia hoſtium præ ſe ferẽtem, venerabiliter exceperunt, protinuſq; cõſulibus inſignia honoris, militibus veſtem, arma, equos, commeatum benigniſſime pręſtando, & inopiam & deformitatem Romanæ cladis mutarũt: quo animo ſi pro imperio noſtro aduerſus Hannibalem quoq; vſi fuiſſent, truculentis ſecuribus materiam ſæuiendi non præbuiſſent.

DE HANNIBALE.

Facta mentione acerrimi hoſtis, manſuetudinis eius operibus quam Romano nomini præſtitit, locum qui inter manus eſt, finiã. Hannibal enim Aemilij Pauli apud Cannas trucidati quæſitum corpus, quantum in ipſo fuit, inhumatum iacere paſſus non eſt. Hannibal Tiberiũ Gracchum Lucanorum circũuentum inſidijs, cum ſummo honore ſepulturæ mãdauit, & oſſa eius in patriã portanda militibus noſtris tradidit. Hannibal Marcum Marcellum in agro Brutio, dum cona-

tus Pœnorum cupidius q̃ consideratius specu-
latur, interemptum, legitimo iure extulit, Puni-
co quoq; sagulo, & corona donatum laurea, rogo
» impositum. Ergo humanitatis dulcedo etiã in effe-
» rata barbarorum ingenia penetrat, orbosque &
» truces hostium mollit oculos, ac victoriæ insolẽ-
» tissimos spiritus flectit: nec illi arduum aut diffi-
» cile est inter arma contraria, inter districtos cõ-
» minus mucrones placidum iter reperire. Vincit
» iram, prosternit odium, hostilemq; sanguinẽ ho-
» stilibus lachrymis permiscet: atq; etiam admira-
bilem Hannibalis vocem pro funeribus Roma-
norum ducum arbitria statuentis expressit, quia
aliquanto ei plus gloriæ Paulus & Gracchus &
Marcellus sepulti, q̃ oppressi attulerunt. siquidẽ
illos Punico astu decepit, Romana mansuetudi-
ne honorauit: vosq; fortes ac pię vmbræ nõ pœ-
nitẽdas sortiti estis exequias. Nam vt optabilius
in patria, ita speciosius pro patria collapsę, supre
mi officij decus infelicitate amissum, virtute re-
cuperastis.

DE GRATIS. Cap. II

GRatas vero animi significatiões, & ingra-
ta facta libuit oculis subijcere, vt vitio ac
virtuti iusta merces æstimationis ipsa cõ-
paratione accederet. Sed quoniã cõtrario propo-
sito sese distinxerũt, nostro quoq; stylo separen-
tur: prioremq; locum obtineãt, qui laudem, q̃ qui
reprehensionem merentur.

DE MARTIO CORIOLANO.

Atq; vt a publicis actis ordiar, Martium patriam

oppugnare conantem,admotoq; portis vrbis ingẽti Volſcorum exercitu,funus ac tenebras Romano imperio minitantẽ,Veturia mater,ac Volumnia vxor,nefariũ opus exequi precibus ſuis paſſæ non ſunt.in quarum honorem Senatus matronarum ordinem benigniſſimis decretis adornauit.Sanxit nãque vt fœminis ſemita viri cederent:confeſſus plus ſalutis reipub.in ſtola,quàm in armis fuiſſe:vetuſtiſq; aurium inſignibus nouum vittæ diſcrimẽ adiecit:permiſit quoque his purpurea veſte,& aureis vti ſegmẽtis.ſuper hoc ædem & arã Fortunæ muliebri eo loco quo Coriolanus exoratus fuerat,faciendam curauit,memorem beneficij animũ ſuum exquiſitæ religionis cultu teſtãdo.Quem ſecundi etiam belli Punici tempore exhibuit.Cum enim a Fuluio Capua obſideretur,ac duæ Campanæ mulieres beneuolẽtiam erga Romanos dimittere ex animis noluiſſent,Veſtia Opidia materfamilias,& Cluuia Facula meretrix,quarũ altera quotidie pro ſalute noſtri exercitus ſacrificauit, altera captis militibus Romanorum alimenta ſubminiſtrare non deſtitit,vrbe illa oppreſſa,ſenatus ijs & libertatẽ,& bona reſtituit:& ſi quid amplius prẽmij petiſſent,libenter ſe daturũ aſſeuerauit. Vacaſſe in tãto gaudio P.C.duabus humilibus fœminis referre gratiam,nedum præ ſe tuliſſe,mirandum.

DE QVINTIO ET MINVTIO.

Quid illa quoq; iuuentute Romana gratius, quæ Quintio & Minutio coss. vltro nomina ſua

militari ſacramẽto obtulit, vt Tuſculanis quorum fines Equiculi occupauerãt, præſidium ferrent, quia paucis ante menſibus conſtãtiſſime & fortiſſime imperium Romani Populi defenderant. Ergo quod auditu nouum eſt, ne patrię grata volũtas ceſſaſſe videretur, exercitus ſe ipſe cõſcripſit.

DE FABIO MAXIMO.

Magnum grati Po. Ro. ſpecimen in Quinto Fabio Max. enituit. Nam cum quinque conſulatibus ſalubriter reipu. adminiſtratis deceſſiſſet, certatim æs contulit, quò maior ac ſpecioſior eius funeris põpa duceretur. Eleuet aliquis præmia virtutis, cum animaduertat fortes viros felicius ſepeliri, quàm viuere ignauos.

DE MINVTIO MAGISTRO Equitum.

Fabio autem etiam incolumi ſumma cum gloriã gratia relata eſt. dictatori enim magiſter equitũ Minutius ſcito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, ęquatus, partito exercitu ſeparatim in Samnio cum Hannibale cõflixerat: vbi temere inito certamine, peſtiferũ habiturus exitum, ſubſidio Fabij conſeruatus, & ipſe eum patrẽ appellauit, & a legionibꝰ ſuis patronũ ſalutari voluit: ac depoſito æqualis imperij iugo, magiſterium equitum, ſicut par erat, dictaturæ ſubiecit, imprudentiſque vulgi errorem gratæ mentis ſignificatione correxit.

DE TERENTIO CVLEO.

Tam hercle probabiliter, quàm Quintus Teren-

tius Culeo prætoria familia, natus, & inter paucos ſenatorij ſplẽdidus ordinis, optimo exemplo Africani ſuperioris currum triũphantis, quia captus a Carthaginienſibus, ab eo fuerat, recuperatus, pileũ capite gerẽs ſecutus eſt. Authori enim libertatis ſuæ tanquã patrono accepti beneficij confeſſionem ſpectante populo Romano merito reddidit.

DE PHILIPPO REGE, ET de Flaminio.

At Flaminij de Philippo rege triumphantis currum non vnus, ſed duo millia ciuium Romanorum pileata comitata ſunt, quæ is Punicis bellis intercepta, & in Græcia ſeruientia, cura ſua collecta, in priſtinũ gradum reſtituerat. geminũ ex ea re decus imperatori, a quo ſimul & deuicti hoſtes, & conſeruati ciues ſpectaculum patriæ præbuerunt. Illorum quoq; ſalus dupliciter omnibus accepta fuit, & quia tam multi, & quia tam grati exoptatum libertatis ſtatum recuperauerant.

DE METELLO.

Metellus vero pius pertinaci erga patrem exulem amore, tam clarum lachrymis q̃ alijs victorijs cognomen aſſecutus, non dubitauit conſul pro Quinto Callidio prætore candidato ſupplicare populo, quòd tribunus plebis legẽ, qua pater in ciuitatem reſtitueretur, tulerat: quinetiam patronum eum domus & familiæ ſuæ ſemper dictitauit. Nec hac re de principatu, quem procul dubio obtinebat, quicquam decerpſit, quia non humili, ſed grato animo longe inferioris hominis

maximo merito eximiam ſubmittebat dignitatem.

DE MARIO.

NAm C. quidem Marij non ſolum præcipuus, ſed etiã præpotens gratæ mentis fuit impetus: duas enim Camertiũ cohortes mira virtute vim Cimbrorũ ſuſtinentes in ipſa acie aduerſus conditionem fœderis ciuitate donauit: quod quidem factum & vere & egregie excuſauit, dicendo inter armorum ſtrepitũ verba ſe iuris ciuilis exaudire non potuiſſe. Et ſane id tempus tũc erat, quo magis defendere, q̃ audire leges oportebat.

DE LVCIO SYLLA.

C. Marij veſtigia vbique L. Sylla certamine laudis ſubſequitur. Dictator enim priuato Põpeio & caput adaperuit, & ſella aſſurrexit, & equo deſcendit: eaq; ſe libenter facere in concione prædicauit, memor ab eo duodeuiginti annis nato partes ſuas exercitu paterno adiutas. Multa inſignia Pompeio, ſed neſcio an hoc quicquam admirabilius contigerit, quod magnitudine beneficij, ſui Syllam obliuiſci coegit. Sit aliquis in ſummo ſplendore etiam ſordibus gratis locus. Marco Cornuto prætore funus Hircij & Panſæ iuſſu ſenatus locante, qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum ſuarum vſum, tum miniſterium ſuum gratuitum polliciti ſunt, quia ij pro Republica dimicantes occiderant, perſeuerantique poſtulatione extuderunt, vt exequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis præbentibus addiceretur: quorum laudem adiecta lege conditio auget magis quàm extenuat, quoniam

quidē quæſtū contempſerūt, nulli alij rei quàm quæſtui viuentes. Pace cinerum ſuorū reges gētium exterarū ſecundū hunc tam contemptum gregem referri ſe patientur, qui aut nō attingendus, aut nō niſi in vltima parte domeſticorū exemplorū collocandus fuit. Sed dum honeſti actus etiam ab infimis editi memoria non intercidāt, licet ſeparatum locum obtineant, vt nec his adiecti, nec illis prælati videantur.

EXTERNA.

DE DARIO.

Darius priuatæ adhuc fortunæ amiculo Siloſontis Samij delectatus, curioſa contemplatione fecit vt vltro ſibi & quidem a cupido daretur. Cuius muneris quàm grata æſtimatio animo eius eſſet allapſa, regno potitus oſtendit: totam namq; vrbem & inſulam Samiorum Siloſonti fruendam tradidit. Non enim pretium rei æſtimatum, ſed occaſio liberalitatis eſt honorata: magiſque a quo donum proficiſceretur, quàm ad quem perueniret, prouiſum.

DE MITHRIDATE.

Mithridates quoq; rex magnifice grat⁹ apparuit, quoniam pro Leonico acerrimo defenſore ſalutis ſuæ a Rhodijs nauali pugna exceptō omnes hoſtium captiuos permutauit, ſatius eſſe exiſtimans ab inuiſiſſimis circūueniri, quàm beneme-rito gratiam non referre.

DE ATTALO REGE.

Liberalis Popu. Ro. magnitudine muneris, quòd Attalo regi Aſiā dedit dono: ſed Attalus etiā teſtamenti æquitate gratus, qui eandē Aſiam po-

pulo Ro. legauit. Itaque nec huius munificentia, nec illius tam memor beneficij animus tot verbis laudari potest, quot ampliſſimæ ciuitates vel amice datæ, vel pie redditæ ſunt.

DE MASINISSA REGE.

Cæterum neſcio an præcipue Maſiniſſę regis pectus grati animi pignoribus fuerit refertum. Beneficio enim Scipionis & perſuaſu regni modo liberius auctus, memoriam inclyti muneris ad vltimum vitæ finem, longa etiam à dijs immortalibus ſenectute donatus, conſtantiſſima fide perduxit: adeo vt eum non ſolum Africa, ſed etiam cunctæ gentes ſcirent amiciorem Corneliæ familię, atq; vrbi Roma. q̃ ſibimet ſemper fuiſſe. Ille cum graui Carthaginienſium bello premeretur, ac vix tutelę ſui imperij ſufficeret, tamen Scipioni Aemiliano, quia nepos Africani erat, bonam magnãq; partem Numidici exercitus, quam Lucullo cõſuli, à quo ad auxilia petenda miſſus fuerat, in Hiſpaniã duceret, prõptiſſima mente tradidit, preſentiq; periculo reſpectum priſtini beneficij antepoſuit. Ille cum iam ætate deficiente magnas regni opes quatuor & quinquaginta filiorum numero relinquens in lectulo laberetur, Marcum Manilium, qui proconſul Africam obtinebat, literis obſecrauit, vt ad ſe Scipionẽ Aemilianum ſub eo tunc militãtem mitteret: feliciorẽ mortem ſuã futuram ratus, ſi in conplexu dextrę eius ſupremum ſpiritũ, ac mandata poſuiſſet. ille aduentũ Scipionis fatis ſuis præcurrentibus, hęc vxori liberiſque præceperat: vnum in terris Po. Ro. & vnã in P. Ro. Scipionis domum noſſe. in-

tegre omnia Aemiliano reſeruare, eum diuidẽdi regni arbitrũ haberent: quod is ſtatuiſſet, perinde vt teſtamento cautum, immutabile ac ſanctum obtinerent. Tot tãque varijs rebus ſe Maſiniſſa infatigabili pietatis ſerie ad centeſimum extendit annum. His, & horum ſimilibus exemplis beneficentia generis humani nutritur atque augetur. Hæ ſunt eius faces, hi ſtimuli, propter quos iuuandi & emerendi cupiditate flagrat. Et
» ſanè ampliſſimę & ſpecioſiſſimæ diuitiæ ſunt, fe»liciter erogatis beneficijs late poſſe cenſeri: quo»rum quoniam religioſum cultum inſtituimus, nunc neglectum ſugillãdi gratia, quo ſit gratior, referemus.

DE INGRATIS. Cap. III.

VRbis noſtræ parentem Senatus in ampliſſimo dignitatis gradu ab eo collocatus, in curia lacerauit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Roma imperio ſpiritum ingenerauerat. Rude nimirum illud & ferox ſeculum, quod conditoris ſui cruore fœde maculatum, ne ſumma quidem poſteritatis diſſimulare pietas poteſt.

DE PO. RO. IN CAMILLVM.

HUnc ingratũ lapſæ mentis errorẽ, cõſentanea noſtrę ciuitatis pœnitentia ſequitur. Viriũ Romanarũ incrementũ & latiſſimũ, & tutela certiſſima Furius Camillus, in vrbe incolumitatẽ ſuam tueri non valuit, cuius ipſe ſalutẽ ſtabilierat, felicitatẽ auxerat. A Lucio enim Apuleio Tri. Pl. tanq̃ peculator Veientanę prędę reus factus, duris atq; (vt ita dicã) ferreis ſentẽtijs ĩ exiliũ miſſus

eſt, & quidem eo tempore, quo optimo iuuene filio ſpoliatus, ſolatijs magis alleuandus, quàm cladibus onerandus erat: ſed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequijs filij damnationem patris iũxit. At, inquit, ærario abeſſe Tri. Pl. querebatur quindecim millia ęristãti nanque pœna finita eſt. Indignam ſummam propter quam Populus Romanus tali principe careret.

IN SCIPIONEM MAIOREM.

Priore adhuc querela vibrãte, alia deinceps exurgit. Africanus ſuperior non ſolum contuſam & confractam belli Punici armis Remp. ſed penè iam exanguem atq; morientem, Carthaginis dominam reddidit: cuius clariſſima opera iniurijs penſando, ciuitatis ignobilis eũ, ac deſertæ paludis accolam fecerunt: eiuſq; volũtarij exilij acerbitatem non tacitus ad inferos tulit, ſepulchro ſuo inſcribi iubendo. Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes. Quid iſta aut neceſſitate indignius, aut querela iuſtius, aut vltione moderatius? Cineres ei ſuos negauit, quã in cineres collabi nõ fuerat paſſus. Igitur hanc vnam Scipionis vindictam ingrati animi vrbs Ro. ſenſit: maiorẽ mehercle Coriolani violentia. Ille enim metu patriam pulſauit, hic verecundia: de qua ne queri quidem tanta veræ pietatis conſtantia, niſi poſt fata ſuſtinuit.

IN SCIPIONEM ASIATICVM.

Talia paſſo (credo) quę fratri eius acciderunt, ſolatio eſſe potuerũt, cui rex Antiochus deuictus, & Aſia imperio Po. Ro. adiecta, ſpecioſiſſimuſque

triumphus,vt peculatus reus fieret, & in carcerem duci iuberetur,cauſam præbuit.

IN AFRICANVM POSTERIOREM.

Nihilo virtute minor poſterior Africanus, ſed ne exitu quidē felicior. Duabus enim vrbibus Numantia atque Carthagine imperio Rom. imminentibus, ex rerum natura depulſis, raptorem ſpiritus domi inuenit,mortis punitorem in foro non reperit.

IN SCIPIONEM NASICAM.

Quis ignorat, tantum laudis Scipionem Naſicam toga,quantum armis vtrunque Africanum meruiſſe? Qui peſtifera Tiberij Gracchi manu faucibus oppreſſam Remp. ſtrangulari paſſus non eſt. ſed is quoq; propter iniquiſſimam virtutum ſuarū apud ciues æſtimationem,ſub titulo legationis Pergamū ſeceſſit: & quod vitæ ſuperfuit, ibi ſine vllo ingratæ patriæ deſiderio peregit.

IN LENTVLVM.

In eodem nomine verſor. necdum Corneliæ gentis querelas exhauſi. Nanq; P. Lentulus clariſſimus & amantiſſimus Reip. ciuis,cum in Auentino Caij Gracchi nefarios conatus & aciem pia ac forti pugna magnis vulneribus acceptis fugaſſet,prælij illius quo leges,pacem,libertatemque in ſuo ſtatu retinuerat, hanc mercedem tulit, ne in noſtra quidem vrbe moreretur. Siquidem inuidia & obtrectatione compulſus, legatione à Senatu libera impetrata,habitaque concione,qua à Dijs immortalibus petijt,ne vnquā ad ingratum populum reuerteretur, in Siciliam profectus eſt: ibiq; perſeueranter morando,com-

potem se voti fecit. Quinq; igitur deinde Cornelij, totidem sunt notissima ingratę patrię exempla, atque horum quidem secessus voluntarij.

IN HALAM SERVILIVM.

Hala vero cum magister equitum Spurium Melium regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis ciuium, exilio suo pœnas pependit. Cæterum vt Senatus populique mens in modum subitæ tempestatis concitata, leui querela prosequenda est: ita singulorum ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt: quia potentes consilij, cum vtrunque ratione perpendere liceret, scelus pietati prætulerunt.

DE P. SEXTILIO.

Quo enim nymbo, qua procella verborum impiũ Sextilij caput obrui meretur? quòd L. Cæsarem à quo tum studiose, tum etiam feliciter grauissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanæ proscriptionis tempore profugum, præsidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare, beneficij iura repetere coactũ, à sacris perfidæ mensæ, & altaribus nefandorum penatum auulsum, truculento victori iugulandum tradere non exhorruit. Finge accusatorem eius fortuna publica in supplicis nomen conuersum, tam luctuosam illam opem genibus annixũ orasse, crudeliter tamen repulsus videretur: quinetiam " quos iniuriæ inuisos faciunt, gratiosos miseriæ " reddunt. Verum Sextilius non accusatorem, sed patronum sæuissimæ inimici violentiæ suis manibus obiecit: si metu mortis, vita indignus: si

præmij ſpe, morte digniſſimus.

DE CN. POPILIO LENATE.

Sed vt ad alium conſentaneum huic ingrati animi actum trāſgrediar, M. Cicero Cn. Popilium Lenatem Picenæ regionis rogatu Marci Cælij non minore cura quàm eloquentia defendit, eumq; cauſa admodum dubia fluctuantem, ſaluum ad penates ſuos remiſit. Hic Popilius poſtea nec re nec verbo à Cicerone læſus, vltro M. Antonium rogauit, vt ad illum proſcriptū perſequendum & iugulandum mitteretur: impetratiſq; deteſtabilis miniſterij partibus, gaudio exultans Caietam cucurrit, & virum, omitto quòd ampliſſimæ dignitatis, certè ſalutis eius autorem, ſtudio pręſtantis officij priuatim ſibi venerandum, iugulum præbere iuſſit, ac protinus caput Romanę eloquentiæ, & pacis clariſſimam dexteram, per ſummum & ſecurum otium amputauit: eaque ſarcina tanquam opimis ſpolijs alacer in vrbem reuerſus eſt. Neque ei ſceleſtum portāti onus ſuccurrit, illud ſe caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat. Inualidæ ad hoc monſtrum ſugillandum literæ: quoniam qui talem Ciceronis caſum ſatis digne deplorare poſſit, alius Cicero non extat.

DE POMP. MAGNO.

Quo te nunc modo magne Pompei attingam, neſcio. Nam & amplitudinē fortunę tuę, quę quōdam omnes terras & omnia maria fulgore ſuo occupauerat, intueor: & ruinam eius maiorē eſſe, quàm vt manu mea attentari debeat, memini.

Sed tamen nobis quoque tacentibus, Cn. Carbonis, à quo admodum adolescens de paternis bonis in foro dimicãs, protectus es, iussu tuo interempti mors animis hominum obuersabitur, non sine aliqua reprehensione: quia tã ingrato facto plus L. Syllæ viribus, quàm proprię indulsisti verecundiæ.

EXTERNA.

DE CARTHAGINIENSIBVS.

At ne nostra confessis, alienigenæ vrbes insultent, Carthaginiẽses Hannibalem, qui pro illorũ incolumitate & victoria tot imperatores, totq; exercitus nostros trucidauerat, quot gregarios milites hostiũ si occidisset, magnæ gloriæ foret, è cõspectu suo submouere in animum induxerunt.

DE SPARTANIS.

Neminem Lycurgo aut maiorẽ aut vtiliorem virum Lacedæmon genuit, vtpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur, nescire se vtrum illum hominum, an deorum numero aggregaret. huic tamẽ neque vitæ summa syncericas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salubriter excogitatæ, auxilio esse potuerũt quo minus infestos ciues experiretur. Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando eiectus publico furore, etiam priuatus oculo, ad vltimũ ipsa patria pulsus est. Quid aliæ facient vrbes, vbi etiam illa quæ constantiæ & moderationis & grauitatis sibi laudem eximiam vendicat, tã ingrata aduersus tam benemeritum extitit?

DE ATHENIENSIBVS.

Detrahe Athenienſibus Theſea: nullæ, aut nõ tam

claræ Athenæ erunt. siquidē ille vicatim dispersos ciues suos in vnam vrbem contraxit, separatimq; & agresti more viuenti populo, amplissimæ ciuitatis formam atque imaginem imposuit. Idem sęua potētissimi regis Minois imperia vix dum ætate pubescente repulit. Idem effrenatam Thebarum insolentiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit: & quicquid vbique monstri aut sceleris fuit, virtute animi, ac robore dextræ comminuit. huius tamen summoti ab Atheniensibus, Scyros exule minor insula, ossa mortui cepit.

IN SOLONEM.

I am Solon, qui tam præclaras, tamq; vtiles Atheniēsibus leges tulit, vt si his perpetuo vti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium: qui Salamina velut hostilem arcem ex propinquo saluti eorum imminentem recuperauit: qui Pisistrati tyrannidē primus vidit orientē, & solus armis opprimi debere palam dictitare ausus est: senectutē Cypri profugus exegit: neq; ei in patria, de qua optime meruerat, humari cōtigit.

IN MILTIADEM.

Bene egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta millia Persarum Marathone deuicta in exilium protinus misissent, ac non in carcere & vinculis mori coegissent. Vt puto, hactenus sæuire aduersus optime meritum abūde duxerunt. Imò ne corpus quidem eius sic expirare coacti, sepulturæ prius mandari passi sunt, q̄ filius eius Cimon eisdem vinculis se cōstringendum traderet. hanc hæreditatem paternam ma-

ximi ducis filius,& futurus ipſe ætatis ſuæ dux maximus,ſolum ſe ſortitum,catenas ſcilicet & carcerem,gloriari potuit.

IN ARISTIDEM.

Ariſtides etiam,quo totius Græciæ iuſtitia cenſetur,continentiæ quoq; eximium ſpecimen, patria iuſſus excedere eſt.Felices Athenas,quę poſt illius exilium inuenire aliquem aut virũ bonũ, aut amantem ſui ciuem potuerunt,cum quo tũc ipſa ſanctitas migrauit.

IN THEMISTOCLEM.

Themiſtocles,eorum qui ingratam patriã experti ſunt,celeberrimum exemplum,cum illam incolumem,claram,opulentam, principem Græciæ reddidiſſet,eouſq; ſenſit inimicam,vt ad Xerxis quem paulo ante deſtruxerat,non debitã ſibi miſericordiam perfugere neceſſe haberet.

IN PHOCIONEM.

Phocion vero his dotibus quæ ad pariendum honorem potentiſſimæ iudicantur,clementia & liberalitate inſtructiſſimus,non tantum in eculeo ab Atheniẽſibus impoſitus eſt,ſed certe poſt obitum nullam Atticæ regionis,quæ oſſibus eius inijceret,glebulã inuenit,iuſſus extra fines ejici,intra quos optimus ciuis vixerat. Quid abeſt igitur quin publica demẽtia ſit exiſtimãda,ſummo conſenſu maximas virtutes quaſi grauiſſima delicta punire,beneficiaque iniurijs rependere? quod cum vbiq;,tum præcipue Athenis intolerabile videri debet,in qua vrbe aduerſus ingratos actio conſtituta eſt,& recte:quia dãdi & ac-

» cipiendi beneficij commercium, sine quo vix vi-
» ta hominũ cõstat, perdit & tollit quisquis bene
» merito parem referre gratiam negligit. Quantã
ergo reprehensionem merentur, qui cum æquis-
sima iura, sed iniquissima haberent ingenia, mo-
ribus suis q̃ legibus vti maluerunt? Quod si qua
prouidentia deorum effici posset, vt excellẽtissi-
mi viri quorum modo casus retuli, legem ingra-
torum vindicem retinentes, patriam suã in ius
ad aliam ciuitatẽ pertraherent, non ne ingenio-
sum & garrulum populum, mutum atque elin-
guem hac postulatione reddidissent? Discordes
foci tui, pacisque diuidua tuguria, Græciæ fa-
cta sunt columen. Lucet Marathon Persicis tro-
phæis. Salamis, & Artemisiũ, Xerxis naufragia
numerantur. Prævalidis manibus exhausta mœ-
nia, pulchrioribus operibus consurgunt. Harum
rerum authores vbi vixerunt? vbi iacent? Respõ-
de, Nẽpe Thesea paruulo in scopulo sepeliri, &
Miltiadem in carcere mori, & Cimona paternas
induere catenas, & Themistoclem victorem vi-
cti hostis genua complecti. Solonemque cum A-
ristide & Phocione penates suos ingrata fuge-
re coegisti, cum interim cineribus nostris fœde
ac miserabiliter dispersis, Oedipodis ossa cæde
patris, nuptijs matris contaminata, inter ipsum
Areopagum diuini atque humani certaminis ve-
nerabile domiciliũ, & excelsis prę sidijs Mineruę
arcẽ, honore aræ decoratos cineres, sacrosanctio-
res colis. adeo tibi aliena mala tuis bonis gratio-
ra sunt. Lege itaque legẽ, quæ te iureiurãdo ob-

ſtrictam tenet: & quia benemeritis debita reddere præmia noluiſti, læſis iuſta piacula exolue. Tacent mutæ vmbræ fati neceſſitate conſtrictæ. At immemores beneficiorũ Athenę reprehẽſione, lingua ſermone licenti ſoluta, non vacẽt. Sed omittamus ingratos, & potiꝰ de pijs loquamur. Aliquanto enim ſatius eſt fauorabili, q̃ inuiſę rei vacare. Venite igitur in manus noſtras proſpera parentum vota, felicibus auſpicijs propagatæ ſoboles, quæ efficitis vt & genuiſſe iuuet, & generare libeat.

DE PIETATE CORIOLANI. Caput IIII.

COriolanus maximi vir animi, & altiſſimi cõſilij, optimeq; de republica meritus, iniquiſſimæ damnationis ruina proſtratus, ad
» Volſcos infeſtos tunc Romanis cõfugit. Magno
» vbiq; pretio virtus ęſtimatur. Itaq; quo latebras quæſitum venerat, ibi breuiſſime ſummum adeptus eſt imperium. Euenitq;, vt quem pro ſe ſalutarem imperatorem ciues habere noluerant, pene peſtiferum aduerſus ſe ducẽ experirentur. frequenter enim fuſis exercitibus noſtris, victoriarum ſuarum gradibus aditum iuxta mœnia vrbis Volſco militi ſtruxit. Quapropter faſtidioſus ille in æſtimãdis bonis ſuis populus, qui reo nõ pepercerat, exuli coactus eſt ſupplicare. Miſſi ad eum deprecandum legati nihil profecerũt. miſſi deinde ſacerdotes cũ infulis, ęque ſine effectu redierũt, ſtupebat ſenatꝰ, trepidabat populꝰ,

viri pariter & mulieres exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater, Volumniam vxorem eius, & liberos secum trahens, castra Volscorum petijt: quam vbi filius aspexit, propere vt amens matris complexum petijt. Illa ex precibus in iram versa ait: Sine vt prius quàm complexum accipiam, sciam an ad hostem, an ad filium venerim, captiua ne, an mater in castris tuis sim. In hoc me longa vita, & infelix senecta traxit, vt exulem, deinde te hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? Nisi te peperissem, Roma non oppugnaretur. multaque insuper addidit comp lorando, quibus, & vxoris ac paruulorum fletibus motus, matrem complexus, Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam. Patria, precibus huius admonitus, cuius vtero conceptus sum, te, quanuis merito mihi inuisam, dono. continuoq; agrum Romanum hostilibus armis liberauit. Ergo pectus acceptæ dolore iniuriæ, spe potiundæ victoriæ, verecundia detrectãdi ministerij, metu mortis refertum, totum sibi pietas vacuefecit, vniusq; parentis aspectus bellũ atrox salutari pace mutauit.

DE SVPERIORE AFRICANO.

EAdem pietas viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vixdum annos pubertatis ingressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armauit. Consulem enim eum apud Ticinum fluuium aduersis auspicijs cum Hãnibale pugnãtem, saucitũ grauiter, interceſſu seruauit suo: neq; illum aut ætatis infirmitas, aut militiæ

tyrociniũ, aut infelicis pręlij etiã veterano bellatori pertimescendus exitus, interpellare valuit quo minus duplici gloria conspicuus, coronam imperatore simul & patre ex ipsa morte rapto, mereretur. Auribus ista tam præclara exempla Ro. ciuitas accepit, illa vidit oculis.

DE L. MANLIO TORQVATO.

Lucio Manlio Torquato diem ad populum Põponius Tri. Ple. dixerat, quòd occasione bene faciẽdi belli inductus, obtinendi legitimũ imperij tempus excessisset, quodq; filium optimæ indolis iuuenẽ rustico opere grauatũ, publicis vsibus subtraheret. Id postquam Manlius adolescens cognouit, protinus vrbem petijt, & se in Põponij domum prima luce direxit: qui existimãs in hoc eum venisse, vt patris crimina, a quo plus iusto aspere tractabatur, deferret, excedere omnes iussit cubiculo, quo licentius remotis arbitris indicium perageret. Nactus occasionẽ opportunã proposito suo iuuenis, gladium quem tectum attulerat, distrinxit, tribunũq; minis ac terrore cõpulsum iurare coegit, a patris ei⁹ accusatione recessurum. eoq; effectum est, ne Torquat⁹ causam diceret. Commendabilis est pietas quæ mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius quo horridiorem patrem habuit, hoc periculo eius laudabilius subuenit, qui ad eum diligendum præter naturalem amorem nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat.

DE MARCO COTTA.

Hanc pietatem æmulatus Marcus Cotta, eo ipso

die quo togam sumpsit virilē, protinus vt e Capitolio descendit, C. Carbonem, a quo pater eius damnatus fuerat, postulauit: protractumq; reum iudicio afflixit, & ingeniū & adolescētiam præclaro opere auspicatus.

DE C. FLAMINIO.

Apud C. quoq; Flaminium authoritas patria æque potens fuit. Nam cū Tri. Ple. legem de gallico agro viritim diuidendo, inuito & repugnante senatu promulgasset, precibus minisq; eius acerrime resistens, ac ne exercitu quidem aduersus se conscripto si in eadem sententia perseueraret, absterritus, postquā pro Rostris ei legē iam referenti pater manum iniecit, priuato fractus imperio, descendit e Rostris, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus.

DE CLAVDIA VIRGINE VESTALI.

Magna sunt hæc virilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus valentius & animosius Claudiæ Vestalis virginis factum: quæ cū patrē suū triūphantem e curru violenta Tri. Pl. manu detrahi animaduertisset, mira celeritate vtriq; se interponēdo, amplissimā potestatē inimicitijs accensam depulit. Igitur alterū triumphū pater in Capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit: nec discerni potuit, vtri plus laudis tribueretur, cui victoria, an cui pietas comes aderat. Ignoscite, vetustissimi foci, veniāq; eterni date ignes, si a vestro sacratissimo tēplo ad necessariū, magisq; specioſum vrbis locū cōtext⁹ operis nostri progressus fuerit. Nulla enī acerbitate fortunæ, nul-

» lis sordibus pretium charæ pietatis euilescit:
» quinetiam eo certius quo miserius experimen-
» tum habet.

DE AMORE FILIAE erga matrem.

Sanguinis ingenui mulierē prætor apud tribunal suum capitali crimine dānatam, triūuiro in carcere necandam tradidit: quam receptam is qui custodię pręerat, misericordia motus non protinus strangulauit: aditum quoq; ad eam filiæ, sed diligēter excussæ nequid cibi inferret dedit, existimans futurum vt inedia consumeretur. Cum autem iam dies plures intercederent, secum ipse quærens quidnā esset quo tandiu sustentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit illā exerto vbere famem matris lactis sui subsidio leniētem. quæ tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, a Triūuiro ad Prætorem, a Prętore ad consulum iudicium perlata, remis-
» sionem pœnæ mulieri impetrauit. Quo non pe-
» netrat, aut quid non excogitat pietas, quę in car-
» cere seruandæ genitricis nouam rationem inue-
» nit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inau-
» ditum, q̄ matrem vberibus natæ alitam esse? Pu-
» tauerit aliquis hoc cōtra rerū naturam factū: nisi
» diligere parentes, prima naturæ lex esset.

DE FILIAE PIETATE in patrem.

Idem prædicatū de pietate ei⁹ existimet, quę patrē suū Cimona cōsimili fortuna affectū, paricque custodię traditū, iam vltimæ senectutis velut infantē pectori suo admotū aluit. Hærēt ac stupēt

hominum oculi, cum huius facti pictā imaginē vident, casuſq; antiqui conditionē præſentis ſpectaculi admiratione renouant, in illis mutis mēbrorum lineamentis viua ac ſpirātia corpora intueri credētes: quod neceſſe eſt animo quoq; euenire aliquanto efficaciore pictura literarum vetera pro recentibus admonito recordari.

DE CIMONIS PIETATE erga patrem.

Nec te quidem Cimon ſilentio inuoluam, qui patri tuo ſepulturam voluntarijs vinculis emere non dubitaſti. Nam etſi maximo tibi poſtea & ciui & duci euadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere, q̄ in curia aſſecutus es. cæteræ enim virtutes admirationis tantūmodo multū, pietas vero etiam amoris plurimum meretur.

EXTERNA.

DE DVOBVS FRATRIBVS.

Vos quoq; fratres memoria cōplectar, quorū animus origine fuit nobilior. Siquidem admodum humiles in Hiſpania nati, pro parentum alimētis ſpiritum erogādo, ſpecioſo exitu vitæ inclaruiſtis. duodecim enim millia nūmûm, quæ poſt mortem veſtram his darētur, a filijs Patietis pacti eſtis, vt eorum patris interfectorem Epaſtū gentis ſuæ tyrannum occideretis: nec auſi ſolum inſigne facinus eſtis, ſed etiam ſtrenuo ac forti exitu claruiſtis. Eiſdem enim manibus Patietis vltionem, Epaſti pœnam, genitoribus nutrimēta, vobis glorioſa fata peperiſtis. Itaque tumulis etiam nunc viuitis, quia parentum ſenectutem

tueri, quàm veſtram expectare ſatius eſſe duxiſtis.

DE CLEOBE ET BITONE FRAtribus, & Amphinomo & Anapo.

Notiora ſunt fratrum paria, Cleobis & Biton, Amphinomus & Anapus: illi quòd ad ſacra Iunonis peragenda matrem vexerunt: ij quòd patrem & matrem humeris per medios ignes Aetnæ portarunt: ſed neutris pro ſpiritu parentum expirare propoſitum fuit. Nec ego Argiuam detrecto laudem, aut Aetnei mõtis gloriam inuoluerim, verum obſcuriori propter ignorantiam pietati notitiæ lumen admoueo, ſicut Scythis libenter pietatis teſtimonium reddo.

DE DARIO REGE.

Dario enim totis regni ſui viribus in eorum regionibus ſubinde impetum facienti, paulatim cedẽtes, ad vltimas iam ſolitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi eſſent, reſponderunt ſe nec vrbes vllas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere: cæterum cum ad parentum ſuorum monimenta veniſſent, ſciturum quemadmodum Scythæ præliari ſolerent. Quo quidem vno tam pio dicto immanis & barbara gens ab omni ſe feritatis crimine redemit. Prima igitur & optima rerum natura pietatis eſt magiſtra, quę nullo vocis miniſterio, nullo vſu literarum indigens, proprijs ac tacitis viribus charitatem parentum liberorum pectoribus infundit. Quid ergo doctrina proficit? vt

politiora, sed non vt meliora fiant ingenia: quoniam quidem solida virtus nascitur magis quàm fingitur.

DE FILIO CROESI.

Quis enim plaustris vagos, & syluarũ latebris corpora sua tegentes, in modumq; ferarum laniatu pecudum viuentes, sic Dario respondere docuit? Illa nimirum, quæ etiam Crœsi filium loquendi vsu defectum, ad protegendam patris incolumitatẽ ministerio vocis instruxit. Captis enim à Cyro Sardibus, cum vnus è numero Persarũ, ignarus viri, in cædem eius cõcitato impetu ferretur, velut oblitus quid sibi nascẽti fortuna denegasset, ne Crœsum regem occideret proclamando, pene iam impressum mucronem iugulo reuocauit. Ita qui ad id tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est.

DE QVODAM IVVENE DICto Plutone.

Eadem charitas Italico bello Pinensem iuuenem, cui Plutoni erat cognomen, tanto animi corporisque robore armauit, vt cum obsessæ vrbis suæ claustris præsideret, & Romanus imperator patrem eius captiuum in cõspectu ipsius constitutum districtis militum gladijs circũdedisset, occisurum se minitans, nisi irruptioni suæ iter prębuisset, solus è manibus eorum senem rapuerit: duplici pietate memorandus, quod & patris seruator, nec patriæ fuit proditor.

DE PIETATE ERGA FRATRES. Cap. v.

HAnc charitatem proximus fraternæ beneuolentiæ gradus excipit. Nam vt merito primum amoris vinculum ducitur plurima & maxima beneficia accepisse: ita proximũ iudicari debet, simul accepisse. Quàm copiosæ enim suauitatis illa recordatio est? In eodẽ domicilio ante quàm nascerer, habitaui: in ijsdem incunabulis infantiæ tempora peregi: eosdem appellaui parentes: eadem pro me vota excubuerunt: parem ex maiorum imaginibus gloriam traxi. Chara est vxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla beneuolentia accedere debet quæ priorem exhauriat.

DE SCIPIONE MAIORE.

Atq; hæc teste Scipione Africano loquor, qui tametsi arctissima familiaritate Lælio iunctus erat, attamen Senatum supplex orauit, ne prouinciæ sors fratri suo erepta, ad eum transferretur: legatumq; se L. Scipioni in Asiam iturum promisit, & maior natu minori: & fortissimus, & belli gloria excellẽs, laudis inopi: & quod super omnia est, nondum Asiatico iam Africanus. Itaque clarissimorum cognominum alterum sumpsit: alterum dedit, triumphique prætextam huius excepit, illius tradidit, ministerio aliquanto maior, quàm frater imperio.

DE MARCO FABIO CONSVLE.

Marcus vero Fabius consul inclyta pugna Hetru-

scis & Veientibus superatis, delatum sibi summo senatus populique studio triumphum ducere non sustinuit: quia eo prælio Qu. Fabius frater eius consularis fortissime dimicans occiderat. Quantã in eo pectore pietatem fraternæ charitatis habitasse existimemus, propter quam tantus amplissimi honoris fulgor extingui potuit?

DE TIBERIO CAESARE.

Hoc exemplo vetustas, illo seculum nostrum ornatum est, cui contigit fraternum iugum Claudiæ prius, nunc & Iuliæ gentis intueri decus. Tantũ enim amorem princeps parẽsque noster insitum animo fratris Drusi habuit, vt cum Ticini, quò victor hostium ad complectendos parentes venerat, graui illũ & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognouisset, protinus inde metu attonitus erumperet. Iter quoque quàm rapidum & præceps velut vno spiritu corripuerit, eo patet, quòd Alpes Rhenumque transgressus die ac nocte, mutato subinde equo, ducentis milibus passuum per modò deuictam barbariam Antabagio duce solo comite contentus euasit: sed eum tunc maximo labore & periculo implicatum, mortaliumque frequentia defectum, sanctissimum pietatis numen, & Dij fautores eximiarum virtutum, & fidissimus Romani imperij custos Iupiter comitatus est. Drusus quoque, quanquam fato iam suo quàm illius officio propior erat, vigore spiritus, & corporis viribus collapsus, eo ipso tamẽ quo vita & mors distinguitur momento, legiones cum insignibus suis fra-

tri obuiam procedere iussit: & vt imperator salutaretur, præcepit: & dextera in parte prætorium ei statui, & consulare & imperatorium nomen obtinere voluit: eodemque tempore & fraternæ maiestati cessit, & vita excessit.

DE QVODAM MILITE CN. Pompeij.

His scio equidem nullum aliud, quàm Castoris & Pollucis specimen consanguineæ charitatis conuenienter adijci posse: sed omnis memoriæ clarissimis imperatoribus profecto non erit ingratum si militis summa erga fratrem suum pietas, huic voluminis parti adhæserit. Is nanque in castris Cn. Pompeij stipendia peragens, cum Sertorianum militem acrius sibi in acie instantem comminus interemisset, iacentemq; spoliaret, vt fratrem germanum esse cognouit, multũ ac diu cõuitio deos ob donum impiæ victoriæ insecutus, prope castra transtulit: & pretiosa veste opertũ, rogo imposuit: ac deinde subiecta face, protinus eodem gladio quo illum interemerat, pectus suum trãsuerberauit, seq; super corpus fratris prostratum communibus flammis cremandum tradidit. Licebat ignorantiæ beneficio innocẽti viuere, sed vt sua potius pietate, quàm aliena venia vteretur, comes fraternæ neci non defuit.

DE PIETATE ERGA PATRIAM. Cap. VI.

ARctissimis sanguinis vinculis pietas satisfecit. restat nunc vt patriæ exhibeatur: cuius maiestati etiam illa, quæ deorum

numinibus æquatur, authoritas parentum, vires ſuas ſubiecit. fraterna quoque charitas æquo animo ac libenter cedit, ſumma quidem cum ratione: quia euerſa domo, interdum Reip. ſtatus manere poteſt: vrbis ruina penates omnes ſecũ trahat neceſſe eſt. Verum quid attinet verbis iſta complecti, quorum tanta vis eſt, vt aliqui ſalutis ſuæ impendio teſtati ſint?

DE BRVTO PRIMO CONSVLE.

Brutus conſul primus cũ Arunte Tarquinij ſuperbi filio regno expulſi in acie ita equo concurrit, vt pariter illatis haſtis, vterq; mortifero vulnere ict⁹ exanimis proſterneretur. Merito obiecerim Populo Romano libertatẽ ſuã magno ſtetiſſe.

DE CVRTIO ROMANO.

Cum autẽ in mediam partẽ fori vaſto ac repentino hiatu terra ſubſideret, reſponſumque eſſet, ea re illum tãtummodo compleri poſſe, qua Populus Ro. plurimũ valeret: Curtius & animi & generis nobiliſſimus adoleſcens interpretatus vrbẽ noſtram virtute armiſq; præcipue excellere, militaribus inſignibus ornatus equum conſcendit, eumq; vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit: ſuper quẽ vniuerſi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt: continuoq; terra priſtinũ habitum recuperauit. Magna poſtea decora in foro Romano fulſerũt: nullũ tamen hodie pietate Curtij erga patriam clarius obuerſatur exemplum: cui principatum gloriæ obtinenti, conſimile factum ſubnectam.

DE GENITIO CIPPO PRAETORE.

Genitio Cippo Prætori paludato portã egredięti,

noui & inauditi generis prodigiũ incidit. Nanque in capite eius subito veluti cornua emerserunt, responsumque est eum regem fore, si in vrbem reuertisset. Quod ne accideret, volũtarium ac perpetuum sibimet indixit exilium. Dignam pietatem, quæ quod ad solidam gloriam attinet, septẽ regibus præferatur: cuius testandę rei gratia, capitis effigies æreæ portæ, qua excesserat, inclusa est, dictaque Rauduscula na, quòd olim rauda ara dicebatur.

DE AELIO PRAETORE.

Genitius laudis huius successionem Aelio Prętori tradidit: cui ius dicenti, cũ in capite picus consedisset, aruspexq; affirmasset, conseruato eo fore domus ipsius statum feliciſſimũ, Reip. miserrimum: occiso, in contrariũ vtrunq; cessurũ: eueſtigio picum morsu suo in conspectu senatus necauit. decem & septem militum familiam, eximię fortitudinis viros Cannensi prælio amisit. Resp. procedente tempore ad summum imperij fastigium excessit. Hæc nimirum exempla Sylla & Marius & Cinna tanquam stulta irriserunt.

DE PVBLIO DECIO.

Publius Decius, qui consulatum in familiam suam primus intulit, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam penè iam & prostratam videret, caput suum pro salute Reipublicæ deuouit, ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit, factaque ingenti strage, plurimis telis obrutus supercorruit: ex cuius vulneribus & sanguine insperata victoria emersit.

DE FILIO P. DECII.

Vnicum talis imperatoris ſpecimen eſſet, niſi animo ſuo reſpondentem filium genuiſſet. Is nanq; in quarto cõſulatu patris exemplum ſecutus, deuotione ſimili æque ſtrenua pugna conſentaneo exitu labantes perditaſque vires vrbis noſtrę correxit. Itaque dignoſci arduum eſt, vtrum Romana ciuitas Decios vtilius habuerit duces, an amiſerit: quoniã vita eorum ne vinceretur obſtitit, mors fecit vt vinceret.

DE SCIPIONE AFRICANO ſuperiore.

Non eſt extinctus pro Repub. ſuperior Scipio Africanus, ſed admirabili virtute ne Reſpu. extingueretur, prouidit. ſiquidem cum afflicta Cannenſi clade vrbs noſtra, nihil aliud quàm præda victoris eſſe Hannibalis videretur, ideoque reliquiæ proſtrati exercitus, deſerendæ Italiæ authore Quinto Metello conſilium agitarẽt, tribunus militum admodum iuuenis ſtricto gladio mortem vnicuique minitando, iurare omnes nunquam ſe relicturos patriam coegit: pietatemque non ſolum ipſe pleniſſimam exhibuit, ſed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem reuocauit.

DE PVBLICANIS.

Age, vt a ſingulis ad vniuerſos tranſgrediar, quanto & quàm æquali amore patriæ tota ciuitas flagrauit? Nam cum ſecundo Punico bello exhauſtum ærarium, ne deorum quidem cultui ſufficeret, publicani vltro aditos cenſores hortati ſunt, vt omnia ſic locarent, tanquam Reſpub. pecunia abundaret, ſeque præſtituros cuncta, nec vllum

assem nisi bello cõfecto petituros polliciti sunt.

DE DOMINIS SERVORVM, Equitibus, & Centurionibus.

Domini quoq; eorum seruorum, quos Sempronius Gracchus ob insignem pugnam Beneuenti manumiserat, pretia ab imperatore exigere superse derunt. In castris etiam non eques, non centurio stipendium sibi dari desiderauit: viri ac fœminę quicquid auri argentive habuerũt, item pueri insignia ingenuitatis ad sustentandã tẽporis difficultatem contulerunt: ac neq; beneficio senatus, qui muneribus his functos tributi onere liberauerat, quisquã vti voluit, sed insuper id omnes promptissimis animis præstiterũt. Non ignorabãt enim, captis Veijs cum decimarum nomine quas Camillus vouerat, aurũ Apollini Delphico mitti oporteret, neq; emendi eius facultas esset, matronas ornamenta sua in ærarium retulisse. Similiterq; audierant mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolij promissa debebãtur, earum cultu expleta. Itaq; & proprio ingenio, & exemplo vetustatis admoniti, nulla sibi in re cessandum existimauerunt.

EXTERNA.

DE CODRO REGE ATHENIENSIVM.

At externa eiusdem proposíti exempla attingam. Rex Athenienſium Codrus quũ ingenti hostiũ exercitu Attica regio debellata, ferro igniq; vastaretur, diffidentia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum cõfugit: perq; legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam graue bellum

discuti posset. Respõdit deus ita illi finem fore, si ipse hostili manu occidisset. Quod quidem nõ solum totis Athenienſium castris, sed etiam contrarijs percrebruit. Eoq; factũ est, vt ediceretur ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquã cognouit, depositis insignibus imperij familiarem cultum induit, ac pabulantium hostiũ globo sese obiecit, vnumq; ex his falce percussum, in cędem suam cõpulit: cuius interitu ne Athenę occiderent, effectum est.

DE THRASYBVLO.

Ab eodẽ fonte pietatis Thrasybuli quoq; animus manauit. Is cum Athenienſium vrbem triginta tyrannorum teterrima dominatione liberare cuperet, paruaq; manu maximæ rei molem aggrederetur, & quidam e conscijs dixisset, quantas tandẽ tibi Athenæ per te libertatẽ cõsecutę gratias debebunt? respondit: Dij faciant, vt quãtas ipse illis debeo, videar retulisse. Quem affectum inclytum destructæ tyrannidis opus laude cumulauit.

DE THEMISTOCLE.

Themistocles autẽ, quẽ virtus sua victorẽ, iniuria patriæ imperatorẽ Persarũ fecerat, vt se ab ea oppugnãda abstineret, instituto sacrificio exceptũ patera tauri sanguinẽ hausit, & ante ipsam arã quasi quędã pietatis clara victima concidit: quo quidẽ tã memorabili eius excessu, ne Grecię altero Themistocle opus esset, effectum est.

DE DVOBVS PHILAENIS FRATRIBVS CARTHAGINIENSIBVS.

Sequitur eiusdem generis exemplum. Cum inter

Carthaginem & Cyrenas de margine agri pertinacissima contentio esset, ad vltimum placuit vtriq; eodē tēpore iuuenes mitti, & locū in quē ij conuenissent, finem ambobus haberi populis. verum hoc pactum duo fratres Carthaginienses nomine Philæni perfidia pręcurrere, citra cōstitutam horam maturato gressu in lōgius promotis terminis. quod cum intellexissent Cyrenēsiū iuuenes, diu de fallacia eorum questi, postremo acerbitate conditionis iniuriam discutere conati sunt. dixerūt nāq;, sic eum finem ratum fore, si Philęni viuos se ibi obrui passi essent. sed consilio euentus nō respōdit. Illi enim nulla interposita mora, corpora sua his terra operienda tradiderunt: qui quoniam patriæ q̄ vitæ suæ longiores terminos esse maluerūt, bene iacēt, manibus & ossib⁹ suis Punico dilatato imperio. Vbi sunt superbę Carthaginis alta mœnia? Vbi maritima gloria inclyti portus? Vbi cūctis littoribus terribilis classis? Vbi tot exercitus? Vbi tātus equitatus? Vbi immenso Aphricæ spatio non contenti spiritus? omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philænorum egregij facti memoriam ne patriæ quidem interitus extinxit. Nihil est igitur excepta virtute quod mortali animo ac manu immortale quæri possit.

DE ARISTOTELE.

I uuenili ardore plena hęc pietas. Aristoteles vero supremę vitæ reliquias senilibus ac rugosis membris in summo literarū otio vix custodiens, adeo valēter pro salute patrię incubuit, vt eam ab ho-

ſtilibus armis ſolo æquãdã, in lectulo Atheniẽſi iacẽs, equitũ Macedonũ manibus, quibus obiecta erat, eriperet. Ita vrbs nõ tã ſtrata atq; euerſa, Alexandri, quàm reſtituta, Ariſtotelis notum eſt opus. Patet ergo quã benignæ, quamq; profuſæ pietatis erga patriam omnium ordinum omnis ætatis homines extiterint, ſanctiſſimiſque naturæ legibus mirificorum etiam exemplorũ clara mundo ſubſcripſerit vbertas.

DE PARENTVM AMORE ET INDVLGENTIA IN LIBEROS.

Caput VII.

SEd nunc vela, pij affectus & placidi, parentum erga liberos indulgẽtia, ſalubriq; aura prouecta, gratã ſuauitatis ſecũ dotem afferat. Fabiꝰ Rutilianꝰ quinq; cõſulatibus ſumma cum gloria peractis, omnibuſq; & virtutibus, & vitę emeritis ſtipẽdijs, legatus ire Fabio Gurgiti filio ad bellũ difficile & periculoſum cõficiendũ grauatns nõ eſt, ipſo pene per ſe dũtaxat animo ſine corpore militaturꝰ, vtpote propter vltimã ſenectutẽ lectuli otio, q̃ labori prę̃liorũ habilior. Idẽ triũphantis currum equo inſidẽs ſequi, quẽ ipſe, paruulum triumphis ſuis geſtauerat, in maxima voluptate poſuit: nec acceſſor glorioſæ illius pompæ, ſed author ſpectatus eſt.

DE CESETO ROMANO.

NOn tam Ceſeti ſpecioſa equitis Romani ſors patria, ſed par indulgentia: qui a Cæſare omnium iam externorum & domeſticorum hoſtium victore cũ abdicare filium ſuum iuberetur, quòd

is Tri. Ple. cum Marullo collega, inuidiã ei tanquam regnum affectanti fecerat, in hunc modum respondere sustinuit: Celerius tu mihi Cæsar omnes filios meos eripies, quàm ex his ego vnum nota pellam mea. Habebat autem duos præterea optimæ indolis filios: quibus Cæsar se incrementa benignæ dignitatis largiturum pollicebatur. Hunc patrem tametsi summa diuini principis clementa tutum præstitit, quis tamen non humano ingenio maius ausum putet, quòd cui totus orbis terrarum succubuerat, non cessit?

DE OCTAVIO BALBO.

Sed nescio an Octauius Balbus concitatioris & ardentioris erga filiũ beneuolentiæ fuerit. Proscriptus â Triũuiris, cũ domo postico clam esset egressus, iamq; fugæ expeditum initium haberet, postq̃ intus filium trucidari falso clamore viciniæ accepit, ei se neci, quam euaserat, obtulit, occidendumq; militibus tradidit. Pluris nimirum illud momẽtum, quo illi præter spem videre filium incolumem contigerat, q̃ salutem suam æstimans. Miseros adolescẽtis oculos, quibus amantissimum sui patrem ipsius opera sic expirantem intueri necesse fuit.

DE SELEVCO REGE.

Cæterum vt ad iucundiora cognitu veniamus, Seleuci Regis filius Antiochus nouercæ Stratonices infando amore correptus, memor q̃ improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia dissimulatione cõtegebat. Itaq; diuersi ijsdẽ visceribus affectus ac medullis inclusi, summa

cupiditas, & maxima verecundia, ad vltimam tabem corpus eius redegerũt. Iacebat ipse Antiochus in lectulo moribundo similis: lamentabantur necessarij: pater mœrore prostratus, de obitu vnici filij, deque sua miserrima orbitate cogitabat: totius domus funebris magis quàm regius erat vultus. Sed hanc tristitiæ nubem Leptini mathematici, vel, vt quidam tradunt, Erasistrati mediti prouidentia discussit. iuxta enim Antiochum sedens, vt eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & spiritu increbrescere, eaque egrediẽte pallere, & excitatiorem anhelitum subinde recuperare animaduertit, curiosiore obseruatione ad ipsam veritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice, & rursus abeunte brachium adolescentis dissimulanter apprehẽdẽdo, modo vegetiore, modo languidiore pulsu venarum comperit cuius morbi æger esset: protinusque id Seleuco expossuit. Qui charissimam sibi coniugem filio suo cedere non dubitauit, quod in amorem incidisset, fortunæ acceptum referens: quod dissimulare eum vsq; ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputans. Subijciatur animus senex, rex amans: iam patebit q̃ multa quãq; difficilia paterni affectus indulgentia superauit.

DE ARIOBARZANE rege Cappadociæ.

At Seleucus quidẽ vxore, Ariobarzanes filio suo Cappadocię regno cessit in cõspectu Cn. Põpeij cuius cum ipse tribunal cõscendisset, inuitatusq;

ab eo in curuli sella sedisset, postquã filiũ in cornu scribæ humiliorem fortuna sua locũ obtinentem conspexit, non sustinuit infra se collocatum intueri, sed protinus sella descendit, & diadema in caput eius trãstulit, hortariq; cœpit vt eo trãsiret, vnde ipse surrexerat. exciderunt lachrymæ iuueni, cohorruit corpus, delapsum diadema est, nec quo iussus erat ꝓgredi potuit: quodq; pene fidem veritatis excedit, lætus erat qui regnũ deponebat, tristis cui dabatur: nec vllum finem tã egregium certamen habuisset, nisi patriæ volũtati authoritas Pompeij affuisset. filium enim & regem appellauit, & diadema sumere iussit, & in curuli sella considere coegit. Comicæ lenitatis hi patres, tragicę asperitatis illi.

DE PARENTVM SEVERITATE ADVERSVS LIBEROS. Cap. VIII.

De Lucio Bruto.

BRutus par gloria Romulo, quia ille vrbem, hic libertatem Romanam condidit, filios suos Tarquinij dominationem a se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proq; tribunali virgis cęsos, & ad palum religatos securi percuti iussit. Exuit patrem, vt consulem ageret, orbusq; viuere, q̃ publicæ vindictæ deesse maluit.

DE CASSIO.

Huius æmulatus exemplũ Cassius, filiũ qui Trib. Pleb. Agrariam legem primus tulerat, multisq; alijs rebus populariter animos hominum amore sui deuinctos tenebat, postquã illam potestatem

depoſuit, adhibito propinquorum & amicorũ conſilio, affectati regni crimine domi dãnauit, verberibuſq; affectum necari iuſſit, ac peculium eius Cereri conſecrauit.

DE MANLIO TORQVATO.

Titus autẽ Manlius Torquatus propter egregia multa rarę dignitatis, iuris quoq; ciuilis & ſacrorum pontificalium peritiſſimus, in conſimili facto ne conſilio quidem neceſſariorum indigere ſe credidit. Nam cum ad ſenatum Macedonia de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciam obtinuerat, querelas per legatos detuliſſet, a P.C. petijt, ne quid ante de ea re ſtatuerẽt, quàm ipſe Macedonum filiique ſui cauſam inſpexiſſet. ſummo deinde tum ampliſſimi ordinis, tum etiam eorum qui queſtum venerant, cõſenſu, cognitione ſuſcepta, domi conſedit, ſoluſque vtrique parti per totum biduum vacauit, ac tertio die pleniſſime diligentiſſimeque auditis teſtibus, ita pronũciauit, Cũ Syllanum filium meũ pecunias a ſocijs accepiſſe, mihi probatum ſit: & Rep. eum, & domo mea indignũ iudico, protinuſque e conſpectu meo abire iubeo. Tam triſti patris ſententia perculſus Syllanus, lucem vlterius intueri non ſuſtinuit, ſuſpẽdioq; ſe proxima nocte cõſumpſit. Peregerat iam Torquatus ſeueri & religioſi iudicis partes, ſatiſfactum erat Reip. habebat vltionem Macedonia, potuit tam verecundo obitu filij, patris inflecti rigor. At ille neque adoleſcentis exequijs interfuit, & cum maxime funus eius duceretur, conſulere ſe volentibus, vacuas

aures accõmodauit. Videbat enim se in eo atrio consediſſe, in quo illius imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat: prudentissimoq; viro sucurrebat, effigies maiorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri nõ solum legerent, sed etiam imitarentur.

DE MARCO SCAVRO.

Marcus vero Scaurus lumen ac decus patriæ, cum apud Athesim flumen impetu Cimbrorũ Romani equites pulsi, deserto consule Catulo pauidi vrbem repeterent, cõsternationis eorum particípi filio suo misit qui dicerent se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, q̃ ipsum tam deformis fugę reum visurum. Itaq; siquid modo reliquum in pectore verecundiæ superesset, cõspectum degenerati patris vitaturum. Recordatione enim iuuentæ suæ, qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur. quo nuncio accepto iuuenis coactus est fortius aduersus semetipsum gladio vti, q̃ aduersus hostes vsus fuerat.

DE AVLO FVLVIO.

Nec minus animose Aulus Fuluius, vir senatorij ordinis, euntem filium in aciem retraxit, q̃ Scaurus è prælio fugientem increpuit. Nanque iuuenem & ingenio & literis & forma inter æquales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinę secutum, inq; castra eius temerario impetu ruentem, in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, prefatus nõ se Catilinæ illũ aduersus

patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse. Licuit donec ciuilis belli rabies præteriret, inclusum arcere. Verum illud cauti patris narraretur opus, hoc seueri refertur. Sed vt hanc incitatam & asperam seueritatem mitiores relatu patrum mores, clementiæ suæ mistura temperent, exactę pœnę concessa venia iungatur.

DE PARENTVM MODERATIONE ADVERSVS SVSCEPTOS LIBEROS. Cap. ix.

De Lucio Gellio.

LVcius Gellius omnibus honoribus ad cẽsuram vsq; defunctus, cum crimina grauissima de filio in nouercam, commissum stuprum, & parricidium cogitatũ, propemodũ explorata haberet, non tamen ad vindictam procurrit continuo, sed pene vniuerso Senatu adhibito in consilium, expositis suspicionibus defendendi se adolescenti potestatem fecit: inspectaq; diligentissime causa, absoluit eum tum cõcilij, tum etiam sententia sua, quod si impetu irę abstractus sęuire festinasset, admisisset magis scelus, q̃ vindicasset.

DE LVCIO HORTENSIO.

Quinti autem Hortensij, qui suis temporibus ornamentum Romanę eloquẽtię fuit, admirabilis in filio patiẽtia extitit. Cum enim eousq; impietatẽ eius suspectã, & nequitiã inuisam haberet, vt Messalam suæ sororis filiũ hæredẽ habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret, si illum damnassent, nihil sibi præter osculum nepotum in quibus acquiesceret, superfuturum,

hac ſcilicet ſentẽtia, quam etiam editę orationi inſeruit, filium potius in tormẽto animi, q̃ in voluptatibus reponens, tamen ne naturæ ordinem confunderet, non nepotes, ſed filium hæredem reliquit, moderate vſus affectibus ſuis: quia & viuus moribus eius verum teſtimonium, & mortuus ſanguinis honorem debitum reddidit.

DE FVLVIO.

IDem fecit clari generis, magnæq; dignitatis vir Fuluius, ſed in filio aliquantũ tetriore. Nã cum auxiliũ ſenatus imploraſſet, vt ſuſpectus in parricidio, & ob id latens, per Triumuirum cõquireretur, ac iuſſu patrum C. cõprehenſus eſſet, nõ ſolum eum non notauit, ſed etiam decedens dominum omnium eſſe voluit, quem genuerat hęredem inſtituens, non quem fuerat expertus.

DE QVODAM PATRE IGNOTO.

MAgnorum virorum clementibus actis ignoti patris nouæ atq; inuſitatæ rationis cõſilium adijciam: qui cum a filio necti ſibi inſidias comperiſſet, nec inducere in animũ poſſet, vt verum ſanguinem ad hoc ſceleris progreſſum crederet, ſeductam vxorem ſuſpirans ſimpliciter rogauit, ne ſe vlterius celaret ſiue illũ adoleſcentẽ ſubieciſſet, ſiue ex alio concepiſſet: aſſeueratione deinde eius & iureiurãdo, ſe nil tale debere ſuſpicari perſuaſus, in locũ deſertũ filio perducto, gladium, quem ſecum occultum attulerat, tradidit, ac iugulum feriendum præbuit, nec veneno, nec latrone ei ad peragendũ parricidiũ opus eſſe affirmãs, quo facto nõ paulatim, ſed magno impetu

recta cogitatio pectus iuuenis occupauit. Continuoq; abiecto gladio, Tu vero, inquit, pater viue: & si tam obsequēs es, vt hoc precari filio permittas, me quoque exupera: sed tantum quæso, ne meus erga te amor eo sit vilior, quod a pœnitētia oritur. Solitudinem sanguine meliorem, pacatioresq; penatibus syluas, & alimentis blādius ferrum, ac mortis oblatæ, q̄ datę vitæ felicius beneficium. Commemoratis patribus qui iniurias filiorum patienter exceperūt, referamus eos qui mortes æquo animo tolerarunt.

DE PARENTIBVS QVI OBITVM filiorum forti animo tulerunt. Cap. x.

De Horatio Puluillo.

HOratius Puluillus, cum in capitolio Ioui Opt. Max. ædem pontifex dedicaret, interq; nuncupationem solennium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset, neq; manum a poste remouit, ne tanti templi dedicationem interrumperet: neq; vultū a publica religione ad priuatum dolorem reflexit, ne patris magis q̄ pontificis partes egisse videretur.

DE AEMILIO PAVLO.

CLarum exemplū, nec minus tamen illustre, quod sequitur. Aemilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repręsētatio, ex quatuor filijs formæ insignis, egregiæ indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamque gen-

tem tralatos, sibi ipse denegauit: duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphũ patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post diem tertium expirauit. Itaq; qui ad donandos vsq; liberos abũdauerat, in orbitate subito destitutus est: quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione quã de rebus à se gestis apud populum habuit, hanc adijciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit. Cũ in maximo prouentu felicitatis vestrę, Quirites, timerem ne quid mali fortuna moliretur, Iouem Opt. Max. Iunonemque reginam, & Mineruam precatus sum, vt si aduersi quid Populo Romano immineret, totum in meam domũ conuerteretur. Quapropter bene habet se res. annuendo enim votis meis, id egerunt, vt vos potius meum casum doleatis, quàm ego vestrũ ingemiscerẽ. Vno etiam nunc domestico exẽplo adiecto, in alienis luctibus orationi meæ vagari permittam.

DE QVINTO MARTIO REGE.

Quintus Martius Rex superioris Catonis in consulatu collega, filiũ summę pietatis, magnę spei, &, quæ non parua calamitatis accessio fuit, vnicum, amisit. Cumque se obitu eius subrutum & euersum videret, ita dolorem altitudine consilij coercuit, vt à rogo iuuenis protinus curiam peteret, senatumq;, quem eo die lege haberi oportebat, euocaret. quod nisi fortiter mœrorem ferre sciisset, vnius diei lucem inter calamitosum patrem, & strenuum consulem, neutra in parte cessante officio, partiri non potuisset.

EXTERNA.

DE PERICLE PRINCIPE ATHEnienſium.

Princeps Atheniẽſium Pericles intra quatriduum duobus mirificis adoleſcentibus filijs ſpoliatus, his ipſis diebus & vultu priſtinum habitum retinente, & oratione nulla ex parte infractiore concionatus eſt. Ille vero caput quoque ſolito more coronatum gerere ſuſtinuit, vt nihil ex vetere ritu propter domeſticum vulnus detraheret. Non ſine cauſa igitur tanti roboris animus ad Olympij Iouis cognomen aſcendit.

DE XENOPHONTE.

Xenophon autem quod ad ſocraticam diſciplinam attinet, proximus a Platone felicis ac beatæ facundię gradus, cum ſolenne ſacrificium perageret, è duobus filijs maiorem natu nomine Gryllum apud Mantineam in prælio cecidiſſe cognouit: nec ideo inſtitutum deorum cultum omittendum putauit, ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit: quam ipſam, percontatus quonam modo occidiſſet, vt audiuit fortiſſime pugnantem interijſſe, capiti repoſuit, numina quibus ſacrificabat, teſtatus, maiorem ſe ex virtute filij voluptatem, q̃ ex morte amaritudinem ſentire. Ali⁹ remouiſſet hoſtiã, abieciſſet altaria, lachrymis reſperſa thura diſieciſſet: Xenophontis cor pia religione immobile ſtetit, & animus in conſilio prudentię ſtabilis: ac dolori ſuccumbere, ipſa clade quę nũciata erat, triſtius duxit.

DE ANAXAGORA.

Ne Anaxagoras quidem ſupprimendus eſt. Audi-

ta nãq; morte filij, nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuncias. Ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalẽ. Has voces vtilissimis pręceptis imbuta virtus mittit: quas siquis
» efficaciter auribus perceperit, non ignorabit ita
» liberos procreandos, vt meminerit his a rerum
» natura, & accipiendi spiritus, & reddẽdi eodem
» momento temporis legem dici: atq; vt mori ne
» minem solere, qui non vixerit: ita nec viuere a-
» liquem quidem posse, qui non sit moriturus.

VALERII MAXIMI LIBER SEXTVS.

DE PVDICITIA. Cap. I.

VIrginũ pariter ac fœminarum præcipuũ firmamentũ pudicitia inuocem? Tu enim prisca religione cõsecratos focos Vestæ incolis. Tu capitolinæ Iunonis puluinarib⁹ incubas. Tu palatij columẽ augustos penates sanctissimumq; Iuliæ genialem thorum assidua statione celebras. Tuo pręsidio pueriles ętatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu syncerus iuuentę flos permanet. Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur, & cognosce quæ fieri ipsa voluisti.

DE LVCRETIA.

Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus maligno errore fortunę muliebre corp⁹ sortitus est, a Sex. Tarquinij regis superbi filio per vim stuprum pati coacta, cum grauissimis

verbis iniuriam ſuam in concilio neceſſariorum deploraſſet, ferro ſe, quod veſte tectũ attulerat, interemit: cauſamq; tam animoſo interitu, imperium conſulare pro regio permutandi, Populo Romano præbuit, atque hanc illatam iniuriam non tulit.

DE VIRGINIO VIRO PLEBEIO.

Virginius plebeij generis, ſed patricij vir ſpiritus ne probro contaminaretur domus ſua, proprio ſanguini non pepercit. Nam cum Appius Claudius decemuir filiæ eius virginis ſtuprum poteſtatis viribus fretus pertinacius expeteret, deductam in forum puellam occidit: pudicæq; interemptor, q̃ corruptæ pater eſſe maluit.

DE PONTIO AVFIDIANO.

Nec alio robore animi præditus fuit Pontius Aufidianus eques Ro. qui poſtquã comperit filiæ ſuæ virginitatem a pędagogo proditam Faunio Saturnio, nõ contentus ſceleratũ ſeruũ affeciſſe ſupplicio, etiã ipſã puellã necauit. Ita ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit.

DE P. MEVIO.

Quid publius Meuius? q̃ ſeuerum pudicitiæ cuſtodem egit? In libertum nanque gratum admodum ſibi animaduertit, quia eum nubilis iam ętatis filiæ ſuæ oſculum dediſſe cognouerat, pręſertim cum non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet. Cæterum amaritudine pœnę, teneris adhuc puellæ ſenſibus caſtitatis diſciplinam ingenerari, magni æſtimauit: eiq; tam triſti exemplo præcepit, vt non ſolum virginitatem illibatam, ſed etiam oſcula ad virum ſyncera perferret.

DE QVINTO FABIO MAXIMO Seruiliano.

Quintus vero Fabius Maximus Seruilianus honoribus quos splendidissime gesserat, censuræ grauitate consummatis, exegit pœnas a filio dubiæ castitatis, & punito pependit, voluntario secessu conspectum patriæ vitando.

DE P. ATTILIO PHILISCO.

Dicerem Censorium virum nimis acerbum extitisse, nisi Publium Attilium Philiscum in pueritia corpore quæstum a domino facere coactū, tam seuerum postea patrem cernerem. Filiam enim suam, eo quòd stupri se crimine coinquinauerat, interemit. Quàm sanctam igitur in ciuitate nostra pudicitiam fuisse existimare debemus, in qua etiam institores libidinis tam seueros eius vindices euasisse animaduertimus? Sequitur excellentis nominis ac memorabilis facti exemplum.

DE M. CLAVDIO MARCELLO Aedili, & filio suo.

Marcus Claudius Marcellꝰ Aedilis curulis C. Scātinio capitolino Trib. Pl. diem ad populum dixit, quod filiū suum de stupro appellasset: eoque asseuerante se cogi non posse vt adesset, quia sacrosanctam potestatē haberet, & ob id tribunitium auxiliū implorante: totum collegiū tribunorū negauit se intercedere quo minus pudicitiæ quæstio perageretur. Citatus itaque Scantinius, reus vno teste qui tentatus erat, damnatus est. Constat iuuenem productū in Rostra, defixo in terrā vultu perseueranter tacuisse, verecū-

doq; silẽtio plurimũ in vltionem suam valuisse.

DE METELLO CELERE.

Metellus quoq; Celer stuprosæ mentis acer punitor extitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populũ dicẽdo, eumque hoc vno crimine dannando. nõ enim factum tunc, sed animus in quæstionẽ deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quã non peccasse profuit.

DE TITO VETVRIO FILIO VETVRII.

Concionis hæc, illa curiæ grauitas. Titus Veturius filius eius Veturij qui in cõsulatu suo Sãnitibus ob turpiter ictum fœdus deditus fuerat, cũ propter domesticã ruinam, & graue æs alienũ Cælio Plotio nexum sedare adolescẽtulus admodũ coactus esset, seruilibus ab eo verberib⁹, quia stuprum pati noluerat, affectus, querelam ad cõsules detulit: a quibus hac de re certior factus senatus, Plotium in carcerẽ duci iussit. in qualicunq; enim statu positam Romano sanguini pudicitiam tutam esse voluit. Et quid mirũ si hoc vniuersi P. C. censuerunt?

DE C. FESCENINO TRIVMVIRO.

Caius Fescenius Triumuir C. Corneliũ fortissimę militię stipendia emeritum, virtutisq; nomine quater honore primipili ab imperatoribus donatũ, quòd cũ ingenuo adolescentulo stupri commercium habuisset, publicis vinculis onerauit: a quo appellati tribuni, cum de stupro nihil negaret, sed sponsionem se facere paratum diceret, quòd adolescens ille palam atq; aperte corpore quæstum factitasset, intercessionem suam

interponere noluerunt. Itaque Cornelius in carcere mori coactus est. Non putarunt Tri. Pl. Rempu. nostram cum fortibus viris paciſci oportere vt externis periculis domesticas delicias emerent.

DE TRIBVNO PLEBIS, siue populo Romano.

Libidinosi Centurionis supplicium Marci Lectorij Mergi Tribuni militaris æque similis fœdus exitus sequitur: cui Cominius Tribu. pleb. diem ad populum dixit, quòd cornicularium suũ stupri causa appellasset. Nec sustinuit eius rei sentẽtiam Lectorius, sed se ipse ante iudicij tẽpus fuga prius subtraxit, deinde etiã morte se puniuit. Naturæ modũ expleuerat: fato tamen functus, vniuersæ plebis sententia crimine impudicitiæ dãnatus est. Signa illũ militaria sacratæ Aquilæ, & certissima Romani imperij custos seuera castrorũ disciplina vsq; ad inferos persecuta est: quoniam cuius virtutis magister esse debuerat, sanctitatis corruptor tentabat existere.

DE CAIO MARIO.

Hoc mouit C. Marium imperatorem, tum cum Clusium sororis suæ filium Tribunum militum a Cælio Plocio manipulario milite iure cæsum pronũciauit, qa eũ de stupro cõpellare ausus fuerat. Sed vt eos quoq; qui in vindicãda pudicitia dolore suo publica lege vsi sunt, strictim percurrã, Sẽpronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio, flagellis cecidit. C. Menius L. Octauium similiter deprehẽsum neruis cõtudit. Carbo Actienus a Bibieno, itẽ Pontius a P. Cernio

deprehensi castrati sunt. Cn. etiam Furius Brocum quem deprehenderat, familiæ stuprandum obiecit: quibus ire suæ indulsisse, fraudi non fuit.

EXTERNA.

DE HIPPONE FOEMINA.

Atq; vt domesticis externa subnectam: græca fœmina nomine Hippo, cum hostium classe esset excepta, in mare se, vt pudicitiam morte tueretur, abiecit: cuius corpus Erechtheo littori appulsum, proxima vndis humus sepulturæ mandatum, ad hoc tempus tumulo contegit: sanctitatis vero gloriam æternæ traditam memoriæ Græcia laudibus suis celebrando, quotidie florentiorem effecit.

DE ORGIAGONTIS Reguli vxore.

Vehementius hoc, illud cõsideratius exemplũ pudicitiæ. Exercitu & copijs Gallogræcorũ à Cn. Manlio consule in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis Reguli vxor miræ pulchritudinis à Centurione cui custodiẽda tradita erat, stuprum pati coacta, postquam ventum est in eum locum in quẽ consulis iussu Centurio misso nũcio necessarios mulieris pretium quo eam redimerent, afferre iusserat, aurũ expendente Centurione, & in eius pondus animo oculisq; intento, Gallogræcis lingua gentis suæ imperauit vt eum occiderent: interfecti deinde caput abscissum manibus retinens ad coniugem venit: abiectoq; ante pedes eius, & iniuriæ & vltionis suæ ordinẽ exposuit. Huius fœ-

minæ quid aliud quiſquam q̃ corpus in poteſtatem hoſtiũ veniſſe dicat? Nãq; animus neq; vinci, nec pudicitia capi potuit.

DE VXORIBVS THEVTONICORUM.

Theutonicorum vero coniuges Marium victorem orarũt vt ab eo virginibus Veſtalibus dono mitterẽtur, affirmãtes æque ſe atq; illas virilis cõcubitus expertes futuras: eaq; re non impetrata, laqueis ſibi nocte proxima ſpiritum eripuerũt. Dij melius, quòd hunc animum viris earum in acie non dederunt. Nam ſi mulierũ ſuarum virtutẽ imitari voluiſſent, incerta Theutonicæ victoriæ trophæa reddidiſſent.

QVAE LIBERE DICTA AVT FACTA SVNT. Caput. II.

LIbertatem autem vehementis ſpiritus dictis pariter & factis teſtatam, vt nõ inuitauerim, ita vltro venientem non excluſerim: quæ inter virtutem vitiũq; poſita, ſi ſalubri modo ſe temperauerit, laudem: ſi quò nõ debuit profuderit, reprehẽſionẽ meretur: ac vulgi ſic auribus gratior, q̃ ſapientiſſimi cuiuſq; animo probabilior eſt, vtpote frequentius aliena venia, q̃ ſua prouidentia tuta. Sed quia humanę vitę partes proſequi propoſitum eſt, noſtra fide æſtimatione propria referatur.

DE QVODAM PRINCIPE Priuernatum.

Priuerno capto, interfectiſq; qui id oppidum ad

rebellandum incitauerant, ſenatus indignatione accenſus conſilium agitabat, quidnam ſibi de reliquis quoq; Priuernatibus faciendum eſſet. Ancipiti igitur caſu eorum ſalus fluctuabat, eodem tempore & victoribus & iratis ſubiecta. Cæterũ cum auxilium vnicũ in precibus reſtare animaduerterẽt, ingenui & Italici ſanguinis, obliuiſci nõ potuerunt. Princeps enim eorum in curia interrogatus quam pœnam mereretur, reſpondit, quam merentur qui cum ſe dignos libertate iudicarent, arma ſumpſerant. Exaſperatos P. conſcriptorum animos, verbis inflammauerat. Sed Plautius conſul fauens Priuernatum cauſæ, regreſſum animoſo eius dicto obtulit, quæſiuitq; qualem cum eis pacẽ habituri Romani eſſent impunitate donata: at is conſtantiſſimo vultu, Si bonam dederitis, inquit, perpetuam: ſi malam, non diuturnam. qua voce perfectũ eſt, vt victis non ſolum venia, ſed etiam ius & beneficiũ noſtræ ciuitatis daretur. Sic in ſenatu Priuernas loqui auſus eſt.

DE L. CRASSO.

Lucius vero Philippus cõſul aduerſus eũdem ordinem libertatẽ exercere non dubitauit. Nã ſegnitiem pro Roſtris exprobrãs, alio ſibi ſenatu opus eſſe dixit: tãtũq; a pœnitentia dicti abfuit, vt etiam L. Craſſo ſummæ dignitatis & eloquẽtiæ viro id in curia grauiter ferenti, manum inijci iuberet. Ille reiecto lictore, Nõ es, inquit, mihi Philippe conſul, quia nec ego tibi ſenator ſum.

DE P. SCIPIONE AFRICANO.

Quid? Philippum ab incurſu ſuo tutũ libertas reli-

quit? imò & ſimiliter aggreſſa, & æque experta patientia eſt. Cn. Carbo Tri. Ple. nuper ſepultæ Gracchanæ ſeditionis turbulentiſſimus vindex, idemq; orientium ciuilium malorum fax ardẽtiſſima, Publium Africanum a Numantiæ ruinis ſummo cum gloriæ fulgore venientem, ab ipſa pene porta in Roſtra perductum, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius ſororẽ in matrimonio habebat, ſentiret, interrogauit: vt authoritate clariſſimi viri inchoato iam incendio multũ incrementi adijceret, quia non dubitabat quin propter tam arctam affinitatem aliquid pro interfecti neceſſarij memoria miſerabiliter eſſet locuturus. At is iure eum cæſum videri reſpondit. cuius dicto cum concio tribunitio furore inſtincta violenter ſucclamaſſet, Taceant, inquit, quibus Italia nouerca eſt. orto deinde murmure, Non efficietis, ait, vt ſolutos verear, quos alligatos adduxi. Vniuerſus populus iterum ab vno contumelioſe correptus erat. Quãtus eſt honos virtutis? Tacuit actutũ. Recens victoria ipſius Numantina, & patris Macedonica, deuictæque Carthaginis ſpolia habita, ac duorum regum Siphacis & Perſæ ante triumphales currus catenatæ ceruices, tunc totius fori prementes ora clauſerunt: nec timori datum eſt ſilentium, ſed quia beneficio Aemiliæ & Corneliæ gẽtis multi metus vrbis atq; Italiæ finiti erant, plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit. Quapropter minus mirari debem⁹ quòd ampliſſima Cn. Põpeij authoritas toties cũ libertate luctata eſt, nec ſine magna laude, quoniam omnis ge-

neris hominum licentiæ ludibrio se esse quieta fronte tulit.

DE CN. PISONE.

Cn. Piso cum Manilium Crispum reum ageret, eumque euidenter nocentem gratia Pompeij videret eripi, iuuenili impetu ac studio ad accusationē prouectus, multa & grauia crimina præpotenti defensori obiecit: interrogatus deinde ab eo cur se quoque non accusaret: Da, inquit, vades reipu. te, si postulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum: iam de tuo prius quàm de Manilij capite in consilium iudices mittam. Ita eodem iudicio duos sustinuit reos, accusatione Manilium, libertate Pompeium: & eorum alterum lege peregit, alterum professione, qua solum poterat.

DE CATONE.

Quid ergo? libertas sine Catone? nec magis, q̄ Cato sine libertate. Nam cum in senatorem nocentem & infamem reum iudex sedisset, tabellæque Cn. Pompeij laudationem eius continentes prolatæ essent, procul dubio efficaces futuræ pro noxio, submouit eas e quęstione, legē recitādo qua cautum erat ne senatoribus tali auxilio vti liceret. Huic facto persona admirationem ademit. Nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoscitur.

DE CN. LENTVLO MARcellino Consule.

Cn. enim Lentulus Marcellinus Consul, cum in cōcione de Magni Pompeij nimia potētia quereretur, assensusq; illi clara voce vniuersus popu-

lus esset, Acclamate, inquit, acclamate quirites, dum licet. Iam enim vobis impune facere nõ licebit. Pulsata est tunc eximij ciuis potẽtia, hinc inuidiosa querela, hinc lamentatione miserabili. Cui candida fascia crus alligatum habenti, Fauonius, Nõ refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema. exigui panni cauillatione regias eius vires exprobrans. At is neutra in parte mutato vultu vtrunq; cauit, ne aut hilari fronte libenter agnoscere potentiam, aut tristi iram profiteri videretur: eaque patientia, inferioris etiam generis & fortunæ hominibus aditum aduersus se dedit: è quorum turba duos retulisse abunde erit.

DE AELIO MANTIA FORmiano.

Aelius Mantia Formianus Libertini filius vltimæ senectutis, L. Libonẽ apud Censores accusabat: in quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatem ei, ætatemq; exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset, Non mentiris, inquit, Pompei. Venio enim ab inferis L. Libonem accusaturus: sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Aenobarbum deflentem, quòd summo genere natus, integerrimæ vitæ, amantissimus patriæ, in ipso iuuẽtutis flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratũ querentẽ id sibi prius perfidia, deinde etiã crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuę, bonorumque patris tui defensorem, in tertio cõsulatu catenis quas tu ei injci iusseras,

vinctum obteſtantem te, aduerſus omne fas & nefas, cũ in ſummo eſſet imperio, à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu tuo prætorium virum Perpennam ſæuitiam tuam execrantem: omneſq; eos vna voce indignantes, quòd indẽnati ſub te adoleſcentulo carnifice occidiſſent. Obducta iam vetuſtis cicatricibus bellorum ciuilium vaſtiſſima vulnera, municipali homini, ſeruitutẽ paternam redolenti, effrenatæ temeritatis, intolerabilis ſpiritus, impune reuocare licuit. Itaq; eo tempore & fortiſſimum erat Cn. Pompeio maledicere, & tutiſſimum. Sed non patitur nos hoc longiore querela proſequi, perſonæ inſequẽtis aliquãto ſors humilior.

DE DIPHILO TRAGOEDO.

Diphilus Tragœdus, cum Apollinaribus ludis inter actum ad eũ verſum veniſſet, in quo hæc ſententia cõtinetur, Miſeria noſtra Magnus eſt: directis in Pompeium Magnum manibus pronũciauit: reuocatuſq; aliquoties à populo, ſine vlla cunctatione nimiæ illum & intolerabilis potẽtiæ reum geſtu perſeueranter egit. Eadem petulantia vſus eſt in ea quoq; parte, Virtutem iſtã veniet tempus cum grauiter gemas.

DE MARCO CASTRITIO.

Marci etiã Caſtritij libertate inflãmatus animus: qui dum Placẽtiæ magiſtratũ gereret, Cn. Carbone cõſule iubente decretum fieri, quo ſibi obſides à Placentinis darentur, nec ſummo eius imperio obtẽperauit, nec maximis viribus ceſſit, atq; etiam dicenti multos ſe gladios habere.

respõdit,& ego annos. Obstupuerunt tot legiones tam robustas senectutis reliquias intuẽtes. Carbonis quoq; ira,quia materiam sæuiẽdi perquam exiguam habebat, paruulum vitæ tẽpus ablatura,in se ipsa collapsa est.

DE SERVIO GALBA.

Iam Seruij Galbæ temeritatis plena postulatio, quod diuum Iulium consummatis victorijs in foro ius dicentem in hunc modum interpellare sustinuit: C.Iuli Cæsar,pro Cn. Põpeio Magno quondã genero tuo in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor:Quid agam?dependam? Palam atq; aperte ei bonorum Pompeij venditionem exprobrando,vt a tribunali summoueretur,meruerat: sed ipsa illud mansuetudine mitius pectus, æs alienum Pompeij ex suo fisco solui iussit.

DE CESELIO VIRO SAPIENTE.

Age,Casselius vir iuris ciuilis scientia clarus,quã periculose contumax? Nullius enim aut gratia aut authoritate cõpelli potuit, vt de aliqua earum rerum quas triumuiri dederant,formulam componeret: hoc animi iudicio victoriæ eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponẽs. Idem cum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur, amiciq; ne id faceret monerẽt: duas res quæ hominibus amarissimæ videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem,& orbitatem.

EXTERNA.

DE QVADAM MVLIERE.

Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis

quæ à Philippo rege temulento immerẽter dãnata, Prouocarem ad Philippum, inquit, sed sobrium. excussit crapulam oscitanti, ac præsentia animi ebrium resipiscere, causaque diligentius inspecta iustiorem sententiam ferre coegit. Igitur æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit: ac potius præsidium à libertate quàm ab innocentia mutuauit.

DE QVADAM FOEMINA SYRAcusana.

Iam illa non solum fortis, sed etiam vrbana libertas. Senectutis vltimæ quædam Syracusijs omnibus Dionysij tyranni exitium propter nimiam morum acerbitatẽ, & intolerabilia onera votis expetentibus, sola quotidie matutino tempore deos, vt incolumis, ac sibi superstes esset, orabat. Quod vbi is cognouit, non debitam sibi admiratus beneuolentiam, accersit eã, & quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogauit. Tum illa, Certa est, inquit, ratio propositi mei, puella enim cum grauem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupauit. eius quoque finiri dominationem, magni æstimabam. tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaque timens ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

DE THEODORO CYRENAEO.

Inter has & Theodorum Cyrenæum quasi ani-

moſi ſpiritus cõiugium eſſe potuit, virtute par, felicitate diſſimile. Is enim Lyſimacho regi mortem ſibi minitanti, enimuero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim aſſecutus es. Cumque hoc dicto accenſus, cruci eum adfigi iuſſiſſet, terribilis hæc (ait) ſit purpuratis tuis: mea quidem nihil intereſt, humi ne, an ſublime putreſcam.

DE SEVERITATE. Cap. III.

ARmet ſe duritia pectus neceſſe eſt, dum horridæ ac triſtis ſeueritatis acta narrãtur: vt omni mitiore cogitatione ſepoſita, rebus auditu aſperis vacet. Ita enim diſtrictæ & inexorabiles vindictæ, & varia pœnarũ genera in mediũ procurrẽt, vtilia quidẽ legum munimenta, ſed minime in placido & quieto paginarũ numero reponẽda. Marcus Manlius vnde Gallos depulerat, inde ipſe præcipitatus eſt: quia fortiter defenſam libertatẽ, nefarie opprimere conatus fuerat: cuius iuſtæ vltionis nimirũ hæc præfatio fuit. Manlius eras mihi, cũ præcipites agebas Senones: poſtquã imitari cœpiſti, vnus factus es ex Senonibus. Huius ſupplicio æternæ memoriæ nota inſerta eſt. propter illũ enim lege ſanciri placuit, nequis patricius in arce aut in capitolio habitaret, qui domũ eo loci habuerat, vbi nunc ædem Monetæ videmus.

IN SPVRIVM CASSIVM.

PAr indignatio aduerſus Spurium Caſſiũ erupit: cui plus ſuſpicio cõcupitę dominationis nocuit, q̃ tres magnifici conſulatus, ac duo ſpecioſiſſi-

mi triumphi profuerũt. Senatus enim, populusq; Ro. non contentus capitali eum supplicio afficere, interempto domum superiecit, vt penatiũ quoque strage puniretur. In solo autẽ ædẽ Telluris fecit. Itaq; quod prius domicilium potentissimi viri fuerat, nunc religiosæ seueritatis monimentum est.

IN SPVRIVM MELIVM.

Eadem ausum Spurium Melium consimili exitu patria multauit. area vero domus eius, quo iustitia supplicij notior ad posteros perueniret, Aequimelij appellationem traxit.

Quantum ergo odij aduersus hostes libertatis insitum animis antiqui haberent, parietum ac tectorum in quibus versati fuerant, ruinis testabãtur. Ideoq; & M. Flacci, & L. Saturnini seditiosissimorum ciuium corporibus trucidatis, penates ab imis fundamẽtis eruti sunt. Cæterũ Flaciana area cum diu penatibus vacua mãsisset, à Qu. Catulo Cimbricis spolijs adornata est.

IN TIBERIVM ET CAIVM Gracchos.

Viguit ĩ nostra ciuitate Tiberij & Caij Gracchorum summa nobilitas, ac spes amplissima: sed quia statum ciuitatis conati erant cõuellere, insepulta cadauera iacuerunt, supremusq; humanę cõditionis honos filijs Gracchi, & nepotibus Africani defuit: quinetiam familiares eorum, ne quis Reipublicæ inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.

DE P. MVTIO TRI. PLEB.

Idẽ sibi licere tam P. Mutius Tri. Pleb. q̃ Sena-

tus & Po.Ro.credidit,qui omnes collegas ſuos qui duce Spurio Caſſio id egerãt,vt magiſtratibus non ſubrogatis communis libertas in dubium vocaretur, viuos cremauit. Nihil profecto hac ſeueritate fidentius. Vnus enim tribunus eam pœnam nouem collegis inferre auſus eſt,quam nouem tribuni ab vno collega exigere exhorruiſſent.

IN M. CLODIVM.

Libertatis adhuc cuſtos & vindex ſeueritas, ſed pro dignitate etiam,ac pro diſciplina æque grauis.M.enim Clodium Senatus Corſis,quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: quem ab hoſtibus non acceptum,in publica cuſtodia necari iuſſit. Semel læſa maieſtate imperij, quot modis irę pertinax vindex:factum eius reſcidit, libertatem ademit,ſpiritũ extinxit,corpus contumelia carceris,& deteſtãda Gemoniarum ſcalarũ nota fœdauit. Atq; hic quidẽ Senatus animaduerſionem meruerat.

DE CORNELIO SCIPIONE.

Cn.autem Cornelius Scipio Hiſpali filius priusquàm mereri poſſet, expertus eſt. Nam cum ei Hiſpania prouincia ſorte obueniſſet,ne illuc iret decreuit,adiecta cauſa, quod recta facere neſciret. Itaq; Cornelius propter vitæ inhoneſtum actum ſine vllo prouinciali miniſterio tamen Repetundarum lege damnatus eſt.

DE CAIO VATIENO.

Ne in C.quidem Vatieno, qui ſiniſtræ manus digitos,ne bello Italico militaret,abſciderat,ſeueritas ſenatus ceſſauit. Publicatis enim bonis eiꝰ,

ipsum æternis vinculis puniendum censuit, effecitque, vtquẽ honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

DE M. CVRIO CONSVLE.

Id factũ imitatus M. Curius consul, cum delectũ subitum educere coactus esset, & iuniorũ nemo respondisset, cõiectis in sortem omnibus tribubus, Polliæ, quæ proxima exierat, primũ nomẽ vrna extractum citari iussit: neq; eo respondẽte, bona adolescẽtis hastæ subiecit. Quod vt illi nũciatum est, ad Consulum tribunal cucurrit, collegiumque Tribunorum appellauit. Tunc M. Curius præfatus non opus esse eo ciue Reipublicæ, qui parere nesciret: & bona eius, & ipsum vendidit.

DE LVCIO DOMITIO PRAETORE.

Aeque tenax propositi L. Domitius. Nam cũ Siciliam Prætor regeret, & ad eũ eximiæ magnitudinis aper allatus esset, adduci ad se pastorem cuius manu occisus erat, iussit: interrogatumq; quomodo eam bestiam confeciisset, postquã cõperit vsum venabulo, crucifixit, quia ipse ad exturbanda latrocinia, quibus prouincia vastabat, ne quis telum haberet, edixerat. Hoc aliquis in finem seueritatis & sæuitiæ ponendum dixerit. disputatione enim vtroq; flecti potest. Cæterum ratio publici imperij Prætorem nimis asperum existimari non patitur. Sic se in viris puniendis seueritas exercuit. Sed ne in fœminis quidẽ supplicio afficiendis segniorem se egit.

DE HORATIO.

Horatius post prælium trium Curiatium cõditio-

ne pugnæ omnium Albanorum victor, cum ex illa clariſſima acie domum repetēs, ſororem ſuā virginem Curiatij ſponſi mortē profuſius q̄ illa ætas debebat, flentem vidiſſet, gladio quo patriæ rem bene geſſerat, interemit, parū pudicas ratus lachrymas, quæ præpropero amori dabātur. Quem hoc nomine reum apud populū actū pater defendit. Ita paulo propēſior animus puellæ ad memoriam futuri viri, & fratrem ferocem vindicem, & vindictæ tam rigidum aſſenſorem patrem habuit.

DE SPVRIO POSTHVMIO ALBINO, & Quinto Martio Philippo.

Conſimili ſeueritate ſenatus poſtea vſus, Spurio Poſthumio Albino & Quinto Martio Philippo conſulibus mandauit, vt de ijs quæ ſacris Bacchanalium inceſtu vſæ fuerant, inquirerent: a quibus cum multæ eſſent damnatæ, in omnes cognatas intra domos animaduerterunt: lateque patens opprobrij deformitas, ſeueritate ſupplicij emendata eſt: quia quantum ruboris ciuitati noſtræ mulieres turpiter ſe gerendo incuſſerant, tantum laudis grauiter punitæ attulerunt.

DE PVBLICIA ET LICINIA.

Publicia autem quæ Poſthumium Albinum conſulem, item Licinia quæ Claudium Aſellum viros ſuos veneno necauerant, propinquorum decreto ſtrangulatæ ſunt. Non enim putauerūt ſeueriſſimi viri in tam euidenti ſcelere lōgum publicæ quæſtionis tempus expectandum. Itaque quarum innocentium defenſores fuiſſent, ſontiū

maturi vindices extiterunt. magno scelere horum seueritas ad exigendam vindictam concitata est.

DE EGNATIO METELLO.

Egnatij autem Metelli lõge minore de causa, qui vxorem, quòd vinũ bibisset, fuste percussam interemit. Idq; factum non accusatore tantum, sed etiam reprehensore caruit: vnoquoq; existimãte optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœ-
» nas pependisse. Et sane quæcunque fœmina vini
» vsum immoderate appetit, & virtutibus omni-
» bus ianuam claudit, & delictis aperit.

DE C. SVLPITIO GALLO.

Horridum C. quoq; Sulpitij Gallí maritale supplicium. nam vxorem dimisit, quòd eã capite aperto foris versatam cognouerat, abscissa sententia, sed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres. His decoris instrumenta compara, his esto speciosa, horum te certiori crede notitiæ: vlterior tuus conspectus superuacua iritatione accersitus, in suspicione & crimine hæreat necesse est.

DE Q. ANTISTIO VETERE.

Nec aliter sensit Quintus Antistius Vetus repudiando vxorem, quòd illam in publico cum quadã libertina vulgari secreto loquentem viderat. nã (vt ita dicam) incunabulis culpæ & nutrimẽtis, non ipsa commotus culpa, citeriorẽ delicto præbuit vltionem, vt potius caueret iniuriã, quàm vindicaret.

DE P. SEMPRONIO SOPHO.

Iungendus est his P. Sempronius Sophus, qui cõiugem repudij nota affecit, nihil aliud q̃ se ignorante ludos ausam spectare. Ergo dũ sic olim fœminis occurritur, mens earum a delictis aberat. Cæterum etsi Romanæ seueritatis exemplis totus orbis terrarum instrui potest, tamẽ externa summatim cognoscere fastidio non sit.

EXTERNA.

DE ARCHILOCHO POETA.

Lacedæmonij libros Archilochi e ciuitate sua exportari iusserunt, quòd eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, q̃ ingenijs prodesset. Itaque maximum poetam, aut certe summo proximum, quia domum sibi inuisam obscœnis maledictis lacerauerat carminum, exilio multarunt.

DE ATHENIENSIBVS.

Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Dariũ regem more gẽtis illius adulatũ, capitali supplicio affecerunt: vnius ciuis humilibus blanditijs, totius vrbis suæ decus Persicæ dominationi summissum grauiter ferentes.

DE CAMBYSE REGE.

Iam Cambyses inusitatæ seueritatis, qui mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractã, sellæ intendi, in eaq̃ filiũ eius iudicaturum considere iussit: cæterum & rex & barbarus atroci ac noua pœna iudicis, nequis postea corrumpi iudex posset prouidit.

GRAVITER DICTA, AVT facta. Cap. III.

MAgnam & bonam laudis partem in claris viris etiã illa vendicant, quæ aut ab his grauiter dicta, aut facta, ptinax memoria viribus æternis cõprehendit: quorum ex abũdanti copia, nec parca nimis, nec rursus auida manu, quo magis desiderio satis fiat, q̃ satietati abundet, hauriamus.

DE MANLIO TORQVATO.

CIuitate nostra Cannensi clade perculsa, cũ admodum tenui filo suspensa Reip. salus, ex sociorum fide penderet, vt eorum animi ad imperiũ Romanũ tuendum constãtiores essent, maiori parti senatus principes Latinorũ in ordinem suũ sublegi placebat. Anius autem Campanus etiam cõsulem alterũ Capuæ creari debere asseuerabat. sic contusus & æger Romani imperij spiritus erat. tunc Manlius Torquatus, filius eius qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat, q̃ poterat clara voce denunciauit, siquis sociorum inter patres C. sententiam dicere ausus esset, cõtinuo se ipsum interempturum. hæ vnius minę, & Romanorum languentibus animis calorem pristinum reddiderunt, & Italiam ad ius ciuitatis nobiscum exequendum consurgere passæ nõ sunt. nanq; vt patris armis, ita verbis filij fracta cessit.

DE MANLIO PATRE.

PAr illius quoq; Manlij grauitas, cui cũ consulatus omniũ cõsensu deferretur, eũq; sub excusatione

aduersæ valetudinis oculorum recusaret, instãtibus cunctis, Alium, inquit, Quirites quærite, ad quem hunc honorem transferatis. nam si me gerere eum coegeritis, nec ego mores vestros ferre, nec vos meum imperium perpeti poteritis. Priuati tam ponderosa vox, q̃ graues fasces cõsulis extitissent.

DE SCIPIONE AEMILIANO.

Nihilo segnior Scipionis Aemiliani aut in curia aut in concione grauitas: qui cum haberet cõsortem cẽsuræ Mumiũ, vt nobilẽ, ita eneruis vitæ, pro Rostris dixit, se ex maiestate reip. omnia gesturum, si sibi ciues vel dedissent collegam, vel non dedissent.

DE EODEM SCIPIONE.

Idem, cum Seruius Sulpitius Galba & Aurelius cõsules in senatu contẽderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter P. C. dissensio esset, omnibus quonã eius sententia inclinaret expectãtibus, neutrum, inquit, mihi mitti placet. alter nihil habet, alteri est nihil satis. æque malam licentis imperij magistrã iudicãs inopiam, atq; auaritiã. quo dicto vt neuter in prouinciam mitteretur obtinuit.

DE POMPILIO LEGATO.

Cn. vero Põpilius a senatu legatus ad Antiochũ missus, vt bello se quo Ptolemæum lacessebat, abstineret, cum ad eum venisset, atq; is prompto animo & amicissimo vultu dextrã ei porrexisset, inuicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit: quas vt legit Antiochus, dixit se cum amicis collocu-

turũ. Indignatus Pompilius ꝙ aliquam moram interpoſuiſſet, virga ſolum quo inſiſtebat denotauit, &, Prius, inquit, q̃ hoc circulo excedas, da reſponſum, quod ſenatui referam. Non legatum locutum, ſed ipſam curiam ante oculos poſitam crederes. continuo enim rex affirmauit fore, ne amplius de ſe Ptolemęus quereretur. ac tum demum Pompilius manum eius tanquam ſocij apprehendit. Quàm efficax eſt animi ſermoniſq; abſciſſa grauitas? Eodem momẽto Syriæ regnũ terruit, Aegypti texit.

DE PVBLIO RVTILIO.

Publij autẽ Rutilij verba prius an facta æſtimẽ, neſcio. nãvtriſque æque admirabile ineſt robur. Cum amici cuiuſdam iniuſtæ rogationi reſiſteret, atq; is per ſummam indignationem dixiſſet, Quid ergo, inquit, mihi opus eſt amicitia tua, ſi quod rogo, non facis? reſpondit, Imo quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſte fact⁹ ſum? Huic voci conſentanea illa opera, quod magis ordinum diſſenſione, q̃ vlla culpa ſua reus factus, nec obſoletam veſtem induit, nec inſignia ſenatoris depoſuit, nec ſupplices ad genua iudicum manus tetendit, nec dixit quicquam ſplendore præteritorum annorum humilius, effecitque vt periculum huic non impedimentum grauitatis eius eſſet, ſed experimentum: atq; etiam cum ei reditum in patriam Syllana victoria præſtaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remanſit. quapropter felicitatis cognomẽ iuſtius quis moribus grauiſſimi viri, quàm impotentis armis aſ-

signauerit. Quod quidem Sylla rapuit, Rutilius meruit.

DE MARCO BRVTO.

Marcus Brutus suarum prius virtutum quàm patriæ parentis parricida (vno enim facto & illas in profundum præcipitauit, & omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit) vltimum prælium initurus, negantibus id quibusdam committi oportere, fidenter, inquit, in aciem descendo. Hodie enim aut recte erit, aut nihil curabo. Præsumpserat videlicet neque viuere sine victoria, neque mori sine securitate posse.

EXTERNA.

DE POPVLO CINANIENSI.

Huius mẽtio mihi subijcit quod aduersus D. Brutum in Hispania grauiter dictũ est, referre. nam cum se ei tota pene Lusitania dedidisset, ac solæ gẽtis huius vrbs Cinania pertinaciter arma retineret, tentata redemptione propemodũ vno ore legatis Bruti respõdit, ferrum sibi a maioribus, quo vrbẽ tuerentur, non aurũ quo libertatem ab imperatore auaro emerẽt, relictum. Melius sine dubio homines nostri sanguinis hæc dixissent, q̃ audissent. Sed illos quidẽ natura in huius grauitatis vestigia deduxit.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socrates autem græcæ doctrinæ clarissimum columen, cum Athenis causam diceret, defensionemque ei Lysias a se compositam, qua in iudicio vteretur, recitasset, demissam, & supplicem, imminentique procellæ accommoda-

tam: aufer, inquit, quæſo iſtam. nam ego ſi adduci poſſem vt eam in vltima Scythiæ ſolitudine perorarem, tum meipſum morte multãdum concederem. Spiritum contempſit, ne careret grauitate: maluitq; Socrates extingui, quàm Lyſiaś ſupereſſe.

DE ALEXANDRO REGE

Quantus hic in ſapientia, tãtus in armis Alexander, illã vocem nobiliter edidit. Dario enim vno iam & altero prælio virtutẽ eius experto, atq; ideo partẽ regni Tauro tenus mõte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentũm pollicente, cũ Parmenion dixiſſet, ſe, ſi Alexander eſſet, vſurum ea conditione, reſpondit: & ego vterer, ſi Parmenio eſſem. Vocẽ duabus victorijs reſpondentem, dignamq; cui tertia, ſicut euenit, tribueretur.

DE LACEDAEMONIIS.

Atq; hęc quidẽ & animi magnifici, & proſperi ſtatus: illa vero qua legati Lacedæmoniorũ apud patrem eius miſeram fortunæ ſuæ cõditionẽ teſtati ſunt, glorioſior, q̃ optabilior. Intolerabilibus enim oneribus ciuitatem eorũ implicanti, ſiquid morte graui⁹ imperare perſeueraret, mortem ſe prælaturos reſponderunt.

DE QVODAM SPARTANO.

Nec parum graue Spartani cuiuſdam dictũ. ſiquidem nobilitate & ſanctitate præſtans, & in petitione magiſtratus victus, maximæ ſibi eſſe lætitiæ prædicauit, quòd aliquot patria ſua ſe męliores viros haberet: quo ſermone repulſam honori adæquauit.

DE IVSTITIA. CAP. V.

TEmpus est iustitiæ quoque sancta penetralia adire, in quibus semper æqui ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione versatur: & vbi studium verecundiæ est, cupiditas rationi cedit: nihilq; vtile, quod parum honestũ videri possit, ducitur. eius autẽ præcipuum & certissimum inter omnes gentes nostra ciuitas exemplum est.

DE SENATV.

Camillo consule Phaliscos circũsedente, magister ludi plurimos & nobilissimos inde pueros velut ambulandi gratia eductos, in castra Romanorũ perduxit: quibus interceptis, non erat dubium quin Phalisci deposita belligerandi pertinacia, tradituri se nostro imperatori essent. ea re cognita Senatus censuit, vt pueri vinctũ magistrũ virgis cædentes in patriã remitterẽtur: qua iustitia animi eorum sunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant. nanque Phalisci beneficio magis quàm armis victi, portas Romanis aperuerunt.

DE EODEM SENATV.

Eadem ciuitas aliquoties rebellando, semperque aduersis contusa prælijs, tandem se Qu. Luctatio cos. dedere coacta est. aduersus quam sæuire cupiens Po. Ro. postquam a Papyrio, cuius manu iubente cos. verba deditionis scripta erant, doctus est Phaliscos non potestati, sed fidei se Romanorũ commisisse. omnem iram placida mente deposuit, pariterq; & viribus odij, non sanè facile vinci assuetis, & victoriæ obsequio, quæ prõ-

ptiſſime licentiam ſubminiſtrat, ne iuſtitiæ ſuæ deeſſet, obſtitit.

DE EODEM POPVLO ROmano.

IDem, cum P. Claudius Camerinos ductu atque auſpicijs ſuis captos ſub haſta vendidiſſet, etſi ærarium pecunia, fines agris auctos animaduertebat, tamen quia parum liquida fide id geſtum ab imperatore videbatur, maxima cura conquiſitos redemit, hiſq; habitandi gratia locum in Auentino aſſignauit, & prædia reſtituit; pecuniam etiam non ad curiam, ſed ad ſacraria ædificanda, ſacrificiaque facienda tribuit, iuſtitiæque promptiſſimo tenore effecit, vt exitio ſuo lætari poſſent, quia ſic renati erant. Mœnibus noſtris, & finitimis regionibus, quæ adhuc retuli, quod ſequitur, per totum terrarum orbem manauit.

DE EODEM SENATV, ET Fabricio.

TImochares Ambracienſis Fabricio cos. pollicitus eſt ſe Pyrrhum veneno per filiũ ſuũ, qui potionibus eius præerat, necaturum. ea res cum ad ſenatũ delata eſſet, miſſis legatis Pyrrhum monuit, vt aduerſus huius generis inſidias cautius ſe gereret, memor vrbem à filio Martis conditam, armis bella, non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen ſuppreſſit: vtroq; modo æquitatem amplexus, quia nec hoſtem malo exemplo tollere, nec eum qui bene mereri paratus fuerat, prodere voluit.

DE QVATVOR TRIBVNIS PLEBIS.

Summa iuſtitia in quatuor quoq; Tribunis Pl. eodem tempore cõſpecta eſt. Nam cũ Lucio Atracino, ſub quo duce aciem noſtrã apud Ferruginem à Volſcis inclinatam cũ cæteris equitibus correxerant, diem ad populum L. Hortenſius collega eorum dixiſſet, pro roſtris iurauerunt in ſqualore ſe eſſe, quoad imperator ipſorum reus eſſet futurus. Non ſuſtinuerunt enim egregij iuuenes, cuius armati periculũ vulneribus & ſanguine ſuo defenderant, eius togati vltimum diſcrimen poteſtatis inſignia retinentes intueri. qua iuſtitia mota concio, actione Hortenſium deſiſtere coegit; nec ſe etiã aliter eo facto quod ſequitur, exhibuit.

DE TIBERIO GRACCHO, ET Caio Claudio.

Cum Tiberius Gracchus, & C. Claudius ob nimis ſeuere geſtã cenſurã, maiorẽ partẽ ciuitatis exaſperaſſent, diem his M. Pompilius Tribunus perduellionis ad populũ dixit, præter cõmunẽ conſternationem priuata etiã ira accenſus, quia neceſſarium eius Rutiliũ ex publico loco parietem demoliri iuſſerãt. quo in iudicio primæ claſſis permultæ cẽturiæ Claudiũ aperte dãnabãt: de Gracchi abſolutione vniuerſæ conſentire videbãtur. qui clara voce iurauit, ſi de collega ſuo grauius eſſet iudicatũ, in factis ſe paribus eandẽ cum illo pœnam exilij ſubiturum. eaque iuſtitia tota illa tempeſtas ab vtriuſque fortunis & capite depulſa eſt. Claudiũ enim populus abſoluit, Graccho cauſę dictionẽ M. Põpilius remiſit.

DE COLLEGIO TRIBVNORVM.

Magnam laudem & illud collegiũ Tribunorũ tulit, quod, cum vnus ex eo L. Cotta fiducia sacro sanctæ potestatis creditoribus suis satisfacere nollet, decreuit, si neque solueret pecuniam, neque daret cum quo sponsio fieret, appellãtibus se creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum, maiestatem publicam priuatæ perfidiæ obtentui esse. Itaque Cottam in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, tribunitia inde iustitia extraxit.

DE CN. DOMITIO TRI. PLEB.

Cuius vt ad aliũ æque illustrem transgrediar, Cn. Domitius Tribunus Plebis M. Scaurũ principem ciuitatis in iudicium populi deuocauit, vt si fortuna aspirasset, ruinã: sin minus, certe ipsa obtrectatione amplissimi viri incremẽtum claritatis apprehenderet: cuius opprimendi cum summo studio flagraret, seruus Scauri ad eũ noctu peruenit, instructurum se eius accusationẽ multis & grauibus domini criminibus promittens. erat in eodem pectore inimicus & Domitius, & dominus, diuersa æstimatione nefarium iudiciũ perpendens: iustitia tamen vicit odium. Continuo enim & suis auribus obseratis, & iudicis ore clauso, duci eũ ad Scaurum iussit: accusatorem etiam reo suo, ne dicam diligendũ, certe laudãdum: quem populus tum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius & COS. & Censorem, & Pont. Max. fecit.

DE LVCIO CRASSO.

Nec aliter se L. Crassus in eodem iustitiæ experi-

mento gessit. Cn. Carbonis nomen infesto animo, vtpote inimicissimum sibi detulerat: sed tamen scrinium eius à seruo allatum ad se cõplura continẽs quibus facile opprimi posset, vt erat signatum cum seruo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc iustitiam credimus, cum inter accusatores quoq; & reos tantum virium obtinuisse videamus?

DE L. SYLLA.

Iam L. Sylla non se tam incolumem, quàm Sulpitium Rufum perditum voluit, tribunitio furore eius sine vllo fine vexatus. Cæterum cũ eum proscriptum, & in villa latentem à seruo proditum comperisset, manumissum parricidam, vt fides edicti sui extaret, præcipitari protinus e saxo Tarpeio cum illo scelere parto pileo iussit: victor alioqui insolens, hoc imperio iustissimus.

EXTERNA.

DE PITTACO MITYLENAEO.

Verum ne alienigenæ iustitiæ obliti videamur, Pittacus Mitylenæus, cuius aut meritis tantum ciues debuerũt, aut moribus crediderũt, vt suis suffragijs tyrannidẽ deferrẽt, tandiu illud imperiũ sustinuit, quandiu bellũ de Sygæo cũ Atheniẽsibus gerẽdũ fuit. Postquã autẽ pax victoria parta est, cõtinuo reclamãtibus Mitylenæis deposuit, ne dominꝰ ciuiũ vltra q̃ Reip. necessitas exegerat permaneret. Atq; etiã cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, auertit animum ab eo munere: deforme iudicãs virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere

DE ARISTIDE ATHENIENSI.

Alterius nunc mihi prudentia referēda est, vt alterius repræsentari iustitia possit. Cum saluberrimo consilio Themistocles migrare Atheniēses in classem coegisset, Xerxeq; rege, & copijs eius Græcia pulsis, ruinas patriæ in pristinum habitum reformaret, & opes clandestinis molitionibus ad principatum Græciæ capessendum nutriret: in concione dixit, habere se rem deliberatione sua prouisam, quam si fortuna ad effectum perduci passa esset, nihil maius aut potentius Athenienſi populo futurum: sed eam vulgari nō oportere. postulauitq; vt aliquis sibi, cui illam tacite exponeret, daretur. datus est Aristides. Is postquam cognouit eum classem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum subducta erat, velle incendere, vt ea consumpta, dominatio maris ipsis cederet, ꝓcessit ad ciues, & ipsis retulit Themistoclem vt vtile consilium, ita minime iustum animo voluere. euestigio vniuersa concio quod æquum nō videretur, nec expedire quidem proclamauit; ac protinus Themistoclem incepto iussit desistere.

DE ZALEVCO LOCRENSI.

Nihil illis etiam iustitiæ exēplis fortius. Zaleucus vrbe Locrensium à se saluberrimis atq; vtilissimis legibus munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroq; oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescētulo remitteret, aliquādiu repugnauit: ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde

filij oculo eruto, vsum vtriq; videndi reliquit. Ita debitũ supplicij modum legi reddidit: æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem & iustum legislatorẽ partitus.

DE CHARONDA THVRIO.

Sed aliquanto Charondæ Thurij præfractior & abscissior iustitia, ad vim & cruorem vsque seditiosas conciones ciuium pacauerat, lege cauendo, vt si quis eas cum ferro intrasset, cõtinuo interficeretur. interiecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio accinctus domum repetẽs, subito indicta cõcione, sicut erat in eam processit: ab eoq; qui proxime constiterat, solutæ à se legis suæ monitus, Idem ego illam, inquit, sanciam. ac protinus ferro quod habebat, districto incubuit. cumq; liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, nequa fraus iustitiæ fieret.

DE FIDE PVBLICA. Cap. VI.

HVius imagine ante oculos posita, venerabile Fidei numen dexteram suam certissimum salutis humanæ pignus ostentat, quam semper in nostra ciuitate viguisse & omnes gentes senserunt, & nos paucis exemplis recognoscamus.

DE SENATV PO. Q. RO.

Cum Ptolemęus Rex tutorem Populũ Ro. filio reliquisset, Senatus M. Aemilium Lepidũ Pont. Max. bis cos. ad pueri tutelam gerendam Alexandriã misit, amplissimiq; & integerrimi viri sanctitatem Reip. vsibus & sacris comparatam,

externæ procurationi vacare voluit, ne fides ciuitatis noſtræ fruſtra petita exiſtimaretur: cuius beneficio regia incunabula cõſeruata pariter ac decorata incertum Ptolemæum reddiderũt, patris ne fortuna magis, an tutoris maieſtate gloriari deberet.

DE CIVITATE ROMANA.

Speciosa quoq; illa Romana fides. Ingenti Pœnorum claſſe circa Siciliam deducta, duces eius fractis animis cõſilia petendæ pacis agitabãt. Quorum dux Amilcar ire ſe ad conſules negabat audere, ne eodem modo catenæ ſibi inijcerentur, quo ab ipſis Cornelio Aſinæ conſuli fuerãt iniectæ. Hanno autem certior Romani animi æſtimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorũ tetendit. apud quos cum de belli fine ageret, & Tribunus militum ei dixiſſet, poſſe illi merito euenire, quod Cornelio accidiſſet: vterq; cos. Tribuno tacere iuſſo, iſto te, inquit, metu Hanno fides ciuitatis noſtræ liberat. Claros illos fecerat tantum hoſtium ducem vincere potuiſſe, ſed multo clariores fecit noluiſſe.

DE EODEM SENATV.

Aduerſus eoſdẽ hoſtes parẽ fidẽ in iure legationis tuẽdo patres C. exhibuere. M. enim Aemilio Lepido, L. Flaminio cos. s. L. Minutiũ, & L. Maniliũ Carthaginẽſiũ legatis quia manus his ituleratꝫ, per Feciales reddẽdos curauerũt. Sed tunc Senatus nõ eos quibus hoc præſtabaꝫ, aſpexit.

DE SVPERIORE AFRICANO.

Huius exemplum ſuperior Africanus ſecutus, cũ

onustam multis & illustribus Carthaginiensiũ viris nauem in suam potestatẽ redegillet, inuiolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant: tametsi manifestũ erat illos vitãdi præsentis periculi gratia falsum legationis nomen amplecti, vt Romani imperatoris potius decepta fides, quàm frustra implorata iudicaretur.

DE SENATV PO. Q. RO.

Repręsentemus etiã illud senatus nullo modo prętermittendum opus. legatos ab vrbe Apollonia Romam missos Qu. Fabius, Cn. Apronius ædiles orta cõtentione pulsauerunt. quod vbi cõperit, cõtinuo eos per feciales legatis dedidit, quæstoremq; cum his Brundusiũ ire iussit, ne quã in itinere a cognatis deditorũ iniuriam acciperẽt. Illam curiam mortalium, quis concilium, ac nõ templum fidei dixerit? quã vt ciuitas nostra sem per benignam præstitit, ita etiam in sociorum quoq; animis constantem recognouit.

EXTERNA.

Post duorum in Hispania Scipionum, totidemq; Romani sanguinis exercituũ miserabilem stragem, Saguntini victricibus Hannibalis armis intra mœnia vrbis suæ compulsi, cum vim Punicam vlterius nequirent arcere, collatis in forum quæ vnicuique erant chariſſima, atque vndique circundatis accensisque ignis nutrimentis, ne a societate nostra deficerent, publico & communi rogo semetipsos superiecerunt. Crediderim tunc ipsam fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum, perseverantissimum sui cultum iniquæ fortunæ iudicio tã

acerbo exitu damnatum cernentem.

IDem præstando Petilini eundem laudis honorem meruerunt. Ab Hannibale, quia deficere a nostra amicitia noluerunt, obsessi, legatos ad Senatum auxilium implorantes miserunt, quibus propter recentem cladem Cannensem succurri non potuit. Cæterum permissum est eis vt facerent quod vtilissimum incolumitati eorum videretur. Liberum ergo erat Carthaginiensium gratiam amplecti. Illi tamen fœminis, omnique ætate imbelli verbe egesta, quò tutius armati famem traherent, pertinacissime in muris constiterunt, expirauitque prius eorum tota ciuitas, quàm vlla ex parte Romanæ societatis respectum deposuerit. Itaque Hannibali non Petiliam, sed fidum Petiliæ sepulchrum capere contigit.

DE FIDE VXORVM ERGA viros. Cap. VII.

ATq; vt vxoriam quoq; fidē attingamus, Tertia Aemilia Africani prioris vxor, mater Corneliæ matris C. & T. Graccho rum, tantæ fuit comitatis & patientiæ, vt cū sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis Africanum, fœmina magnum virum impatientiæ reū ageret: tantūq; mens eius a vindicta abfuit, vt post mortem Africani manumissam ancillulam in matrimonium liberto suo daret.

DE TVRIA VXORE QVINTI Lucretij.

QUintum Lucretium proscriptū a triūuiris vxor

Turia inter cameram & tectum cubiculi abditum, vna conscia ancillula, ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum præstitit, singularique fide id egit, vt cum cæteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per summos animi & corporis cruciatus vix euaderent, ille in cubiculo, & in coniugis sinu salutem retineret.

DE SVLPITIA VXORE LENTVLI.

Sulpitia autem cum a matre Iulia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Crustelionem virum suum proscriptum a triũuiris in Siciliam prosequeretur, nihilominus familiari veste sumpta, cum duabus ancillis, totidemq; seruis ad eũ clandestina fuga peruenit: nec recusauit seipsam proscribere, vt ei fides sua in coniuge proscripto cõstaret.

DE FIDE SERVORVM ERGA DOMINOS. Cap. VIII.

Restat vt seruorum etiam erga dominos, quo minus expectatam, hoc laudabiliorem fidem referamus.

DE QVODAM SERVO M. ANTONII.

Marcus Antonius auorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. cuius in iudicio accusatores seruum in quæstione perseuerantissime postulabãt, q; ab eo, cum ad stuprum iret, laternam prælatã contenderent. erat autem is etiam tum imberbis, & stabat coram, videbatq; rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille vero, vt domum ventũ est, Antoniũ hoc nomine vehementius cõfulsum

& ſolicitum vltro eſt hortatus, vt ſe iudicibus torquendum traderet, affirmans nullum ore ſuo verbum exiturum, quo cauſa eius læderetur. ac promiſſi fidem mira patientia præſtitit. plurimis enim laceratus verberibus, eculeoq; impoſitus, candentibus etiam laminis vſtus, omnem vim accuſatoris, cuſtodita rei ſalute, ſubuertit. Argui fortuna merito poteſt, quòd tam pium & tam fortem ſpiritum ſeruili nomine incluſit.

DE QVODAM SERVO CAII MARII.

Conſulem autem C. Marium Prænestinę obſidionis miſerabilem exitum ſortitum, cuniculi latebras fruſtra euadere conatum, leuique vulnere a Teleſino, cũ quo mori deſtinauerat, perſtrictũ, ſeruus ſuus vt Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio traiectum interemit, cum magna præmia ſibi propoſita videret, ſi eum victoribus tradidiſſet. Cuius dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus ſalus dominorum protecta eſt, quia eo tempore Mario non vita, ſed mors in beneficio repoſita erat.

DE PHILOCRATE, SEV Euporo ſeruo Gracchi.

Aeque illuſtre quod ſequitur. C. Gracchꝰ ne in poteſtatem inimicorum deueniret, Philocrati ſeruo ſuo ceruices incidendas præbuit: quas cum celeri ictu abſcidiſſet, gladium cruore domini madentem, per ſua egit præcordia. Euporũ alij hunc vocitatum exiſtimant: ego de nomine nihil diſputo: familiaris autem tantummodo fidei

robur admiror: cuius si præstantiam animi generosus iuuenis imitatus foret, suo non serui beneficio imminentia supplicia vitasset. nũc commisit vt Philocratis, quàm Gracchi cadauer, speciosius iaceret.

DE PINDARO SERVO CASSII.

Alia nobilitas, alius furor, sed fidei par exemplũ. Pindarus C. Cassium Philippensi prælio victũ, nuper ab eo manumissus, iussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit, seque è conspectu hominum voluntaria morte abstulit, ita vt ne corpus quidem eius absumpti inueniretur. Quis deorũ grauissimi sceleris vltor, illam dexteram quæ in necem patriæ parentis exarserat, tanto torpore alligauit, vt se tremebũdam Pindari genibus submitteret, ne publici parricidij quas merebatur pœnas, arbitrio pij victoris exolueret? Tu profecto, tu Diue Iuli cęlestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilij supplex fieri cogendo, eo animi æstu compulsum, vt neque retinere vitam vellet, neq; finire manu suam auderet.

DE SERVIS CN. PLOTINI Planci, & de ipso Caio.

Adiunxit se his cladibus Cn. Plotinus Plãcus Munatij Planci consularis & Cẽsorij frater: qui cũ a triumuiris proscriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore vnguẽti occultam salutis custodiam detexit. Istis enim vestigijs, eorũ qui miserum prosequebantur, sagax inducta cura, abditũ fugæ eius cubile odo-

rata est,a quibus cõprehensi serui latentes,multumque ac diu torti negabant se scire vbi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles,tamque boni exempli seruos vlterius cruciari,sed processit in medium,iugulumque gladijs militum obiecit.quod certamen mutuæ beneuolentiæ arduũ dignosci facit,vtrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur:an serui,qui tam iusta domini misericordia quæstionis sæuitia liberarentur.

DE QVODAM SERVO Panopionis.

Quid?vrbani Panopionis seruus, quàm admirabilis fidei?qui cum ad dominum proscriptum occidendum domesticorũ indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret,commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clàm emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit,& vt Panopionem occidi se passus est.Breuis huius facti narratio,sed non parua materia laudationis.Nam si quis ante oculos ponere velit subitum militũ accursum,conuulsa ianuæ clausstra,minacem vocem,truces vultus,fulgẽtia arma,rem vera æstimatione prosequetur:nec q̃ cito dicitur aliquem pro alio mori voluisse,tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur.Panopion autem quantum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo, confessus est. Contentus essem huius exemplis generis, nisi vnum me adijcere admiratio facti cogeret.

DE SERVO ANTII Reſtionis.

Antius Reſtio proſcriptus a Triumuiris,cũ omnes domeſticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quàm maxime poterat diſſimulata fuga,ſe penatibus ſuis intempeſta nocte ſubduxit.cuius furtiuum egreſſum,ſeruus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpiabiliq; literarum nota per ſummam oris contumeliam inuſtus, curioſis ſpeculatus oculis,atque veſtigia huc atq; illuc errantia beneuolo ſtudio ſubſecutus, lateri voluntarius comes arrepſit. Quo quidem tam exquiſito,tãq; ancipiti officio perfectiſſimũ inexpectatæ pietatis cumulũ expleuerat.his enim quorum felicior in domo ſtatus fuerat,lucro intentis,ipſe,cum nihil aliud quàm vmbra & imago ſuppliciorum ſuorum maximum ſibi eſſet emolumentum, eius a quo tam grauiter punitus erat,ſalutem vindicauit.cũq; abunde foret iram remittere,adiecit etiã charitatem: nec hactenus modo beneuolentia proceſſit,ſed in eo cõſeruando mira quoque arte vſus eſt.nam vt ſenſit cupidos ſanguinis milites ſuperuenire,amoto domino rogum extruxit,eique egentem a ſe comprehenſum & occiſum ſenem ſuperiecit. interrogãtibus deinde militibus vbinam eſſet Antius,manum rogo intendens,ibi illum datis ſibi crudelitatis piaculis vri reſpõdit.quiaveriſimilia loquebatur,habita eſt voci fides.quo euenit,vt Antius ſtatim quærẽdæ incolumitatis occaſionem aſſequeretur.

DE MVTATIONE MORVM, ET FORTVNAE.

Caput IX.

MVltum animis hominũ & fiduciæ adijcere, & ſolicitudinis detrahere poteſt, morũ ac fortunæ in claris viris recognita mutatio, ſiue noſtros ſtatus, ſiue proximorum ingenia contemplemur. Nam cum aliorum fortunas ſpectando, ex conditione abiecta atq; cõtempta claritatem emerſiſſe videamus, quid obſtat quin & ipſi meliora de nobis ſemper cogitemus, memores ſtultum eſſe, perpetuæ infelicitatis ſe damnare: ſpemq;, quæ etiam incerta ratione fouetur, interdum certam in deſperationẽ conuertere?

DE MANLIO TORQVATO FILIO Lucij Manlij Torquati.

Manlius autem Torquatus adeo hebetis atq; obtuſi cordis inter initia iuuentæ exiſtimatus, vt a patre Manlio ampliſſimo viro, quia & domeſticis & reipub. vſibus inutilis videbatur, rus relegatus agreſti opere fatigaretur, poſtmodũ patrem reum iudiciali periculo liberauit. filiũ victorem, quòd aduerſus imperium ſuum cum hoſte manum conſeruerat, ſecuri percuſſit. patriam Latino tumultu feſſam, ſpecioſiſſimo triumpho recreauit. In hoc credo fortunæ nubilo contemptu adoleſcentiæ perfuſum, quò ſenectutis eius decus lucidius eniteſceret.

DE SCIPIONE AFRICANO Superiore.

Scipio autem Africanus Superior, quem dij im-

mortales nasci voluerunt, vt esset in quo virtus se per omnes numeros omnibus efficaciter ostēderet, solutioris vitæ primos adolescētiæ annos egisse fertur, remotos quidē à luxuriæ crimine, sed tamen Punicis trophæis, deuictæ Carthaginis ceruicibus impositō iugo, teneriores.

DE CAIO VALERIO FLACCO.

C. quoq; Valerius Flaccus secundi Punici belli tēporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit, Cæterum à P. Licinio Pont. Max. flamen factus, quò facilius a vitijs recederet, ad curā sacrorum & ceremoniarum conuerso animo, vsus duce frugalitatis religione, quātum prius luxuriæ fuerat exemplū, tantum postea modestiæ & sanctitatis specimen euasit.

DE QVINTO FABIO MAXIMO.

Nihil Q. Fabio Maximo, qui gallica victoria cognomē Allobrogi sibimet ac posteris peperit, adolescente magis infame, nil eodem sene ornatius aut specioſius illo seculo nostra ciuitas habuit.

DE QVINTO CATVLO.

Quis ignorat Qu. Catuli authoritatē in maximo clarissimorum virorum prouentu excelsum gradum obtinuisse? cuius si superior ætas reuoluatur, multi luxus, multæ deliciæ reperientur: quæ quidem ei impedimento non fuerunt quò minus patriæ princeps existeret, nomenque eius in capitolino fastigio fulgeret, ac virtute ciuile bellum ingenti motu oriens sepeliret.

DE LVCIO SYLLA.

Lucius vero Sylla vsq; ad quæsturæ suæ comitia

vitam libidine, vino, ludicræ artis amore, perinquinatam perduxit. Quapropter C. Marium cos. moleste tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti, tam delicatus quæstor sorte obuenisset. eiusdem virtus quasi præruptis & disiectis nequitiæ qua obsidebatur claustris, catenas Iugurthæ manibus iniecit, Mithridatem cõpescuit, socialis belli luctus repressit, Cinnæ dominationẽ fregit, eumque in Africa qui se quæstorem fastidierat, ipsam illã prouinciam proscriptum & exulem petere coegit. quæ tam diuersa, tamq; inter se contraria siquis apud animum suum attentiore comparatione expẽdere velit, duos in vno homine Syllas fuisse crediderit. Turpem adolescentulum, & virum dicerem fortem, nisi ipse se Felicem appellari maluisset.

DE SVBLIMATIS A STATV HVMILI. Cap. x.

ATque vt nobilitatem beneficio pœnitẽtiæ se ipsam admonuimus respicere, ita altiora modo suo sperare ausos subtexamus.

DE TITO AVFIDIO.

TItus Aufidius cũ asiatici publicani exiguã admodũ particulã habuisset, postea totã Asiam proconsulari imperio obtinuit: nec indignati sunt socij eius parere fascibus, quẽ aliena tribunalia adulantem viderant. gessit se etiã integerrime, ac splendidissime: miroq; id modo demõstrauit, pristinũ quæstũ suę fortunæ, præsens vero digni-

tatis incremẽtũ moribus ſuis imputari debere.

DE P. RVTILIO.

At P. Rutilius nõ publicanũ in Sicilia egit, ſed operã publicanis dedit. idem vltimam inopiam ſuam authorato ſocijs officio ſuſtẽtauit. ab hoc poſtmodũ conſule leges vniuerſi Siculi acceperunt, acerbiſſimoq; prædonũ ac fugitiuorũ bello liberati ſunt. Portus ipſos, ſiquis modo mutis rebus ineſt ſenſus, tãtã in eodẽ homine varietatẽ ſtatus admiratos arbitror. Quem enim diurnas capturas exigentem animaduerterant, eundem iura dantem, claſſeſq; & exercitus regentem viderunt.

DE PVBLIO VENTIDIO.

Huic tanto incremẽto maius adijciam. Aſculo capto, Cn. Pompeij Magni pater P. Vẽtidiũ ætate puberẽ in triumpho ſuo populi oculis ſubiecit. Hic eſt Vẽtidius qui poſtea Romæ ex Parthis, & per Parthos de Craſſi manibus in hoſtili ſolo miſerabiliter iacentibus triumphũ duxit. Itaq; qui captiu⁹ carcerẽ exhorruerat, victor capitoliũ felicitate celebrauit. In eodẽ etiã illud eximiũ, q; eodẽ anno Prætor & Cõſul eſt fact⁹.

DE VARIETATE CASVVM. Cap. XI.

De L. Lentulo.

CAſuum nunc contemplemur varietatem. L. Lentulus conſularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppreſſus, Cẽſor cum L. Cenſorino creatus eſt: quem quidem fortuna inter ornamẽta & dedecora alterna vice verſauit, conſulatui illius damnationem, damnationi cenſuram ſubijciendo, & neque bonis eum

perpetuis frui, nec malis ęternis ingemiscere patiendo.

DE CNEO CORNELIO SCIPIONE ASINA.

EIsdem viribus vti voluit in Cn. Cornelio Scipione Asina, qui cos. à Pœnis apud Liparas captus, cum belli iure omnia perdidisset, lætiore subinde vultu eius adiutus, cuncta recuperauit, consul etiam iterum creatus. Quis crederet illum à duodecim securibus ad Carthaginiẽsium peruenire catenas? Quis rursus existimaret à Punicis vinculis ad summa imperij peruenturũ fastigia? sed tamen ex cõsule captiuus, & ex captiuo consul factus est.

DE CRASSO DICTO DIVITE.

Quid? Crasso nonne pecuniæ magnitudo locupletis nomẽ dedit? Sed eidẽ postea inopia turpẽ decoctoris superlationẽ iniũxit. Siquidẽ bona eius à creditoribus, quia solidũ præstare nõ poterat, venierũt. Itaq; amara suggillatione nõ caruit. cũ egẽs ãbularet, diues ab occurrẽtibus salutabat.

DE QVINTO CEPIONE.

CRassum casus acerbitate Qu. Cepio præcurrit. Is nanq; prętura splendore, triũphi claritate, cõsulatus decore, Maximi Pontificis sacerdotio, vt senatus patronus diceretur assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusq; eius funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemonijs iacens magno cum horrore totius fori Romani conspectum est.

DE CAIO MARIO CANDIDATO.

IAm C. Marius maximæ fortunę luctatio est. o-

mnes enim eius impetus,tã corporis quàm animi robore fortiſſime ſuſtinuit. Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quæſturam Romæ petere auſus eſt: patientia deinde repulſarum irrupit magis in curiã,quàm venit. In tribunatus quoque & ædilitatis petitione conſimilem campi notam expertus,prætura candidatus ſupremo loco inhæſit:quam tamen non ſine periculo obtinuit. Ambitus enim accuſatus, vix atque ægre abſolutionem a iudicibus impetrauit. Ex illo Mario tam humili Arpinate,tam ignobili Romæ tamque faſtidiendo candidato, ille Marius euaſit,qui Africam ſubegit,Iugurtham regem ante currum egit, qui Theutonicorum Cimbrorũque exercitus deleuit:cuius bina trophæa in vrbe ſpectantur: cuius ſeptem in faſtis conſulatus leguntur: cui poſt exilium Conſulem creari, proſcriptoque facere proſcriptionem contigit. Quid huius conditione inconſtãtius, aut mutabilius? Quem ſi inter miſeros poſueris,miſerrimus:ſi inter felices,feliciſſimus reperietur.

DE CAIO CAESARE.

Caius autem Cæſar, cuius virtutes aditum ſibi in cælum ſtruxerunt,inter primæ iuuẽtutis initia priuatus Aſiam petẽs,à maritimis prædonibus circa inſulã Pharmacuſam exceptus, quinquaginta ſe talẽtis redemit. Parua igit ſumma clariſſimũ mundi ſydus in piratico myoparone rependi fortuna voluit. Quid eſt ergo ꝙ amplius de ea re queramur,ſi ne conſortibus quidem diuinitatis ſuę parcit? Sed cæleſte numẽ ſe ab iniu-

ria vindicauit. Continuo enim captos prædones crucibus affixit. Attẽto ſtudio noſtra cõmemorauimus, remiſſiore nunc animo aliena narrent.

EXTERNA.

DE POLEMONE ATHENIENSI Philoſopho.

Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemon, neq; illecebris eius tantummodo, ſed etiam ipſa infamia gaudens, cũ e conuiuio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumq; rediens Xenocratis Philoſophi patentẽ ianuam vidiſſet, vino grauis, vnguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominũ ſcholam eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, vt clariſſimum eloquium, & prudẽtiſſima præcepta temulentiæ laſciuijs eleuaret. orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu cõtinuit: omiſſaq; re quam diſſerebat, de modeſtia ac tẽperantia loqui cœpit. Cuius grauitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemon, primũ coronã capite detractam proiecit, paulopoſt brachiũ intra pallium reduxit: procedente tempore, oris cõuiualis hilaritatem depoſuit: ad vltimum totam luxuriam exuit, vniuſq; orationis ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus philoſophus euaſit. Peregrinatus eſt huius animus in nequitia, non habitauit.

DE THEMISTOCLE.

Piget Themiſtoclis adoleſcentiam attingere, ſiue patrem aſpiciam abdicationis iniungentem no-

tam,siue matrem suspēdio finire vitam propter filij turpitudinem coactam:cum omnium postea Graij sanguinis virorū clarissimus extiterit, mediumq; Europæ & Asiæ vel spei vel desperationis pignus fuerit. Hæc enim salutis eū suæ patronū habuit, illa vadem victoriæ assumpsit.

DE CIMONE ATHENIENSI.

Cimonis vero incunabula opinione stultitiæ fuerunt referta.eiusdem stultitiæ imperia salutaria Athenienses senserunt. itaq; coegit eos stuporis semetipsos damnare, qui eum stolidum crediderant.

DE ALCIBIADE.

Nanq; Alcibiadē quasi duæ fortunæ partitæ sunt: Altera quę ei nobilitatem eximiam, abundātes diuitias,formam præstantissimam, fauorem ciuium propensum , summa imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantissimū ingeniū assignaret: Altera quæ damnationem,exilium,vēditionem bonorū,inopiam,odium patriæ, violētam mortē infligeret: nec aut hæc aut illa vniuersa, sed varia,perplexa, freto atq; æstui simillima.

DE POLYCRATE TYRANNO Samiorum.

Adinuidiā vsque Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit,nec sine causa.omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere. spes certum cupitæ rei fructum apprehēdebat. vota nuncupabantur simul & soluebantur.velle ac posse in æquo positum erat.semel dūtaxat vultum mutauit,perquā breuis tristitię salebra succussum,tūc

cum admodũ gratũ ſibi annulum de induſtria in profundum, ne omnis incommodi expers eſſet, abiecit: quem tamen continuo recuperauit, capto piſce qui eũ deuorauerat. ſed hũc, cuius felicitas ſemper plenis velis proſperũ curſum tenuit, Orontes Darij regis prẹfectus in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice cruci affixit: ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lẹuam cui Neptunus annulum piſcatoris manu reſtituerat, ſitu marcidã Samos amara ſeruitute aliquãdiu preſſa, liberis ac lætis oculis aſpexit.

DE DIONYSIO TYRANNO.

Dionyſius autem cum hæreditatis nomine à patre Syracuſanorum ac pene totius Siciliæ tyrãnidem accepiſſet, maximarum opum dominus, exercituũ dux, rector claſſium, equitatu potens, propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit: eodẽq; tempore tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magiſter ludi factus ex tyranno, monuit.

DE SIPHACE REGE.

Sequitur hunc Siphax Rex conſimilem fortunæ iniquitatem expertus, quem amicũ hinc Roma per Scipionẽ, illinc Carthago per Haſdrubalem vltro petitũ ad penates deos eius venerat. Cæterũ eo claritatis euectus, vt validiſſimorũ populorum non tantum arbiter, ſed & victor victoriæ exiſteret, parui temporis interiecta mora catenatus a Lælio legato ad Scipionem imperatorem pertractus eſt: cuiuſque dexteram re-

gio insidens solio arrogãti manu attigerat, eius
» genibus supplex procubuit. Caduca nimirum &
» fragilia, puerilibusque consentanea crepundijs
» sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocan-
» tur. affluunt subito, repente dilabuntur. nullo
» in loco, nulla in persona stabilibus nixa radici-
» bus cõsistunt, sed incertissimo flatu fortunæ huc
» atque illuc acta, quos in sublime extulerũt, im-
» prouiso recursu destitutos, in profundo cladium
» miserabiliter immergunt. itaq; neq; debent exi-
» stimari neq; dici bona, quæ inflictorum malorũ
» amaritudinem desiderio sui duplicant.

VALERII MAXIMI LIB. SEPTIMVS. DE FELICITATE.

Caput I.

VOlubilis fortunæ complura exempla retulimus, constantis & propitiæ admodũ pauca narrari possunt: quo patet eam aduersas res cupido animo infligere, secundas parco tribuere. eadẽ vbi malignitatis obliuisci sibi imperauit, non solum plurima ac maxima, sed etiam perpetua bona congerit.

DE Q. METELLO.

VIdeamus ergo quot gradibus beneficiorũ Qu. Metellũ a primo originis die ad vltimum vsq; fati tempus nũquam cessante indulgentia ad summum beatæ vitæ cumulũ perduxerit. Nasci enim in vrbe terrarum princi

pe voluit. parentes ei nobiliſſimos dedit. adiecit animi rariſſimas dotes, & corporis vires, vt ſufficere laboribus poſſet. vxorem pudicitia & fœcunditate conſpicuam conciliauit. Conſulatus decus, imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſſimi triumphi prætextam largita eſt. fecit vt eodem tempore tres filios conſulares, vnum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium videret: vt tres filias nuptui daret, earumque ſobolem ſinu ſuo exciperet. tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis ſumma abundantia: cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla cauſa triſtitiæ. Cælum contemplare, vix tamen ibi talem ſtatum reperies: quoniam quidem luctus & dolores deorum quoque pectoribus a maximis vatibus aſſignari videmus. hunc autem vitæ actum eius conſentaneus finis excepit. Nam Qu. Metellum vltimæ ſenectutis ſpatio defunctum, lenique genere mortis inter oſcula complexuſque chariſſimorum pignorum extinctum, filij & generi humeris ſuis per vrbem latum rogo impoſuerunt.

DE GYGE.

Clara hæc felicitas, obſcurior illa, ſed diuino ſplẽdore præpoſita. Cum enim Gyges regno Lydię armis & diuitijs abundantiſſimo, inflatus animo Apollinem Pythium ſciſcitatum veniſſet an aliquis mortaliũ ſe eſſet felicior, deus ex abdito ſacrarij ſpecu voce miſſa, Aglaum Pſophidium ei prætulit. Is erat Arcadũ pauperrimus, ſed æta-

te iam ſenior. terminos agelli ſui nunquã exceſſerat, paruuli ruris fructibus ac voluptatibus cõtentus. Verum profecto beatæ vitæ finem Apollo, nõ adumbratum, oraculi ſagacitate complexus eſt. Quocirca inſolẽter fulgore fortunæ ſuæ gloriãti reſpondit, magis ſe probare ſecuritate ridens tugurium, q̃ triſtem curis & ſolicitudinibus aulam: paucaſq; glebas pauoris expertes, q̃ pinguiſſima Lydiæ arua metu referta: & vnum aut alterum iugum boum facilis tutelæ, q̃ exercitus & arma, & equitatum voracibus impenſis oneroſum: & vſus neceſſarij horreolum nulli nimis appetendum, q̃ theſauros omnium inſidijs & cupiditatibus expoſitos. Ita Gyges dum adſtipulatorem vanæ opinionis deum habere cõcupiſcit, vbinam ſolida & ſyncera eſſet felicitas didicit.

SAPIENTER DICTA AVT facta. Cap. II.

NVnc id genus felicitatis explicabo, quod totũ in habitu animi eſt, nec votis petitur, ſed in pectoribus ſapientia prædit is natum, dictis factiſq; prudentibus eniteſcit.

DE APPIO CLAVDIO.

Appium Claudium crebro ſolitum dicere accepimus, Negotiũ populo Romano melius q̃ otium committi: non quòd ignoraret quàm iucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quòd animaduerteret præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutẽ capeſſendã excitari, nimia quiete in deſidiam reſolui. Et ſanè negotiũ nomine horridũ,

ciuitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit, blãdę appellationis quies plurimis vitijs reſperſit.

DE SCIPIONE AFRICANO.

Scipio vero Africanus turpe eſſe aiebat in re militari dicere, Non putaram. videlicet quia explorato & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur. ſumma ratione. Inemendabilis enim eſt error qui violentia Martis committitur. Idem negabat aliter cum hoſte confligi debere, quàm ſi aut occaſio obueniſſet, aut neceſſitas incidiſſet. æque prudenter. Nam & proſperã gerẽdæ rei facultatem omittere, maxima dementia eſt: & in anguſtias vtiq; pugnandi compulſum abſtinere ſe prælio, peſtiferæ ignauiæ affert exitium: eorumque qui iſta committũt, alter beneficio fortunæ vti, alter iniuriæ neſcit reſiſtere.

DE Q. METELLO.

Quinti quoq; Metelli cum grauis, tum etiam alta in ſenatu ſentẽtia, qui deuicta Carthagine, neſcire ſe, illa victoria boni ne plus an mali reipu. attuliſſet, aſſeuerauit: quoniam vt pacem reſtituẽdo profuiſſet, ita Hannibalem ſubmouendo nõnihil nocuiſſet. eius enim tranſitu in Italiã, dormientem Pop. Romani virtutem excitatã: metuiq; debere, ne acri æmulo liberata, in eundem ſomnum reuolueretur. In æquo igitur malorum poſuit, vri tecta, vaſtari agros, exhauriri ærariũ, & priſci roboris hebetari neruos.

DE LICINIO FIMBRIA Consulari.

Quid illud factũ Licinij Fimbriæ cõsularis, quàm sapiens? A M. Luctatio Pinthia splẽdido equite Ro. iudex aditus de sponsione quam is cum aduersario quòd vir bonus esset fecerat, nunquã id iudicium pronũciatione sua finire voluit, ne aut probatum virum, si contra eum iudicasset, fama spoliaret: aut iuraret eum virum bonum esse, cũ ea res innumerabilibus laudibus contineatur. Forensibus hæc, illa militaribus stipẽdijs prudentia exhibita est.

DE PAPYRIO CVRSORE CONSVLE.

Papyrius Cursor Cõsul cũ Aquiloniã oppugnans prælium vellet committere, Pullariusq; nõ prosperantibus auibus optimum ei auspicium renũciasset, de fallacia illius factus certior, sibi quidẽ & exercitui bonum omen datũ credidit, ac pugnam inijt: cæterum mendacem ante ipsam aciẽ constituit, vt haberent dij cuius capite siquid iræ conceperant, expiarent. Directum est autem siue casu, siue cælestis numinis prouidẽtia, quod primum e contraria parte missum erat telum, in ipsum Pullarij pectus, eumque exanimem prostrauit. Id vt cognouit Consul, fidente animo & inuasit Aquiloniam, & cepit. Tã cito animaduertit quo pacto iniuria imperatoris vindicari deberet, quemadmodum violata religio expianda foret, qua ratione victoria apprehendi posset. Egit virum seuerũ, consulem religiosum, imperatorem strenuũ, timoris modum, pœnæ genus,

ſpei viam, vno mentis impetu rapiendo. Nũc ad Senatus acta tranſgrediar.

DE SENATV.

Cum aduerſus Aſdrubalem ſenatus Claudium Neronem & L. Salinatorem cõſules mitteret, eoſq; vt virtutibus pares, ita inimicitijs acerrime inter ſe diſſidẽtes videret, ſummo ſtudio in gratiã reduxit: ne propter priuatas diſſenſiones rempu. parum vtiliter adminiſtrarẽt, quia conſimili imperio vbi concordia nõ ineſt, maior aliena opera interpellandi, quàm ſua edendi cupiditas naſcitur. vbi vero pertinax intercedit odium, alter alteri quã vterq; cõtrarijs caſtris certior hoſtis proficiſcitur. Eoſdem ſenatus, cũ ob nimis aſpere actam cẽſuram a Cn. Bebio Tri. Ple. pro Roſtris agerentur rei, cauſæ dictione decreto ſuo liberauit, vacuum omnis iudicij metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, nõ reddere. Par illa ſapiẽtia ſenatus. Tiberiũ Gracchum Tri. ple. agrariam legem promulgare auſum, morte multauit. Idem vt ſecundum legem eius per triumuiros ager populo viritim diuideretur, egregie cenſuit. Siquidem grauiſſimę ſeditionis eodem tẽpore & authorẽ & cauſam ſuſtulit. Quàm deinde ſe prudẽter in rege Maſiniſſa geſſit? Nam cum promptiſſima & fideliſſima eius opera aduerſus Carthaginienſes vſus eſſet, eumq; in dilatãdo regno auidiorem cerneret, legem ferri iuſſit, qua Maſiniſſæ ab imperio Pop. Romani ſolutam libertatẽ tribueret. quo facto tum optime meriti beneuolentiam retinuit, tum

Mauritaniæ & Numidiæ, cęterarumq; illius tractus gentium nunquam fida pace quieſcētem feritatem à valuis ſuis repulit. Tempus deficiet domeſtica narrātem, quoniam imperium noſtrum non tam robore corporum, quàm animorum vigore incrementū ac tutelam ſui cōprehendit. Maiori itaq; ex parte Romana prudentia in admiratione tacita reponatur, alienigeniſque huius generis exemplis detur aditus.

EXTERNA.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socrates humanę ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculū, nihil vltra petendum a Dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia ij demum ſcirent quid vnicuiq; eſſet vtile, nos autem plerunque id votis expetere, quod nō impetraſſe melius foret. Etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quàm late patentem errorem cæcas precationes tuas ſpargis? diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt. honores concupiſcis, qui cōplures peſſundederunt. regna tecum ipſa voluis, quorum exitus ſæpenumero miſerabiles cernuntur. ſplendidis cōiugijs injicis manus, at hæc vt aliquando illuſtrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Deſine igitur ſtulta futuris malorum tuorū cauſis quaſi feliciſſimis rebus inhiare, teq; totum cæleſtium arbitrio permitte, quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt. Idē expedita & cōpendiaria via eos ad gloriā peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellēt,

tales etiam essent. qua quidē prædicatione aperte monebat, vt homines ipsam potius virtutem haurirent, q̄ vmbram eius consectarentur. Idem ab adolescentulo quodam consultus vtrum vxorem duceret, an se omnino matrimonio abstineret, respondit, vtrū horum feciſſet, acturum pœnitentiam. hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua solicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum eucntus. Nō passus est iuuenem in contextu rerum asperarum quasi lætæ materiæ facere delectum. Idem cum Atheniēsium scelerata dementia tristē de capite eius sententiam tuliſſet, fortique animo & constanti vultu potionem veneni e manu carnificis accepiſſet, admoto iam labris poculo, vxori Xanthippe inter fletum & lamentationem vociferāti innocentem eum perimi: quid ergo? inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? O immēsam illā sapientiam, quæ ne in ipso quidem vitæ excessu obliuiſci sui potuit.

DE SOLONE.

Age q̄ prudenter Solon neminē dum adhuc viueret, beatum dici debere arbitrabatur, quòd ad vltimum vsque fati diem ancipiti fortunæ subiecti essem⁹. Felicitatis igitur humanæ appellationē rogus consummat, qui se incursu malorū obiicit. Idem cum ex amicis quendā grauiter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque

est,vt per omnes subiectorum ædificiorum partes oculos circunferret. quod vt factum animaduertit,cogita nunc tecum,inquit,q̃ multi luctus sub his tectis & olim fuerint,hodieq; versentur, insequentibusque seculis sint habituri, ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua cõsolatione demonstrauit vrbes esse humanarum cladium consepta miserãda. Idem aiebat, si in vnum locum cuncti mala sua contulissent, futurum vt propria deportare domum, q̃ ex omni miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent. quo colligebat non oportere nos,quę fortuito patiamur,pręcipuę & intolerabilis amaritudinis iudicare.

DE BIA PRIENENSI.

Bias autem cum patriam eius Prienem hostes inuasissent,omnibus quos modo sæuitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarũ rerũ ponderе onustis fugiẽtibus, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secũ ferret: Ego(inquit)vero bona mea mecũ porto. Pectore enim illa gestabat, nõ humeris: non oculis visenda,sed æstimanda animo:quæ domicilio mentis inclusa, nec mortaliũ nec deorũ manibus labefactari queunt: & vt manentibus præsto sunt,ita fugientes non deserunt.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Iam Platonis verbis adstricta,sed sensu pręualens sententią,qui tum demũ beatũ terrarum orbem futurũ prædicauit,cum aut sapiẽtes regnare,aut reges sapere cœpissent.

DE QVODAM REGE.

Rex etiã ille subtilis iudicij, quẽ ferũt traditum si-

bi diadema prius quàm capiti imponeret, retentum diu consideraſſe, ac dixiſſe: O nobilẽ magis q̃ felicem pannum: quem ſiquis penitus cognoſcat quàm multis ſolicitudinibus & periculis & miſerijs ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet.

DE XENOCRATE PHILOSOPHO.

QUid Xenocratis reſponſum, quàm laudabile? cum maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, vno ex his quęrente cur ſolus linguam ſuam cohiberet, quia dixiſſe me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

DE ARISTOPHANE.

Ariſtrophanis quoq; altioris eſt prudentiæ pręceptum, qui in comœdia introduxit remiſſum ab inferis Athenienſem Periclem, vaticinantẽ non oportere in vrbe nutriri leonẽ: ſin autem ſit alitus, obſequi ei conuenire. Monet enim, vt præcipuæ nobilitatis & concitati ingenij iuuenes refrenentur: nimio vero fauore ac profuſa indulgẽtia paſti, quo minus potentiam obtineãt, ne impediantur: quòd ſtultum & inutile ſit eas obtrectare vires, quas ipſe foueris.

DE THALETE PHILOSOPHO.

MIrifice etiam Thales. nam interrogatus an facta hominum deos fallerent: nec cogitata, inquit, vt non ſolum manus, ſed etiam mentes puras habere vellemus, cum ſecretis cogitationibus noſtris cæleſte numen adeſſe credidiſſemus.

DE THEMISTOCLE.

ACne quod ſequitur quidẽ, minus ſapiens. vnicæ

filię pater Themiſtoclem cõſulebat, vtrum eam pauperi, ſed ornato: an locupleti, ſed parum probato collocaret. cui is, malo, inquit, virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem. quo dicto ſtultum monuit, vt generum potius quàm diuitias generi legeret.

DE REGE PHILIPPO PAtre Alexandri.

Age, Philippi q̃ probabilis epiſtola, in qua Alexãdrum quorundam Macedonum beneuolentiam largitione ad ſe attrahere conatum ſic increpuit. Quæ te fili ratio in hanc tam vanam ſpem induxit, vt eos fideles tibi futuros exiſtimares, quos pecunia ad amorem tui compuliſſes? à charitate iſtud præſtatur. At vero auus Philippus maiore ex parte mercator Græciæ, quàm victor.

DE ARISTOTELE PHILOSOPHO.

Ariſtoteles autem Caliſthenem auditorem ſuum ad Alexandrum mittens, monuit, vt cum eo aut q̃ rariſſime, aut q̃ iucundiſſime loqueretur: quo ſcilicet apud regias aures vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior. At ille dum Alexandrũ Macedonem perſica ſalutatione gaudentem obiurgat, & ad Macedonicos mores inuitum reuocare beneuole perſeuerat, ſpiritu carere iuſſus, ſeram neglecti ſalubris conſilij pœnitentiam egit.

Idẽ Ariſtoteles de ſemetipſo in neutram partem loqui debere prædicabat: quoniam laudare ſe, vani: vituperare, ſtulti eſſet. Eiuſdem eſt vtiliſſimum præceptum, vt voluptates abeuntes cõſideremus: quas quidem ſic oſtendendo minuit. feſſas enim, pœnitentiæque plenas animis no-

ſtris ſubiecit, quo minus cupide repetantur.

DE ANAXAGORA PHILOSOPHO.

Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam quiſnam eſſet beatus, nemo, inquit, ex ijs quos tu felices exiſtimas, ſed eũ in eo numero reperies, qui à te ex miſeris cõſtare creditur. » non erit ille diuitijs & honoribus abundans, ſed » aut exigui ruris, aut non ambitioſæ doctrinæ fi» delis ac pertinax cultor: in ſeceſſu, quàm in frõ» te beatior.

DE DEMADE.

Demadis quoq; dictum ſapiens. Nolentibus enim Athenienſibus diuinos honores Alexandro decernere, Videte (inquit) ne dum cælum cuſtoditis, terram amittatis.

DE ANACHARSI.

Quàm porro ſubtiliter Anacharſis leges aranearũ telis cõparabat? Nam vt illis infirmiora animalia retineri, valentiora tranſmitti: ita his humiles & pauperes conſtringi, diuites & præpotentes non alligari.

DE AGESILAO.

Nihil etiam Ageſilai facto ſapientius: ſiquidem cũ aduerſus Rempu. Lacedæmoniorum conſpirationem ortam noctu comperiſſet, leges Lycurgi continuo abrogauit, quæ de indemnatis ſupplicium ſumi vetabant. comprehenſis autem & interfectis ſontibus, eaſdẽ eueſtigio reſtituit: atque vtrunq; ſimul prouidit, ne ſalutaris animaduerſio vel iniuſta eſſet, vel iure impediretur. Itaque vt ſemper eſſe poſſent, aliquando non fuerunt.

DE HANNONE.

Sed nescio an Hannonis excellentissimæ prudentiæ consilium. Magone enim Cannensis pugnæ exitum senatui Pœnorum nunciante, inq; tanti successus fidem annulos aureos triũ modiorum mensurã explentes fundente, qui interfectis nostris ciuibus detracti erant, quæsiuit an aliquis sociorum post tantam cladem à Romanis defecisset. atq; vt audiuit neminem ad Hannibalem transisse, suasit vt protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur: cuius si sententia valuisset, neq; secundo Punico bello deuicta Carthago, neq; tertio deleta foret.

DE HERENNIO PONTIO SAMNITE.

Ne Samnites quidem paruas pœnas consimilis erroris pependerunt, q̃ Herennij Pontij salutare consilium neglexerunt, qui authoritate & prudẽtia cæteros præstans, ab exercitu & duce eius filio suo consultus quidnã fieri de legionibus Romanis apud Furcas Claudinas inclusis deberet, inuiolatas dimittendas respondit. postero die eadẽ de re interrogatus, deleri eas oportere dixit: vt aut maximo beneficio gratia hostium emeretur, aut grauissima iactura vires confringerẽtur. sed improuida temeritas victorum, dum vtranq; partem spernit vtilitatis, sub iugũ missas in perniciem suam accendit. Multis & magnis sapientiæ exemplis paruulum adijciam.

DE CRETENSIBVS.

Cretẽses cũ acerbissima execratione aduersus eos quos vehementer oderũt, vti volunt, vt mala cõ-

ſuetudine delectẽtur optant: modeſtoq; voti genere, efficaciſſimum vltionis euentũ reperiũt. Inutiliter enim aliquid concupiſcere, & in eo perſeueranter morari, exitio ea dulcedo vicina eſt.

VAFRE DICTA, AVT FACTA. Cap. III.

ESt aliud factorũ dictorumq; genus a ſapientia proximo deflexu ad Vafri nomen progreſſum: quod niſi fallacia vires aſſumpſerit, fidem propoſiti nõ inuenit: laudemq; occulto magis tramite, q̃ aperta via petit.

DE QVODAM ANTISTITE Romano.

SEruio Tullo regnãte, cuidã patrifamilias in agro ſabino prẽcipuę magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata eſt: quam oraculorũ certiſſimi authores in hoc a Dijs immortalibus editam reſponderunt, vt quiſquis eam Athenienſi Dianæ immolaſſet, eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret. lætus eo dominus, bouem cum ſumma feſtinatione Romam actam, mactandam in Auentino ante aram Dianæ conſtituit, ſacrificio Sabinis regimẽ humani generis daturus. de qua re Antiſtes templi certior factus, religionem hoſpiti intulit, ne prius victimam cẽderet, quàm proxima ſe aqua abluiſſet. eoque alueum Tyberis petente, vaccam ipſe immolauit, & vrbem noſtram tot ciuitatum, tot gentium dominam, pio ſacrificij furto reddidit.

DE IVNIO BRVTO.

QUo in genere acuminis in primis Iunius Brutus

referẽdus. Nam cum a Rege Tarquinio auuncu lo ſuo omnem nobilitatis indolem excerpi, in- terque cæteros etiam fratrem ſuum, quòd vege- tioris ingenij erat, interfectũ animaduerteret: ob tuſi ſe cordis eſſe ſimulauit, eaque fallacia maxi- mas virtutes ſuas texit. profectus etiam Delphos cum Tarquinij filijs, quos is ad Apollinẽ Pythiũ muneribus ſacrificijſque honorandum miſerat, aurum deo nomine doni clam cauato baculo in- cluſum tulit: quia timebat ne ſibi cæleſte numen aperta liberalitate venerari tutum non eſſet. per- actis deinde mandatis patris, Apollinem iuue- nes conſuluerũt, quiſnam ex ipſis Romę regna- turus videretur. At is penes eum ſummam vrbis noſtrę poteſtatem futuram reſpondit, qui ante o- mnes matri oſculum dediſſet. Tunc Brutus per- inde atque caſu prolapſus, de induſtria ſe abiecit, terramque, communem omnium matrem exiſti mans, oſculatus eſt. quod tam vafre telluri im- preſſum oſculum, vrbi libertatem, Bruto primũ in faſtis locum tribuit.

DE SCIPIONE SVPERIORE.

Scipio quoque ſuperior pręſidium calliditatis am- plexus eſt. Ex Sicilia enim petẽs Africã, cum ex fortiſſimis peditibus Romanis trecentorũ equi- tum numerum implere vellet, neq; tã ſubito poſ ſet eos inſtruere: quod temporis anguſtiæ nega- bant, ſagacitate conſilij aſſecutus eſt. nãq; ex ijs iuuenibus quos ſecum ex tota Sicilia nobiliſſi- mos & ditiſſimos, ſed inermes habebat, ad ſe vocatos trecentos ſpecioſa arma & electos equos q̃ celerrime expedire iuſſit, velut eos cõtinuo ſe-

cum ad oppugnandam Carthaginem aduectu-rus. qui cũ imperio vt celeriter, ita longinqui & periculosi belli respectu solicitis animis paruis-sent, remittere sese Scipio illam expeditionẽ, si arma & equos militibus suis tradere voluissent, edixit. rapuit conditionem imbellis ac timida iu uentus, instrumentoque suo cupide nostris cessit. Ergo calliditas ducis prouidit, vt quod proti-nus imperaretur, graue prius, deinde remisso mi litię metu maximũ beneficium fieret. Quod se-quitur, narrandum quoque est.

DE Q. FABIO LABEONE.

Quintus Fabius Labeo arbiter a senatu finiũ con-stituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, cum in rem præsentem veniisset, vtrosque seperatim monuit, vtomissa cupiditate, regre-di controuersia, quàm progredi mallent. Idque cum vtraque pars authoritate viri mota feciisset, aliquantum vacui in medio agri relictum est. cõ stitutis deinde finibus vt ipsi terminauerãt, quic quid reliqui soli fuit, populo Romano adiudica-uit. Cæterum & sic circunuenti Nolani ac Nea-politani queri nihil potuerunt, secundum ipsorũ demonstrationẽ dicta sententia. Improbo tamen præstigiorum genere nouum ciuitati nostræ ve-ctigal accessit. Eundem ferunt, cum a rege An-tiocho, quem bello superauerat, ex fœdere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, me-dias omnes secuisse, vt eum tota classe priuaret.

DE MARCO ANTONIO.

Nam Marco Antonio remittendũ conuitium est:

qui idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, vt si quid superiore iudicio actum, ei quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum a se affirmare posset. qui facti vix prudentis tolerabilem causam habuit. Pro periclitantiũ enim capite non solum eloquentia sua vti, sed etiam verecundia abuti erat paratus.

DE SERTORIO.

Sertorius vero corporis robore, atque animi cõsilio parem naturæ indulgentiam expertus, proscriptione Syllana dux Lusitanorũ fieri coactus, cum eos oratione flectere non posset ne cũ Romanis vniuersa acie confligere vellent: vafro cõsilio ad suam sententiam perduxit. duos enim in conspectu eorum constituit equos, alterum validissimum, alterum infirmissimum: ac deinde validi caudã ab imbecillo sene paulatim carpi, infirmi a iuuene eximiarũ virium vniuersam conuelli iussit. obtemperatum imperio est. Sed dum adolescentis dextra irrito se labore fatigat, senio confecta manus ministeriũ executa est. tũc barbarę concioni quorsum ea res tẽderet cognoscere cupienti, subiecit, equi caudæ consimilem esse nostrum exercitum, cuius partes aliquis aggrediens opprimere possit: vniuersum conatus prosternere, celerius tradiderit victoriã, q̃ occupauerit. Ita gens barbara & aspera, & regi difficilis, in exitium suum ruens, quam vtilitatem auribus respuerat, oculis peruidit.

DE FABIO MAXIMO.

Fabius autem Maximus, cuius non dimicare, vin

cere fuit, cum præcipuæ fortitudinis Nolanũ peditem dubia fide ſuſpectũ, & ſtrenuæ operæ Lucanum equitem amore ſcorti deperditum in caſtris haberet, vt vtroq; potius bono milite vteretur, quàm in vtrũq; animaduerteret, alteri ſuſpicionem ſuam diſſimulauit, in alterũ diſciplinam paululum a recto tenore deflexit. nãq; illũ plene pro tribunali laudando, omniq; genere honoris proſequendo, animum ſuum a Pœnis ad Romanos coegit reuocare: & hunc clam meretricem redimere paſſus, paratiſſimũ pro nobis excurſorem reddidit.

DE M. VOLVSIO AEDILE.

Veniam nunc ad eos, quibus ſalus aſtutia quæſita eſt. M. Voluſius ædilis plebis proſcriptus, aſſumpto Iſiaci habitu, per itinera viaſq; publicas ſtipem petens, quiſnam reuera eſſet, occurrentes dignoſcere paſſus non eſt: eoq; fallaciæ genere tectus, in M. Bruti caſtra peruenit. Quid illa neceſſitate miſerius, quæ magiſtratum po. Ro. abiecto honoris prætextu, alienigenæ religionis obſcuratum inſignibus per vrbem iuſſit incedere? Omnes autem hi ſuæ vitę, aut illi alienę mortis cupidi, qui talia vel ipſi ſuſtinuerunt, vel alios perpeti coegerunt.

DE SATVRNINO VETVLIONE.

Aliquanto ſpecioſius ſentẽtijs Saturnini Vetulionis in eodem genere caſus vltimæ ſortis auxiliũ: qui cum a triumuiris inter proſcriptos nomen ſuum propoſitum audiſſet, cõtinuo præturæ inſignia inuaſit: præcedentibuſq; in modum lictorũ & apparitorum publicorũ ſeruis ſubornatis,

vehicula comprehendit, hoſpitia occupauit, obuios ſummouit, ac tam audaci vſurpatione imperij, in maxima luce denſiſſimas hoſtilibus oculis tenebras offudit. Idem vt Puteolos venit, perinde vt publicum miniſterium agens, ſumma cum licentia correptis nauibus in Siciliam certiſſimum tunc proſcriptorum profugium penetrauit. His vno adiecto leuioris notæ exemplo, ad externa reuertar.

EXTERNA.

DE AMORE CVIVSDAM patris in filium.

Amantiſſimus quidam filij, cum eum inconceſſis ac periculoſis facibus accẽſum, ab inſana cupiditate pater inhibere vellet, ſalubri conſilio patriã indulgentiã tẽperauit. petijt enim vt prius q̃ ad eam quam diligebat iret, vulgari ac permiſſa venere vteretur: cuius precib⁹ obſecutus adoleſcẽs, infelicis animi impetum ſatietate licentis cõcubitus reſolutum, ad id quod nõ licebat, tardiorẽ pigrioremq; afferens, paulatim depoſuit.

DE QVODAM ASINARIO.

Cum Alexander Macedonũ rex ſorte monitus, vt eũ qui ſibi porta egreſſo primus occurriſſet, interfici iuberet, Aſinarium forte ſibi obuiam factum ad mortem arripi imperauit: eoq; quærente quidnam ſe immerẽtem capitali ſupplicio innocentẽq; addiceret, cũ ad excuſandũ factũ ſuũ oraculi præceptum retuliſſet, Aſinarius, ſi ita eſt, inquit, rex, alium ſors huic morti deſtinauit. Nã aſellus quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. Delectat⁹ Alexãder & illius tam callido

dicto,& quòd ab errore ipſe reuocatus erat,occaſionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit.ſumma in hoc cũ callidita-te manſuetudo,ſumma quoq; in alterius regis equiſone calliditas.

DE DARIO REGE.

SOrdida Magorum dominatione Perſide oppreſſa,Darius Rex adiutoribus eiuſdem dignitatis aſſumptis,pactum cum præclari operis conſortibus fecit,vt equis inſidentes, Solis ortu curſum in quendam locum dirigerent,iſque regno potiretur, cuius equus in eo primus hinniſſet. cæterum maximę mercedis competitoribus fortunæ beneficium expectantibus, ſolus acumine equiſonis ſui Ebaris proſperum exoptatæ rei effectum aſſecutus eſt:qui in equæ genitalem partem demiſſam manum,cum ad eum locum ventum eſſet,naribus equi admouit.quo odore iritatus ante omnes hinnitum edidit:auditoq; eo, ſex reliqui ſummæ poteſtatis continuo equis delapſi,candidati(vt eſt mos Perſarum)humi proſtratis corporibus Darium regem ſalutauerunt. Quantum imperium quàm paruo interceptum eſt vaframento?

DE BIA PRIENENSI.

BIas autem, cuius ſapientia diuturnior inter homines eſt, quàm patria Priene fuit(ſiquidem hic etiam nunc ſpirat,illius perinde atq; extinctæ veſtigia tantũmodo extant)ita aiebat oportere homines in vſu amicitiæ verſari,vt meminiſſent eam ad grauiſſimas inimicitias poſſe cõuerti. quod quidem præceptum prima ſpecie

nimis, fortasse callidum videatur, inimicũq; simplicitati, qua prȩcipue familiaritas gaudet. sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, per quam vtile reperietur.

DE ANAXIMENE PRAECEptore Alexandri.

Lampsacenæ vero vrbis salus, vnius vaframẽti beneficio constitit. nam cũ ad excidium eius summo studio Alexander ferretur, progressumq; extra mœnia Anaximenem præceptorẽ suum vidisset, quia manifestum erat futurum vt preces suas iræ eius opponeret, non facturum se quod petisset iurauit. tunc Anaximenes, peto, inquit, vt Lampsacum diruas. hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytũ, exitio cui destinatum erat subtraxit.

DE DEMOSTHENE.

Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat ea conditione, vt illam simul vtrisque redderet. quorum alter interiecto tempore tanquam mortuo socio squalore obsitus deceptæ omnes nummos abstulit: superuenit deinde alter, & depositum petere cœpit. hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria: iamque de laqueo & suspendio cogitabat: sed opportune Demosthenes ei patronus affuit: qui vt in aduocationem venit, mulier, inquit, parata est depositi fidem soluere: sed nisi socium adduxeris, id facere non potest, quoniam, vt ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri

sine altero numeretur.

DE QVODAM VIRO Athenienſi.

Ac ne illud quidem parum prudenter. Quidam Athenis vniuerſo populo inuiſus, cauſam apud eum capitali crimine dicturus, maximum honorem ſubito petere cœpit, non quòd ſperaret ſe illum conſequi poſſe, ſed vt haberent homines vbi procurſum iræ, qui acerrimus eſſe ſolet, effunderent. neque eum tam callidi conſilij ratio fefellit. Comitij enim clamore infeſto, & crebris totius concionis ſibilis vexatus, nota etiam denegati honoris perſtrictus, eiuſdem plebis paulopoſt in diſcrimine vitæ clementiſſima ſuffragia expertus eſt. Quòd ſi adhuc ei vltionem ſitienti, capitis ſui periculum obieciſſet, nullam partem defenſionis odio obſeratæ aures reciperent. Huic vaframento conſimilis illa calliditas.

DE HANNIBALE.

Hannibal a Duillio cõſule nauali prælio victus, timẽſq; claſſis amiſſæ pœnas dare, offenſam aſtutia mire auertit. Nã ex illa infelici pugna prius quàm cladis nũcius domum perueniret, quendã ex amicis compoſitum & ornatum Carthaginẽ miſit: qui poſtquam ciuitatis eius curiam intrauit, Cõſulit, inquit, vos Hannibal, cum dux Romanorum magnas ſecum maritimas trahens copias aduenerit, an cũ eo confligere debeat. acclamauit vniuerſus ſenatus, non eſſe dubium quin oporteret. tum ille, cõfixit, inquit, & ſuperatus eſt. Ita liberũ his non reliquit id factum dãnare,

quod ipsi fieri debuisse iudicauerant.

DE EODEM.

ITidem Hannibal Fabium Maximum inuictam armorum suorum vim saluberrimis cunctationibus pugnæ ludificantem, vt aliqua suspicione trahendi belli respergeret, totius Italiæ agros ferro atque igni vastando, vnius eius fundum immunem ab hoc iniuriæ genere reliquit. Profeciſſet aliquid tanti beneficij insidiosa adumbratio eius, nisi Romanæ vrbi & Fabij pietas, & Hannibalis vafri mores fuissent notissimi.

DE TVSCVLANIS.

TUsculanis etiam acumine consilij incolumitas parta est. cum enim crebris rebellationibus meruissent vt eorũ vrbem funditus Romani euertere vellent, atque ad id exequendum Furius Camillus maximus dux validissimo instructus exercitu veniſſet, vniuersi ei togati obuiã processerunt, commeatusque & cætera pacis munia benigniſſime præstiterunt: armatum etiam intrare mœnia passi sunt, nec vultu nec habitu mutato. qua constantia trãquillitatis non solum ad amicitiæ nostræ ius, sed etiam ad communionem ciuitatis vsque penetrauerunt. Sagaci hercule vsi simplicitate, quoniã apertiũs esse intellexerant metum officijs dissimulare, quàm armis protegere.

DE TVLLO DVCE VOLSCORVM.

AtVolscorum ducis Tulli execrabile consilium, qui ad bellum inferẽdũ Romanis maxima cupiditate accẽsus, cũ aliquot aduersis prælijs cõtusos

animos ſuorũ, & ob id pauci proniores animad-uerteret, inſidioſa ratione quò volebat compu-lit. Nam cum ſpectandorum ludorum gratia magna Voſcorum multitudo Romam conueniſ-ſet, conſulibus dixit, vehementer ſe timere ne quid hoſtile ſubito molirentur: monuitq; ,vt eſ-ſent cautiores: & protinus ipſe vrbe egreſſus eſt. Quam rem Cõſules ad ſenatum retulerunt. qui tametſi nulla ſuſpicio ſuberat, authoritate tamẽ Tulli cõmotus, vt ante noctẽ Volſci abirẽt decreuit. qua contumelia iritati, facile impel-li potuerunt ad rebellandum. Ita mendacium verſuti ducis, ſimulatione beneuolentiæ inuo-lutum, duos ſimul populos fefellit, Romanum vt inſontes notaret, Volſcum vt deceptis ira-ſceretur.

DE STRATEGEMATIS. Cap. IIII.

ILla vero calliditas egregia, & ab omni pror ſus reprehenſione procul remota, cuius o-pera quia appellatione noſtra vix apte ex-primi poſſunt, græca pronunciatione Stratege-mata dicantur.

DE TVLLO HOSTILIO.

OMnibus militaribus copijs Tullo Hoſtilio Fide-nas aggreſſo, quæ ſurgentis imperij noſtri incu-nabula crebris rebellationibus torpere paſſæ nõ ſunt, finitimiſq; trophæis ac triumphis alitam virtutem eius ſpes ſuas promouere vlterius do-cuerũt. Metius Suffetius dux Albanorum dubiã & ſuſpectam ſemper ſocietatis ſuæ fidem repẽ-te in ipſa acie detexit. detecto enim Romani ex-ercitus latere, in proximo colle cõſedit, pro ad-

iutore ſpeculator pugnæ futurus, vt aut victis inſultaret, aut victores feſſos aggrederetur. non erat dubium quin ea res militum noſtrorum animos debilitatura eſſet, cum eodem tempore & hoſtes confligere, & auxilia deficere cernerẽt. Itaq; ne id fieret, Tullus prouidit. Concitato enim equo pugnantium globos præcurrit, prædicans ſuo iuſſu ſeceſſiſſe Metium, eumq;, cũ ipſe ſignum dediſſet, inuaſurum Fidenatiũ terga. quo imperatoriæ artis conſilio metum fiducia mutauit, proq; trepidatione, alacritate ſuorũ pectora repleuit.

DE SEXTO TARQVINIO.

Ac ne continuo à noſtris regibus recedamus, Sextus Tarquinius Tarquinij filius indigne ferens quod patris viribus expugnari Gabij nequirẽt, valentiorẽ armis excogitauit rationẽ, qua interceptum id oppidũ Romano imperio adijceret. Subito nanq; ſe ad Gabios contulit, tanq̃ parẽtis ſæuitiam & verbera, quæ voluntate ſua perpeſſus erat, fugiens: ac paulatim vniuſcuiuſq; fictis & compoſitis blanditijs alliciendo beneuolentiam, vt apud omnes plurimũ poſſet cõſecutus, familiarẽ ſuum ad patrẽ miſit, indicaturum quemadmodum cuncta in ſua manu haberet, & quæſiturũ quidnam fieri vellet. Iuuenili calliditati ſenilis aſtutia reſpõdit. Siquidem re eximia delectatus Tarquinius, fidei autẽ nuncij parum credens, nihil reſpondit, ſed ducto eo in hortum maxima & altiſſima papauerum capita baculo decuſſit. Cognito adoleſcẽs ſilẽtio patris ſimul ac facto, cauſam altius argumenti peruidit, nec

ignorauit præcipi sibi, vt excellẽtissimũ quenq; Gabinorum aut exilio summoueret, aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus ciuitatem tantum non vinctis manibus ei tradidit.

DE ROMANIS.

Illud quoq; à maioribus & consilio prudẽter, & exitu feliciter prouisum. Cum enim vrbe capta Galli capitoliũ obsiderent, solãq; potiendi eius spem in fame eorum repositã animaduerterent, perquã callido genere consilij Romani vsi, vnico perseuerantiæ iritamento victores spoliauerunt. Panes enim iacere cõpluribus ex locis cœperunt. Quo spectaculo obstupefacti, infinitãq; frumenti abundantiam nostris supereſſe credentes, ad pactionem omittẽdæ obsidionis compulerunt. Misertus est tunc profecto Iupiter Romanæ virtutis præsidium ab astutia mutuãtis, cum summa alimentorum inopia proijci præsidia inopię cerneret. Igitur vt vafro, ita periculoso consilio salutarem exitum dedit. Idem Iupiter postea præstãtissimorum ducum nostrorum sagacibus cõsilijs propitius aspirauit. nam cum alterum Italiæ latus Hannibal laceraret, alterũ inuasisset Hasdrubal, ne duorũ fratrũ iunctę copiæ intolerabili onere fessas simul res nostras vrgerẽt, hinc Claudij Neronis vegetum consiliũ, illinc Liuij Salinatoris inclyta prouidentia effecit. Nero enim compresso à se in Lucanis Hannibale, præsentiam suam, quoniam ita ratio belli desiderabat, mentitus hosti, ad opem ferendã collegæ per longũ iter celeritate mira tetendit,

Salinator in Vmbria apud Metaurũ flumẽ proximo die dimicaturus, ſumma cũ diſſimulatione Neronẽ caſtris noctu recepit. tribunos enim a tribunis, centuriones a centurionibus, equites ab equitibus, pedites a peditibus excipi iuſſit, ac ſine vlla tumultuatione, ſolo vix vnum exercitum capiente, alterum inſeruit. quo euenit, ne Haſdrubal cum duobus ſe Conſulibus præliaturum prius ſciret, quàm vtriuſq; virtute proſterneretur. Ita illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas, Romana eluſa prudentia, Hannibalem Neroni, Haſdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

DE QVINTO METELLO CONSVLE.

Memorabilis etiam conſilij Qu. Metellus, qui cum proconſul bellũ in Hiſpania aduerſus Celtiberos gereret, vrbemque Trebiam caput eius gẽtis viribus expugnare non poſſet, intra pectus ſuum multum ac diu conſilijs agitatis, viam reperit qua propoſitum ad exitũ perduceret. itinera magno impetu ingrediebatur. deinde alias atq; alias regiones petebat. hos obſidebat mõtes, paulopoſt ad illos trãſgrediebatur: cum interim tã ſuis omnibus, quàm ipſis hoſtibus ignota erat cauſa inopinatę eius ac ſubitæ fluctuationis. Interrogatus quoq; a quodam amiciſſimo ſibi, quid ita ſparſum & incertũ militię genus ſequeretur, Abſiſte, inquit, iſtud quærere. Nã ſi huius cõſilij mei interiorẽ tunicam conſciã eſſe ſenſero, continuo eam cremari iubebo. Quorſum igitur ea diſſimulatio erupit? aut quẽ finẽ habuit? Poſtquam vero & exercitũ ſuum ignorãtia, &

totam Celtiberiam errore implicauit: cum alio cursum direxisset, subito ad Trebiam reflexit: eamque inopinatam & attonitam oppressit. ergo nisi mentem suam dolos scrutari coegisset, ad vltimam ei senectutem apud mœnia Trebię armato sedendum foret.

EXTERNA.

DE AGATHOCLE REGE SYracusarum.

Agathocles autem Syracusarum rex audacter callidus. Cũ enim vrbẽ eius maiore ex parte Carthaginienses occupassent, exercitũ suũ in Africam traiecit, vt metum metu, vim vi discuteret: neque sine effectu. nam repentino eius aduentu perculsi Pœni, libenter incolumitatem suam salute hostium redemerũt: pactiq; sunt, vt eodem tempore & Africa Siculis, & Sicilia Punicis armis liberaretur. Agathocles autem Syracusarũ mœnia si tueri perseuerasset, illa belli malis vrgerẽtur, bona pacis fruenda securæ Carthagini reliquisset. nunc inferendo quæ patiebatur, dum alienas potius lacessit opes, q̃ suas tuetur, quo æquiore animo regnũ deseruit, eo tutius recepit.

DE HANNIBALE.

Quid? Hannibal Cannensem populi Romani aciẽ speculatus, nonne prius quàm ad dimicandum descenderet, compluribus astutiæ complicatam laqueis, ad tam miserabilem perduxit exitum? Ante omnia enim prouidit vt & solẽ, & puluerẽ, qui ibi vẽto multus excitari solet, aduersum haberet. deinde partẽ copiarũ suarũ inter ipsum prælij tẽpus de industria fugere iussit; quã cum

à reliquo exercitu abruptam legio Romana sequeretur, trucidandam eam ab ijs quos in insidijs collocauerat, curauit. Postremo quadringẽtos equites subornauit, qui simulata transitione petierunt Consulem: a quo iussi more transfugarum depositis armis in vltimam pugnæ partem secedere, districtis gladijs, quos inter tunicas & loricas abdiderant, poplites pugnantiũ Romanorum ceciderunt. Hæc fuit Punica fortitudo, dolis & insidijs & fallacia instructa: quæ nunc certissima circunuentæ virtutis nostræ excusatio est: quoniam decepti magis quàm victi sumus.

DE REPVLSIS. Cap. v.

CAmpi quoq; repræsentata cõditio, ambitiosam ingrediẽtes viam, ad fortius sustinendos parũ prosperos Comitiorũ euentus vtiliter instruxerit: quia ꝓpositis ante oculos clarissimorum virorum repulsis, vt non minore cũ spe honoris, ita prudẽtiore cum animi iudicio petent: meminerintq; nefas non esse aliquid ab omnibus vni negari: cum sæpenumero singuli cunctorum volũtatibus resistere fas esse duxerint: scientes etiam patientia quæri debere, quod gratia impetrari nequiuerit.

DE QVINTO AELIO TVBERONE.

Quintus Aelius Tubero a Qu. Fabio maximo epulũ populo Romano nomine P. Africani patrui sui dãte rogatus vt tricliniũ sterneret, lectulos Punicanos pellibus hœdinis strauit, & ꝓ argenteis vasis Samia exposuit. cuius rei deformitas sic omneis offendit, vt cũ alioqui vir egre-

gius haberetur, comitijsq; prætorijs candidatus in campum L. Paulo auo, & P. Africano auũculo nixus descendisset, repulsa inde abiret notatus. Nam vt priuatim semper continentiam probabant, ita publice maxima cura splendoris habita est. quocirca vrbs nostra non vnius conuiuij numerum, sed totam se in illis pelliculis iacuisse credens, ruborem epuli suffragijs suis vindicauit.

DE P. SCIPIONE NASICA.

P. autem Scipio Nasica togatæ potentiæ clarũ lumen, is qui Consul Iugurthæ bellũ indixit, qui matrem Idæam e Phrygijs sedibus ad nostras aras focosq; migrantẽ sanctissimis manibus excepit, qui multas & pestiferas seditiones authoritatis suę robore oppressit, quo principe senatus aliquot annos gloriatus est: cũ ædilitatem curulem adolescens peteret, manumq; cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eũ num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circunstantibus exceptum, ad populum manauit, causamq; repulsæ Scipioni attulit. Omnes nanq; rusticæ tribus paupertatẽ sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suã aduersus cõtumelioſam eius vrbanitatem distrinxerũt. Igitur ciuitas nostra nobilium iuuenum ingenia ab insolentia reuocando, magnos & vtiles ciues fecit, honoribusque, nõ patiẽdo eos a scurris peti, debitum authoritatis pondus adiecit.

DE LVCIO AEMILIO PAVLO.

Nullus error talis in L. Aemilio Paulo cõspectus

est:sed tamen aliquoties frustra cõsulatũ petijt. Idemq;,cum iam campum repulsis suis fatigasset,bis consul & censor factus est:amplissimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cuius virtutem iniuriæ non fregerũt,sed acuerunt : quoniã quidem nota ipsa accensam cupiditatem summi honoris ardentiorem ad comitia detulit,vt populum,quem nobilitatis splẽdore, & animi bonis mouere non potuerat,pertinacia vinceret.

DE QVINTO CAECILIO METELLO.

Q.autem Cæcilium Metellum pauci & mœsti amici cõsulatus repulsa afflictũ, tristitia ac rubore plenum,domũ reduxerunt. eundem de pseudophilippo triumphantẽ vniuersus senatus lætum & alacrem in capitolium prosecutus est. Achaici etiam belli , cui summam manum L. Mumius adiecit,maxima pars ab hoc viro profligata est. Ei ne ergo populus consulatum negare potuit,cui mox duas clarissimas prouincias aut daturus erat, aut debiturus, Achaiam, & Macedoniam?Et quidem hoc facto, meliore eo ciue vsus est.Intellexit enim q̃ industrie sibi gerendus esset consulatus , quem tanto labore impetrari senserat.

DE LVCIO SYLLA.

Quid tam excellẽs,quid tam opulentũ,q̃ L. Syllæ?diuitias & imperia largitus est:leges vetustas abrogauit,nouas tulit.hic quoq; in eodẽ campo cuius postea dominus extitit, repulsa Prætura fugillatus est:omnia loca petiti honoris, si quis modo deorũ formã & imaginẽ futuræ eius potentiæ populo Ro.repręsentasset,impetraturus.

DE M. PORCIO CATONE.

Sed vt comitiorum maximum crimen referam, M. Porcius Cato plus moribus suis præturę decoris adiecturus, quâm prætexta eius splẽdoris ipse laturus, consequi illam a populo aliquando non potuit. Proxima dementiæ suffragia: quæ quidem satis graues pœnas erroris sui pepẽderunt: quoniam quem honorem Catoni negauerant, Vatinio dare coacti sunt. Ergo sivere æstimare volumus, nõ Catoni tũc prætura, sed præturæ Cato negatus est.

DE NECESSITATE. Cap. VI.

ABominandæ quoque necessitatis amariſſimæ leges, & truculentiſſima imperia, tum vrbem nostram, tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum, sed etiam auditu grauia perpeti coegerunt. Nam aliquot aduersis prælijs secundo Punico bello exhausta militari iuuentute Romana, senatus authore Tiberio Graccho consule censuit, vti publice serui aduersus propulsandorum hostium impetum emerentur: eaque de re per Tribunos plebis apud populum lata rogatione, tres creati sunt viri, qui quatuor & viginti millia seruorum comparauerunt: adactosque iureiurando strenuam se fortemque operam daturos quoad Pœni essent in Italia, datis armis in castra miserunt. Ex Apulia etiam & à Fidiculis septuaginta aque ducenti ad supplementum equitatus sunt empti. Quanta violẽtia est casus acerbi? Quæ ciuitas ad id tempus ingenuæ quoq; originis capite censos habere mi-

lites faſtidierat, eadem cellis ſeruilibus extracta corpora, & a paſtoralibus caſis collecta mancipia velut præcipuum firmamentum exercitui
„ ſuo adiecit. Cedit ergo interdum generoſus ſpi-
„ ritus vtilitati, & fortunæ viribus ſuccumbit: vbi
„ niſi tutiora conſilia legeris, ſpecioſa ſequenti cõ
„ cidendum eſt.

DE CIVITATE ROMANA.

Cannenſis autem clades adeo vrbẽ noſtram vehementer contudit, vt opera M. Iunij dictaturam reip. adminiſtrantis, ſpolia hoſtium affixa tẽplis deorum numini conſecrata, inſtrumenta militiæ futura conuellerentur, ac prætextati pueri arma induerent, adiudicatorũ etiam & capitali crimine dãnatorũ ſex millia conſcriberẽtur. quæ ſi per ſe aſpiciantur, aliquid ruboris habeant. ſinautẽ admotis neceſſitatis viribus ponderentur, ſæuitiæ temporis conuenientia præſidia videantur.

DE EADEM CIVITATE.

Propter eãdem cladem ſenatus Octacilio, qui Siciliam, Cornelio Mãmulæ, qui Sardiniam propręſtores obtinebant, querentibus quòd neq; ſtipendium neq; frumentum claſſibus eorum & exercitibus ſocij præberent, affirmantibus etiã ne habere quidem eos vnde id pręſtare poſſent: reſcripſit, ærariũ longinquis expẽſis nõ ſufficere: proinde quo pacto tantæ inopiæ ſuccurrendum eſſet, ipſi viderẽt. His literis quid aliud q̃ imperij ſui gubernacula e manibus abiecit? Siciliãq; & Sardiniã benigniſſimas vrbis noſtrę nutrices, gradus & ſtabilimenta bellorum, tam multo ſudore & ſanguine in poteſtatem redactas, paucis

verbis, ita scilicet necessitate iubente, dimisit.

DE CASILINATIBVS.

EAdem Casilinates obsidione Hannibalis clausos, alimentorumque facultate defectos, lora necessarijs vinculorũ vsibus subducta, eq; scutis detractas pelles feruẽti resolutas aqua mãdere voluisti. Quid illis, si acerbitatẽ casus intueare, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui ne a Romanis desciscerent, tali vti cibi genere sustinuerunt, cum pinguissima arua sua, fertilissimosque campos mœnibus suis subiectos intuerentur. Itaque Campanæ vrbis quæ Punicam feritatem delicijs suis cupida fouit, in propinquo situm Casilinum moderatum virtute, clarum perseuerantis amicitiæ pignore, impios oculos verberauit.

DE PRENESTINIS.

In illa obsidione & fide cum trecenti Prenestini permanerent, euenit vt ex his quidam murẽ captum ducẽtis potius denarijs vendere, q̃ ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo deorum prouidentia effectum, vt & vẽditori & emptori, quẽ vterq; merebatur exitũ attribuerit. Auaro enim fame consumpto, manubijs sordium suarũ frui nõ licuit. æqui animi vir, ad salutarem impensam faciendã, care quidem, verum necessarie comparato cibo vixit.

DE CIVITATE ROMANA.

C. autem Mario & Cn. Carbone consulibus bello ciuili cũ L. Sylla dissidentibus, quo tempore nõ reip. victoria quærebatur, sed præmium victoriæ res erat publica, senatusconsulto aurea atq; ar-

gentea templorum ornamẽta, ne militibus ſtipẽdia deeſſent, conflata ſunt. Digna enim cauſa erat, hi ne an illi crudelitatem ſuam proſcriptione ciuiũ ſatiarent, vt Dij immortales ſpoliarentur. Non ergo P. cõſcriptorum voluntas, ſed teterrimæ neceſſitatis truculenta manus illi conſultò ſtylum ſuum impreſſit.

DE DIVO IVLIO.

Diui Iulij exercitus, id eſt inuicti ducis inuicta dextera, cum armis Mundam clauſiſſet, aggerique extruendo materia deficeret, cõgerie hoſtilium cadauerum, quam deſiderauerat altitudinem inſtruxit, eãq; tragulis & pilis, quia roboreę ſudes deerant, magiſtra nouæ molitionis neceſſitate vſus vallauit.

DE DIVO AVGVSTO.

Atque vt diuinam filij mentionem, cæleſtis patris recordationi ſubnectam: cum effuſurus ſe in noſtras prouincias Parthorũ rex Phraates videretur, vicinæque imperio eius regiones ſubita inducti tumultus denunciatione quaterentur, tãta in Boſphorano tractu commeatus penuria inceſſit, vt ſex millibus denarijs ſingula vaſa olei, frumentiq; modijs totidem mancipia permutarentur: ſed amariſſimam tempeſtatem Auguſti cura tutelæ tunc terrarũ vacans diſpulit.

EXTERNA.

DE CRETENSIBVS.

Cretẽſibus nihil tale præſidij affulſit, qui obſidione Metelli ad vltimam vſq; penuriã cõpulſi, ſua iumentorumq; ſuorum vrina ſitim toxlerunt iu-

ſtius dixerim q̃ ſuſtentauerunt: quia dum vinci timent, id paſſi ſunt quod eos ne victor quidem pati coegiſſet.

DE NVMANTINIS.

Numantini autem a Scipione vallo & aggere circundati, cum omnia quæ famem eorum trahere poterant, conſumpſiſſent, ad vltimum humanorum corporum dapibus vſi ſunt. quapropter capta iam vrbe complures inuenti ſunt artus & membra trucidatorum corporum ſinu ſuo geſtantes. Nulla eſt in his neceſſitatis excuſatio. nam quibus mori licuit, ſic viuere neceſſe non fuit.

DE CALIGVRITANIS.

Horum trucem pertinaciam in conſimili facinore Caliguritanorũ execrabilis impietas ſupergreſſa eſt: qui quo perſeuerãtius interempti Sertorij cineribus obſidionem Cn. Põpeij fruſtrãtes, fidem præſtarent, quia nullum iam aliud in vrbe eorũ ſupererat animal, vxores ſuas notoſq̃ ad vſum nefarię dapis verterũt: quoq̃ diutius armata iuuentus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadauerum reliquias ſalire nõ dubitauit. En quẽ aliquis in acie hortaretur, vt pro ſalute coniugũ & liberorum fortiter dimicaret. Ex hoc nimirũ hoſte, tanto duci pœna magis q̃ victoria petẽda fuit, quia plus vindicatus libertatis q̃ victus glorię afferre potuit, cum omne ſerpentum ac ferarum genus comparatione ſui titulo feritatis ſuperauit. nã quæ illis dulcia vitę pignora proprio ſpiritu chariora ſunt, ea Caliguritanis prandia atque cœnæ extiterunt.

DE TESTAMENTIS QVAE RESCISSA SVNT. Cap. VII.

VAcemus nũc negotio, quod actorum hominis & præcipuæ curæ, & vltimi eſt tẽporis: cõſideremuſq; quæ teſtamenta aut reſciſſa ſunt legitime facta, aut cũ merito reſcindi poſſent, rata manſerunt, quæve ad alios quàm qui expectabant, honorem hæreditatis tranſtulerunt.

DE QVODAM MILITE.

Atque ita, vt ea ordine quo propoſui exequar: militantis cuiuſdam pater, cũ de morte filij falſum e caſtris nunciũ accepiſſet, alijs hæredibus ſcriptis deceſſit. peractis deinde ſtipendijs adoleſcẽs domum petit. errore patris, impudẽtia amicorũ domũ ſibi clauſam reperit. Quid enim illis inuerecũdius? florem iuuentæ pro rep. abſumpſerat, maximos labores & plurima pericula toleraverat, aduerſo corpore exceptas oſtẽdebat cicatrices, & poſtulabat ne auitos eius lares otioſa ipſi vrbi onera poſſiderent. Itaq; depoſitis armis coactus eſt in foro togatam ingredi militiam acerbe. cũ improbiſſimis enim hæredibus de paternis bonis apud centũuiros contendit, omnibuſq; non ſolum conſilijs, ſed etiam ſentẽtijs ſuperior diſceſſit.

DE FILIO M. ANCI CARSEOlani equitis Romani.

Item M. Anci Carſeolani ſplendidiſſimi equitis Romani filius a Suffenate auunculo ſuo adoptatus, teſtamentũ naturalis patris, quo præteritus

erat,apud Centumuiros reſcidit,cum in eo Tullianus Pompeij magni familiaris, ipſo quidem Pompeio ſignatore,hæres ſcriptus eſſet. Itaq; illi in iudicio plus cum excellẽtiſſimi viri gratia, quàm cum parentis cineribus negotij fuit. cæterum quanuis vtraq; hæc aduerſus ſe nitebantur, tamen paterna bona obtinuit. Nam L. quidem Sextilius,& P. Popilius,quos M. Ancus ſanguine ſibi coniunctos eadem ex parte qua Tullianũ hæredes fecerat,ſacramento cum adoleſcentulo contendere auſi non ſunt, tametſi præcipuis eo tempore magni viribus ad defendendas tabulas teſtamenti inuitari poterant: etſi aliquantulum adiuuabat hæredes,q; M. Anci filius in Suffenatis familiam ac ſacra tranſierat:ſed arctiſſimum inter homines procreationis vinculum,patris ſimul voluntatem, & principis authoritatem ſuperauit.

DE TECTIO FILIO TECTII.

C. autem Tectium infantem a patre exhæredatũ, Petronia matre,quã Tectius quoad vixit in matrimonio habuerat,natũ,diuus Auguſtus in bona paterna ire decreto ſuo iuſſit,patris patrię animo vſus,quoniam Tectius in proprio iure procreato filio, ſumma cum iniquitate paternũ nomen abrogauerat.

DE SEPTITIA.

S eptitia quoq; mater Trachalorũ Ariminenſiũ filijs irata,in cõtumeliã eorũ, cum iã pârere nõ poſſet, Publio ſeni admodum nupſit, teſtamento etiam vtroq; præterito:a quibus aditus diuus Auguſt⁹,& nuptias mulieris,& ſuprema iudicia

improbauit. Nam hæreditatem maternam filios habere iussit: dotẽ, quia non creandorũ liberorũ causa coniugium interceſſerat, virũ retinere vetuit. Si ipsa æquitas hac de re cognoscere potuisset, iustius ne aut grauius pronunciaret? Spernis quos genuisti? nubis effœta? testamenti ordinem violento animo confundis? neq; erubescis ei totum patrimonium addicere, cuius polluto iam corpori marcidam senectutẽ tuam substrauisti? Ergo dum sic te egeris, ad inferos vsque cælesti fulmine afflata es.

DE C. CALPVRNIO PISONE.

Egregia quoq; C. Calpurnij Pisonis præfecti vrbis constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filijs quos in adolescentiam perduxerat, ab vno in adoptionem dato exhæredatũ se querelã detulisset, bonorũ adolescentis possessionem ei dedit, hæredesq; lege agere passus nõ est. Mouit profecto Pisonẽ patria maiestas: donum vitæ: beneficium educationis: sed aliquid etiã ipsum flexit circũstantium liberorũ numerus, q; cũ patre septem fratres impie exhæredatos videbat.

DE GENVTIO QVODAM.

Quid? Mamerci Aemilij Lepidi cõsulis q̃ graue decretum? Genutius quidã matris magnæ Gallus a Cn. Oreste prętore vrbis impetrauerat vt restitui se in bona Neuiani iuberet, quorũ possessionẽ secundũ tabulas testamẽti ab ipso acceperat. appellatus Mamercus a Surdinio, cuius libertus Genutiũ hæredẽ fecerat, prætoriã iurisdictionẽ abrogauit, quòd diceret Genutiũ amputatis sua ipsius spõte genitalib⁹ corporis partib⁹, neq; vi-

rorum neq; mulierũ numero haberi debere. Cõueniens Mamerco, conueniens principi ſenatus decretũ, quo prouiſum eſt ne obſcœna Genutij preſentia, inquinataq; voce tribunalia magiſtratuum ſub ſpecie petiti iuris polluerentur.

DE VETILIO LENONE.

Multo Qu. Metellus prætorem vrbanum ſeueriorem egit, q̃ Oreſtes geſſerat, qui Vetilio lenoni iuueni bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas teſtamenti non dedit, quia vir nobiliſſimus & grauiſſimus fori ac lupanaris ſeparandam cõditionem exiſtimauit: nec aut factum illius cõprobare voluit, qui fortunas ſuas in ſtabulũ cõtaminatum proiecerat: aut huic tanquam integro ciui iura reddere, qui ſe ab omni honeſto vitæ genere abruperat.

DE TESTAMENTIS QVAE RATA MANSERVNT.

Caput VIII.

His reſciſſorum teſtamentorum exemplis contenti, attingamus ea quæ rata manſerunt, cum cauſas haberẽt propter quas reſcindi poſſent. Quàm certæ, quàm etiã notæ inſaniæ Tuditanus? vtpote qui populo nummos ſparſerit, togamq; velut tragicã veſtem in foro trahens, maximo cum hominum riſu cõſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit, teſtamẽto filiũ inſtituit hæredem: quod T. Longus, ſanguine ei proximus, haſtæ iudicio ſubuertere fruſtra conatus eſt. magis enim centũuiri quod ſcriptum eſſet in tabulis, q̃ quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimauerunt.

DE EBVCIA VXORE L. MENENIJ AGRIPPÆ.

VIta Tuditani demens: Ebuciæ autẽ, quæ L. Menenij Agrippæ vxor fuerat, tabulæ teſtamenti plenæ furoris. nam cum haberet duas ſimillimæ probitatis filias Pletoniam & Aphroniam, animi ſui potius inclinatione prouecta, quàm vllis alterius iniurijs aut officijs commota, Pletoniã tantũmodo hæredẽ inſtituit: filijs etiam Aphroniæ ex admodum amplo patrimonio viginti nummos legauit. Aphronia tamen cum ſorore ſacramento contendere noluit, teſtamentumq; matris patientia honorare, quàm iudicio conuellere, ſanctius eſſe duxit: eo ſe ipſam indigniorem iniuria oſtendens, quo eam æquiore animo ſuſtinebat.

DE Q. METELLO.

MInus mirandum errorem muliebrẽ Qu. Metellus fecit. Is nanq; plurimis & celeberrimis eiuſdẽ nominis viris in vrbe noſtra vigẽtibus, Claudiorum etiam familia, quam arctiſſimo ſanguinis vinculo contingebat, florẽte: Carinatem ſolum hæredem reliquit: nec hoc teſtamentũ eius quiſquam attentauit.

DE POMPEIO RHEGINO.

ITẽ Pompeius Rheginus vir tranſalpinæ regionis, cum teſtamẽto fratris præteritus eſſet, & ad coarguendam iniquitatẽ eius, binas tabulas teſtamentorum ſuorum in comitio inciſas, habita vtriuſque ordinis maxima frequentia, recitaſſet, in quibus magna ex parte hæres frater erat ſcriptus, prælegabaturq; ei centies & quinquagies

sestertium: multum ac diu inter assentientes indignationi suæ amicos questus, quod ad hastæ iudiciũ attinuit, cineres fratris quietos esse passus est. & erant ab eo instituti hæredes neq; sanguine Rhegino pares, neq; proximi, sed & alieni, & humiles: vt non solũ flagitiosum silentiũ, sed etiam prælatio contumeliosa videri posset. Aeque felicis impunitatis, sed nescio an tetrioris hæc delicti testamenta:

QVI ADVERSVS OPINIONES HOMINVM HAEREDES HABVERVNT. Cap. IX.

De Qu. Cæcilio, & Lucio Lucullo.

QVintus Cæcilius L. Luculli promptissimo studio, maximaq; liberalitate, & honestũ dignitatis gradum, & amplissimũ patrimonium consecutus, cum præ se semper tulisset vnum illũ sibi esse hæredẽ, moriẽs etiã annulos ei suos tradidisset: Pomponiũ Atticũ testamẽto adoptauit, omniũq; bonorũ reliquit hæredẽ. sed fallacis & insidiosi cadauer Populus Ro. cerui-cibus reste circundatũ per viã traxit: itaq; nefarius homo filiũ quidem & hæredẽ habuit, quem voluit: funus autem & exequias quales meruit.

DE TITO MARIO VRINATE.

Neq; alijs dignus fuit T. Marius Vrinas, qui ab infimo militiæ loco beneficijs diui Augusti imperatoris ad summos castrenses honores perductus, eorũq; vberrimis quęstibus locuples factus, non solum cæteris vitæ temporibus ei se fortunas suas relinquere, à quo acceperat, prędicauit, sed etiam pridie quàm expiraret, idem illud ipsi

Augusto dixit: cum interim ne nomen quidem eius tabulis testamenti adiecerit.

DE LVCIO VALERIO, ET Cornelio Balbo.

L. autem Valerius, cui cognomen Heptachordo fuit, togatum hostem Cornelium Balbum expertus, vtpote opera eius & consilio compluribus priuatis vexatus litibus, ad vltimumq; subiecto accusatore capitali crimine accusatus, prę-teritis aduocatis & patronis suis solum hæredē reliquit. Nimirum cōsternatio animū eius trāsuersum egit. Amauit enim sordes suas, & dilexit pericula, & damnationem votis expetiuit, authorem harum rerum beneuolentia, propulsatorem odio insecutus.

DE TITO BARRVLO, ET LENTVLO.

T. Barrulus Lentulo Spintheri, cuius amantissimū animum, liberalissimamq; senserat amicitiam, decedens suos annulos perinde atque vnico hæredi tradidit: quem nulla ex parte hæredem relinquebat. Quantum illo momento temporis conscientia, si modo vires quas habere creditur possidet, à teterrimo homine supplicium exegit? Inter ipsam enim fallacis & ingratæ culpæ cogitationem spiritum posuit, quasi torto-re aliquo mentem eius interius cruciante, quòd animaduertebat e vita ad mortem transitum suum & superis dijs inuisum esse, & inferis detestabilem futurum.

DE M. POPILIO.

M. vero Popilius senatorij ordinis Oppiū Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi, moriens

pro vetuſto iure amicitiæ & vultu benigno reſpexit, & verbis magnum præſe amorem ferẽtibus proſecutus eſt. vnum etiam de multis qui aſſidebant, vltimo complexu & oſculo dignum iudicauit, ſuperque annulos quoque ſuos ei tradidit: videlicet ne quid ex ea hæreditate quam non erat aditurus, amitteret. Quos Oppius vir diligens, ſed morientis amici plenum cõtumeliæ ludibrium, in locellum repoſitos, & à præſentibus aſſignatos, diligentiſſime hæredibus illius exhæres ipſe reddidit. Quid hoc loco inhoneſtius? aut quid intempeſtiuius? Senator populi Ro. curia egreſſus, homo vitæ fructibus continuo carituras, ſanctiſſima iura familiaritatis morte preſſis oculis, & ſpiritu ſupremos anhelitus reddente, ſcurrili luſu ſugillanda ſibi deſumpſit.

VALERII MAXIMI LIB. OCTAVVS.

INFAMES REI QVIBVS EX CAVſis abſoluti aut damnati ſunt. Cap. I.

DE M. HORATIO.

NVnc quoq; , vt æquiore animo ancipites iudiciorum motus tolerentur, recordemur, inuidia laborantes, quibus de cauſis aut abſoluti ſunt, aut damnati. M. Horatius interfectæ ſororis crimine à Tullo rege damnatus, ad populũ prouocato iudicio, abſolutus eſt. quorum alterum atrocitas necis mouit, alterum cauſa flexit, quia immaturum virginis amorem

seuere magis quàm impie punitũ existimabat. Itaque forti punitione liberata fratris dextera, tantũ consanguineo, quantũ hostili cruore gloriæ haurire potuit. Acrem se tunc pudicitiæ custodẽ populus Romanus, postea plus iusto placidum iudicem præstitit.

DE SERGIO GALBA.

Cum à Libone Tri. Ple. Sergius Galba pro rostris vehemẽter increparetur, quòd Lusitanorũ magnam manũ interposita fide Prætor in Hispania interemisset, actionicq; tribunitiæ M. Cato vltimæ senectutis oratione sua quam in Originibus retulit, subscriberet: reus pro se iam nihil recusans, paruulos liberos suos, & Galli sanguine coniunctum filium flens commendare cœpit: eoque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, pene nullum triste suffragium habuit. Misericordia ergo illam quæstionem, non æquitas texit: quoniam quæ innocentiæ tribui nequierat absolutio, respectui puerorum data est. Consentaneũ, quod sequitur.

DE A. GABINIO.

A. Gabinius in maximo ifamiæ suæ ardore suffragijs populi Memmio accusatore subiectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniã & accusatio partes suas plene exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebantur: & qui iudicabant, ira perciti pœnã hominis cupide expectabant. Igitur lictor & carcer ante oculos obuersabantur: cum interim omnia ista propitiæ fortunæ interuentu depulsa sunt. filius nanque Gabinij Sisen-

na, consternationis impulsu ad pedes se Memmij supplex prostrauit, inde aliquod fomentum procellæ petens, vnde totus impetus tempestatis eruperat. quem truci vultu à se victor insolens repulsum, excusso e manu annulo humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, vt Lælius Trib. Pleb. approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet, ac documentum
„ daretur, neque secundarum rerum prouentu in-
„ solenter abuti, neq; aduersis propere debilitari
„ oportere. idq; proximo exemplo æque patet.

DE APPIO CLAVDIO.

Appius Claudius nescio religionis maior an patriæ iniuria, (siquidem illius vetustissimum morem neglexit, huius pulcherrimā classem amisit) infesto populo obiectus, cum effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione. Discussa enim quæstione, aliam, velut Dijs interpellantibus, de integro instaurari non placuit. Itaque cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cælestis salutem attulit.

DE TVCIA VIRGINE DEAE VESTAE

Eodē auxilij genere Tuciæ virginis Vestalis incesti criminis reæ castitas infamiæ nube obscurata, emersit: quæ conscia certæ synceritatis suę, spem salutis ancipiti argumento petere ausa est. arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admoui manus, effice vt hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in ædem tuā perferam. Audacter & temere iactis votis sacerdotis

rerum ipsa natura cessit.

DE LVCIO PISONE.

Itẽ L. Piso a L. Claudio pulchro accusatus, quôd graues & intolerabiles iniurias socijs intulisset: haud dubiæ ruinę metum fortuito auxilio vitauit. Nanq; per idipsum tempus quo tristes de eo sententiæ ferebantur, repẽtina vis mymbi incidit. cumque prostratus humi pedes iudicũ oscularetur, os suum cœno repleuit: quod conspectum, totam quæstionem à seueritate ad clemẽtiam & mãsuetudinem transtulit: quia satis iam graues eum pœnas socijs dedisse arbitrati sunt, huc deductum necessitatis, vt abijcere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter coge retur. Subnectam duos accusatorum suorũ culpa absolutos.

DE Q. FLAVIO.

Quintus Flauius à C. Valerio ædile apud populũ reus actus, cum quatuordecim tribuũ suffragijs damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. cui Valerius æque clara voce respondit, nihil sua interesse, nocẽsne, an innoxius periret, dummodo periret. qua violentia dicti, reliquas tribus aduersario donauit. abiecerat inimicum: eundem, dum pro certo pessundatum credidit, erexit, victoriamq; in ipsa victoria perdidit.

DE CAIO COSCONIO.

Caium etiã Coscónium Seruilia lege reum, propter plurima & euidentissima facinora sine vlla dubitatione nocentem, Valerij Valentini accusatoris eius recitatũ in iudicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam virginem à se

corruptam poetico ioco ſignificauerat, cõtexit. Siquidem iudices iniquum rati ſunt eum victorem dimittere, qui palmam nõ ex alio ferre, ſed de ſe dare merebatur. Magis ergo Valerius in Coſconij abſolutione damnatus, quàm Coſconius in cauſa ſua liberatus eſt.

DE A. ATTILIO CALATINO.

Attingam eos quoq;, quorum ſalus proprijs obruta criminibus, proximorũ claritati donata eſt. A. Attilium Calatinum Soranorũ oppidi proditione reum admodum infamem, imminentis dãnationis periculo Qu. Maximi ſoceri pauca verba ſubtraxerunt: quibus affirmauit, ſi in eo crimine ſontem illum ipſe comperiſſet, dirempturum ſe fuiſſe affinitatem. Continuo enim populus pene iam exploratam ſententiam ſuam vnius iudicio conceſſit, indignum ratus eius teſtimonio non credere, cui difficilibus Reipublicæ temporibus bene ſe exercitus credidiſſe meminerat.

DE M. AEMILIO SCAVRO.

M. quoq; Aemilius Scaurus repetũdarũ reus adeo perditam & comploratam defenſionem in iudicium attulit, vt cum accuſator diceret, lege ſibi centũ atq; viginti hominibus denunciare teſtimoniũ licere, ſeq; nõ recuſare quo minus abſolueretur ſi totidẽ nominaſſet quibus in prouincia nihil abſtuliſſet: tam bona conditione vti nõ potuerit: tamen propter vetuſtiſſimam nobilitatem, & recentẽ memoriã patris abſolutus eſt.

DE COTTA.

Sed quemadmodum ſplendor ampliſſimorum vi-

rorum in protegendis reis plurimum valuit, ita in opprimendis non sanè multum potuit: quin etiam euidenter noxijs, dum eos acrius impugnauit, profuit. L. Scipio Aemilianus Cottam apud populum accusauit. cuius causa quanuis grauissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, & ad vltimum octauo iudicio absoluta est, quia homines verebantur ne præcipuæ accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur. Quos hæc secum locutos crediderim, Nolumus caput alterius petentem, in iudicium triumphos & trophæa, spoliaque, ac deuictarum nauium rostra deferre. terribilis sit is aduersus hostem, ciuis vero salutem tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur. Tam vehementes iudices aduersus excellentissimum accusatorem, quàm mites in longe inferioris fortunæ reo.

DE CALLIDIO BONONIENSI.

Callidius Bononiẽsis in cubiculo mariti nocte deprehensus, cũ ob id causam adulterij diceret, inter maximos & grauissimos infamiæ fluctus emersit, tanquã fragmentũ naufragij leue admodũ genus defensionis amplexus. affirmauit enim se ob amorem pueri sui eò esse perductũ. suspectus erat locus, suspectum tempus, suspecta matrisfamiliæ persona, suspecta etiam adolescentia ipsius: sed crimen libidinis confessio intemperantiæ liberauit.

DE CAELIIS FRATRIBVS, & filijs Titi Cælij.

Remissioris hæc, illud aliquanto grauioris mate-

riæ exemplum. Cum parricidij cauſam duo fratres Cælij dicerent, ſplẽdido Terracinæ loco nati, quorum pater Titus Cælius in cubiculo quieſcens, filijs altero cubantibus lecto, erat interẽptus, neq; aut ſeruus quiſquam aut liber inueniretur ad quẽ ſuſpicio cædis pertineret: hoc vno nomine abſoluti ſunt, quia iudicibus planum factum eſt illos aperto oſtio inuentos eſſe dormientes. Somnus innoxiæ ſecuritatis certiſſimus index miſeris opem tulit. Iudicatum eſt enim rerum naturam non recipere, vt occiſo patre, ſupra vulnera & cruorem eius quietem capere potuerint.

DE LVCIO SCIPIONE.

Percurremus nunc eos quibus in cauſæ dictione magis quæ extra quæſtionem erant nocuerunt, quàm ſua innocentia opem tulit. L. Scipio poſt ſpecioſiſſimum triũphum de rege Antiocho ductum, perinde ac ſi pecuniam ab eo accepiſſet, dãnatus eſt: nõ, puto, quòd pretio corruptus fuerat, vt illum totius Aſiæ dominum, & iam Europæ victrices manus inijcientem, vltra Taurum montem ſummoueret: ſed alioqui vir ſynceriſſimæ vitæ, & ab hac ſuſpicione procul remotus, inuidiæ quæ tunc in duorum fratrum inclytis cognominibus habitabat, reſiſtere non potuit.

DE PVBLIO FVRIO.

At Scipioni quidem maximus fortunæ fulgor, C. autem Deciano ſpectatæ integritatis viro, vox ſua exitium attulit. Nam cum P. Furium inquinatiſſimæ vitæ pro roſtris accuſaret, quia quadã in parte actionis de morte Lucij Saturnini que-

ri ausus fuerat: nec reum damnauit, & insuper ei pœnas adiectas pependit.

DE TITIO SEXTO.

Sextum quoque Titium similis casus prostrauit, erat innocens Agraria lege lata gratiosus apud populum: tamen quia Saturnini imaginem domi habuerat, suffragijs eum tota concio oppressit.

DE CLAVDIA.

Adijciatur his Claudia, quam insontem crimine quo accusabatur, votũ impiũ subuertit: quia cũ a ludis domum rediens turba elideretur, optauerat vt frater suus maritimarũ virium nostrarum præcipua iactura reuiuisceret, sæpiusq; Consul factus, infelici ductu nimis magnam vrbis frequentiam minueret.

DE M. MILITIO, CNEO LOLIO, & Lucio Sextilio.

Possumus & ad illos breui diuerticulo transgredi, quos leues ob causas dãnationis incursus abripuit. M. Militius, Cneus Lolius, L. Sextilius triũuiri, quòd ad incendium in sacra via ortum extinguendũ tardius venerãt, a Tribuno ple. die dicta ad populum damnati sunt.

DE PVBLIO BILIO TRIVMVIRO.

Item P. Bilius triumuir nocturnus a P. Aquilio Trib. ple. accusatus, populi iudicio cõcidit, quia vigilias negligentius circũierat.

DE M. AEMILIO PORCINA.

Admodum seueræ notę & illud populi iudicium, cum M. Aemilium Porcinã a L. Cassio accusatũ crimine nimis sublimè extructæ villæ in Al-

lienſi agro, graui multa affecit.

DE QVODAM.

NOn ſupprimenda illius quoq; damnatio, qui pueruli ſui nimio amore corruptus, rogatus ab eo ruri vt omaſum in cœnam ferri iuberet, cum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas eſſet, domito boue occiſo deſideriũ eius expleuit, eoque nomine publica quæſtione affligtus eſt, innocens, niſi tam priſco ſeculo natus eſſet.

DE QVADAM MVLIERE quæ matrem interfecit.

ATque vt eos quoq; referamus, qui in diſcrimẽ capitis adducti, neq; damnati neq; abſoluti ſunt, apud M. Popilium Lenatem prætorem quędam quòd matrem percuſſam fuſte interemerat, cauſam dixit: de qua neutram in partem latæ ſentẽtiæ ſunt, quia abunde conſtabat eandem veneno necatorum liberorum dolore commotam, quos auia filiæ infenſa ſuſtulerat, parricidium vltam parricidio eſſe: quorum alterum vltione, alterũ abſolutione non dignum iudicatum eſt.

DE QVADAM MVLIERE quæ virũ & filium interemit.

EAdem hæſitatione Publij quoq; Dolabellæ proconſulari imperio Aſiam obtinentis animus fluctuatus eſt. materfamilias Smyrnæa virũ & filium interemit, cum ab his optimę indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum comperiſſet. quam rem Dolabella ad ſe delatam Athenas ad Areopagi cognitionẽ relegauit, quia ipſe neq; liberare cædibus duabus contaminatã

neq; punire eam iusto dolore impulsam sustinebat. Considerantes & mansuete populi Romani magistratus, sed Ariopagitæ quoq; non minus sapienter, qui inspecta causa & accusatorem & ream post centum annos ad se reuerti iusserunt, eodem affectu moti, quo Dolabella: sed ille trãsferendo quæstionem, hi differendo dãnandi atque absoluendi inexplicabilem cunctationem mutabant.

DE PRIVATIS IVDICIIS. Caput II.

PVblicis iudicijs adijciam, quorum magis æquitas quæstionum delectare, quàm immoderata turba lectorem offendere poterit. Claudius Centimalus ab auguribus iussus altitudinem domus suæ, quam in Cœlio monte habebat, summittere, quia his ex arte augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario, nec indicauit quod imperatum a collegio augurũ erat: a quibus Calpurnius demoliri domum coactus, M. Porcium Catonem inclyti Catonis patrem arbitrum cum Claudio adduxit, vt formulam daret, quid sibi de ea re facere oporteret ex fide bona. Cato vt est doctus de industria Claudium edictum sacerdotum supressisse, continuo illum Calpurnio damnauit, summa quidem cum æquitate, quia bonæ fidei vẽditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. Notum suis temporibus iudicium commemoraui: sed nec quod relaturus quidem sum, obliteratum est silentio.

DE C. VISELLIO.

C. Viſellius Varro graui morbo correptus, trecẽta millia nummùm ab Octacilia Laterenſi, cũ qua commercium libidinis habuerat, expenſa ferri ſibi paſſus eſt, eo conſilio, vt ſi deceſſiſſet, ab hæredibus eam ſummam peteret: quam legati genus eſſe voluit, libidinoſam liberalitatem debiti nomine colorando. Euaſit deinde ex illa tempeſtate, aduerſus vota Octaciliæ: quæ offenſa, quòd ſpem prædæ ſuæ morte non maturaſſet, ex amica obſequẽti ſubito diſtrictã fœneratricem agere cœpit, nummos petendo, quos vt fronte inuerecũda, ita inani ſtipulatione captauerat. de qua re Caius Aquilius vir magnæ authoritatis, & ſcientia iuris ciuilis excellens, iudex aditus, adhibitis in cõſilium principibus ciuitatis, prudẽtia & religione ſua mulierem repulit. Quòd ſi eadem formula & Varro damnari, & aduerſaria abſolui potuiſſet, eius quoque non dubito quin turpem & inconceſſum errorem libenter caſtigaturus fuerit. nunc priuatæ actionis calumniã ipſe compeſcuit, adulterij crimen publicæ quæſtioni iudicandum reliquit.

DE CAIO MARIO.

Multo animoſius, & vt militari ſpiritu dignũ erat, ſe in conſimili genere iudicij C. Marius geſſit. nam cum Caius Ticinius Minturnenſis Anniã vxorem, quam impudicam de induſtria duxerat, eo crimine repudiatam dote ſpoliare conaretur, ſumptus inter eos iudex, in conſpectu habita quæſtione, ſeductum Ticinium monuit, vt incepto deſiſteret, ac mulieri dotem redde-

ret. Quod cum sæpius frustra feciſſet, coactus ab eo ſententiam pronunciare, mulierem impudicitiæ ſeſtertio nummo, Ticinium ſumma totius dotis damnauit, præfatus ideo ſe hunc iudicandi modum ſecutum, quòd liqueret ſibi Ticinium patrimonio Fanniæ inſidias ſtruentem, impudicæ coniugium expetiſſe. Fannia autem hæc eſt, quæ poſtea Marium hoſtem a ſenatu iudicatum, cœnoque paludis qua extractus erat ôblitum, etiam in domum ſuam cuſtodiendum Minturnis deductum, ope quantacunq; potuit adiuuit, memor quòd impudica ſuis moribus dotem ſeruaſſet, illius religioni acceptum ferri debere.

DE QVODAM DAMNATO FVRTI.

Multus ſermo eo etiã iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus eſt, quòd equo, cuius vſus illi vſque Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus eſſet. Quid aliud hoc loci, quàm verecundiam illius ſeculi laudemus, in quo tam minuti a pudore exceſſus puniebantur?

QVAE MVLIERES APVD MAGISTRATVS PRO SE AVT ALIIS CAVSAS EGERVNT.

Caput III.

NE de ijs quidem fœminis tacendum eſt, quas cõditio naturæ, & verecundiæ ſtola vt in foro, in iudicijs tacerẽt, cohibere nõ valuit. Ameſia prætoris ſentẽtia rea, cauſam ſuã

Lucio Titio Prætore iudicium cogente, populi maximo concursu egit, motusq; omnes ad neruos defensionis non solum diligenter, sed etiam fortiter executa, & prima actione, & fere cunctis sententijs liberata est: quam, quia sub specie fœminæ virilem animum gerebat, Androgynē appellabant.

DE AFRANIA VXORE Licinij Bructionis.

Caia Afrania vero Licinij Bructionis vxor prōpta ad lites contrahendas, pro se semper apud prætorē verba fecit, non quòd aduocatis deficeretur, sed q; impudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus assidue tribunalia exercēdo, ad muliebris calūniæ notissimum exemplū euasit, adeo vt pro crimine improbis fœminarū moribus C. Afraniæ nomē obijciatur. Prorogauit autem spiritum suum ad C. Cæsarem tertiū, itēq; M. Seruilium cōsulem. Tale enim monstrū magis quo tempore extinctum, q̄ quo sit ortū, memoriæ tradendum est.

DE HORTENSIA FILIA Quinti Hortensij.

Hortensia vero Qu. Hortensij filia, cum ordo matronarum graui tributo a triumuiris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet: causam fœminarum apud triumuiros & cōstanter & feliciter egit. Repręsentata enim patris facundia, impetrauit vt maior pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. Reuixit cum muliebri stirpe Qu. Hortensius, verbisq; filiæ aspirauit. cuius si virilis sexus po-

steri vim sequi voluissent, Hortensianæ eloquē-tiæ tanta hæreditas vna fœminæ actione abscis-sa non esset.

DE QVAESTIONIBVS. Cap. IIII.

ATq; vt omnes iudiciorum numeros exe-quamur, quæstiones quibus aut creditum non est, aut temere habita fides est, refe-ramus. M. Agrij argentarij seruus Alexandrum Titi Fannij seruum occidisse insimulatus est: eoq; nomine tortus a domino, admisisse id faci-nus constantissime asseuerauit. Itaque Fannio deditus, supplicio affectus est. Paruulo deinde tē pore interiecto ille cuius de nece creditum erat, domum redijt.

DE ALEXANDRO SERVO Fannij.

Contrà Fannij seruus Alexander, cum in hanc su-spicionem C. Fl. equitis Romani occisi veniisset, septies tortus pernegauit ei se culpæ affinē fuis-se. sed perinde atq; confessus, & a iudicibus dam-natus, & a L. Calpurnio triumuiro in crucem a-ctus est.

DE FVLVIO FLACCO.

Item Fuluio Flacco causam dicēte, Philippus ser-uus eius in quo tota quæstio nitebatur, octies tor tus, nullum omnino verbum quo dominus per-stringeretur, emisit: & tamen reus damnatus est, cum certius argumentum innocentiæ vnus octies tortus exhiberet, quām octo semel torti præbuissent.

DE TESTIBVS. Cap. v.

De C. & Qu. Seruilio.

SEquitur vt ad teſtes pertinentia exempla commemorem. C. & Qu. Seruilijs Cepionibus ijſdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad ſummam amplitudinẽ prouectis, item fratribus Metellis Quinto & Lucio conſularibus & cenſorijs, altero etiam triumphali, in Qu. Pompeium Aufidium repetũdarum reum acerrime dicentibus teſtimonium, non abrogata fides abſoluto Pompeio, ſed ne potentia inimicum oppreſſiſſe viderẽtur, occurſum eſt.

DE MARCO AEMILIO SCAVRO.

M. etiã Aemilius Scaurus princeps ſenatus C. Memium repetũdarum reum diſtricto teſtimonio inſecutus eſt. Idem C. Flauium eadem lege accuſatum teſtis proſcidit. Mam C. Norbanum maieſtatis crimine publicæ ſubiectum quæſtioni, ex profeſſo opprimere conatus eſt: nec tamẽ aut authoritate, qua plurimũ pollebat: aut religione, de qua nemo dubitabat, quenquam illorum affligere potuit.

DE LVCIO CRASSO.

L. Quoq; Craſſus tãtus apud iudices, quãtus apud P. C. Aemilius Scaurus: (nanq; eorum ſuffragia robuſtiſſimis & feliciſſimis eloquentiæ ſtipendijs regebat, eratq; ſic fori, vt ille curiæ princeps) cum vehementiſſimum teſtimonij fulmen in M. Marcellum reum iniecisſet, impetu grauis, exitu vanus apparuit.

DE Q. METELLO PIO, L. MARco, Qu. Hortensio, & M. Lepido.

Age, Qu. Metellus Pius, L. Marcus Lucullus, Qu. Hortensius, M. Lepidus, Cn. Cornelium maiestatis reum non modo testes onerarunt, sed etiã salutem, negantes illo incolumi stare Rempu. posse, depoposcerunt: quæ decora ciuitatis (pudet referre) vmbone iudiciali repulsa sunt.

DE M. CICERONE.

Quid? M. Cicero forensi militia summos honores, amplissimumq; dignitatis locum adeptus, nonne in ipsius eloquẽtiæ suæ castris testis abiectus est, dum P. Clodium Romæ apud se fuisse iurauit, illo sacrilegium & flagitium vno argumento absentiæ tuente? Siquidem iudices Clodium incesti crimine, quàm Ciceronem infamia periurij liberare maluerunt.

DE P. SERVILIO consulari.

Tot eleuatis testibus, vnum, cuius noua ratione iudicium ingressa authoritas confirmata est, referã. P. Seruilius, Cõsularis, Cẽsorius, Triũphalis, qui maiorũ suorũ titulis Isaurici cognomen adiecit, cũ forũ præteriens testes in reũ dari vidisset, loco testis cõstitit, ac summã inter patronorũ pariter & accusatorũ admirationẽ sic orsus: Hũc ego, inquit, iudices, qui causam dicit, cuias sit, aut quam vitam egerit, quámque merito vel iniuria accusetur, ignoro: illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina via iter facienti admodum angusto loco, equo descendere noluisse.

Quod an aliquid ad religionem noſtram pertineat, ipſi æſtimabitis: ego id ſupprimendum nõ putaui. Iudices reum vix auditis cæteris teſtibus damnauerunt. Valuit enim apud eos tum amplitudo viri, tum grauis neglectæ dignitatis eius indignatio: eumq; qui venerari principes neſciret, in quodlibet facinus procurſurum crediderunt.

QVI QVAE IN ALIIS VINDICARUNT, IPSI CÕMISERUNT. Cap. VI.

NE illos quidem latere patiamur, qui quæ in alijs vindicarunt, ipſi cõmiſerunt. C. Licinius cognomine Hoplomachus à Prætore poſtulauit, vt patri ſuo bonis tanquam ea diſſipanti interdiceretur: & quidem quod petierat, impetrauit: ſed ipſe paruo poſtea tempore mortuo ſene, ampla ab eo relicta latifundia feſtinanter conſumpſit. Dignus hac viciſſitudine pœnæ fuit: quoniam hæreditatem abſumere, quàm hæredem maluit tollere.

DE CAIO MARIO.

Caius autem Marius, cum magnum & ſalutarem Reipublicæ ciuem in L. Saturnino opprimendo egiſſet, à quo in modum vexilli pileum ſeruituti ad arma capienda oſtentatũ erat: L. Sylla cum exercitu in vrbem irrumpẽte, ad auxilium ſeruorum pileo ſuperlato confugit. Itaque dum facinus quod punierat, imitatur: alterum Marium, à quo affligeretur, inuenit.

DE MARCO LICINIO Stolone.

Marcus vero Licinius Stolo, cuius beneficio plebi

petendi consulatum potestas facta est, cum lege sanxisset ne quis amplius quàm quingenta agri iugera possideret, ipse mille cõparauit: dissimu landique criminis gratia, dimidiã partem filio emancipauit. quam ob causam à M. Popilio Lenate accusatus, primus sua lege cecidit, ac docuit nihil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperauit.

DE QVINTO VARIO TRIBVNO.

Quintus autem Varius, propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, Tribu. Pleb. legem aduersus intercessionẽ collegarum prorogauit, qua iubebat quæri quorum dolo malo socij ad arma ire coacti essent, magna cum clade Reipublicæ. Sociale enim prius, deinde ciuile bellum excitauit. Sed dum ante pestiferum Trib. Pleb. quàm certum ciuem agit, sua lex eum domesticis laqueis constrictũ absumpsit.

DE STVDIO ET INDVSTRIA. Cap. VII.

QVid cesso vires industriæ commemorare? cuius alacri spiritu militiæ stipendia roborãtur: forensis gloria accenditur: fido sinu cuncta studia recepta nutriuntur. Quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile est, ad cumulum laudis perducitur: quæ cum perfectissima sit virtus, duramento sui confirmatur.

DE CATONE SVPERIORE.

Cato sextum & octogesimum annum agẽs, dum in Rep. tuenda iuuenili animo perstat, ab inimi-

eis capitali crimine accusatus, causam suã egit: neque aut memoriam eius quisquam tardiorem, aut firmitatem lateris vlla ex parte quassatam, aut os hæsitatione impeditum animaduertit: quia scilicet omnia ista in statu suo æquali ac perpetua industria continebat: quinetiam in ipso diutissime actæ vitæ fine disertissimi oratoris Galbæ accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit. Idem græcis literis erudiri concupiuit: quàm sero, inde æstimemus, quòd etiam latinas pene iam senex didicit: cumque eloquentia magnam iam gloriam partam haberet, id egit, vt iuris ciuilis quoque esset peritissimus.

DE CATONE INFERIORE.

Cuius mirifica proles Cato, propior nostræ ætati, ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum senatus cogitur, temperaret sibi quo minus Græcos libros lectitaret. qua quidem industria ostendit, alijs tẽpora deesse, alios temporibus supersse.

DE TERENTIO VARRONE.

Terentius autem Varro humanæ vitæ exemplo & spatio nominandus, non annis, quibus seculi tempus æquauit, quàm stylo viuacior fuit. In eodem enim lectulo & spiritus eius, & egregiorum operum cursus extinctus est.

DE LIVIO DRVSO.

Consimilis perseuerantiæ Liuius Drusus, qui & ætatis viribus, & acie oculorum defectus, ius ciuile populo benignissime interpretatus est, vtilissimaq; discere id cupientibus monimẽta com-

posuit. nam vt senem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit, ita neutra interpellare valuit ne non animo & videret, & vigeret.

DE P. SENATORE, ET LVCIO Pontio equite Romano.

Publius vero Senator, & Lucius Pontius eques Romanus suis tẽporibus celebres causarũ actores, luminibus capti, eadem industria forẽsia stipendia executi sunt. Itaq; frequentius etiam audiebantur, concurrẽtibus alijs, quia ingenio eorum delectabantur: alijs, quia constantiam admirabantur. nanq; alij incommodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras, fortuitis voluntaria adijcientes.

DE PVBLIO CRASSO.

Iam P. Crassus, cum in Asiam ad Aristonicum regem debellandum Consul venisset, tanta cura Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, vt eam in quinque diuisam genera, per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quæ res maximum ei sociorum amorem conciliauit, qua quis eorum lingua apud tribunal eius postulauerat, eadem decreta reddenti.

DE ROSCIO.

Ne Roscius quidem subtrahatur scenicę industriæ notissimum exemplum, qui nullum vnquã spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus fuerat, ponere ausus est. Quapropter non ludicra ars Roscium, sed Roscius ludicram artem commendauit: nec vulgi tantum fauorem, verũetiam principum familiaritates amplexus est.

Hæc ſunt attenti, & anxij, & nunquam ceſſantis ſtudij præmia, propter quæ tantorum virorum laudibus nõ impudẽter ſe perſona hiſtrionis inſeruit.

EXTERNA.

DE DEMOSTHENE.

Græca quoq; induſtria, quoniam noſtræ multum profuit, quem meretur fructum, Latina lingua recipiat. Demoſthenes, cuius commemorato nomine, maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur, cum inter initia iuuentæ, artis quam affectabat, primam literam dicere non poſſet, oris ſui vitium tanto ſtudio expugnauit, vt ea à nullo expreſſius referretur. Deinde propter nimiam exilitatem, acerbam auditu vocem ſuam exercitatione continua ad maturum & gratum auribus ſonum perduxit. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negauerat, a labore mutuatus eſt. Multos enim verſus vno impetu ſpiritus complectebatur, eoſque aduerſa loca celeri gradu ſcandens pronunciabat: ac vadoſis littoribus inſiſtens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat: vt ad fremitus concitatarum concionum patientia duratis auribus, in actionibus vteretur. Fertur quoque ore inſertis calculis multum ac diu loqui ſolitus, quò vacuum promptius eſſet & ſolutius. Præliatus eſt cum rerum natura: & quidem victor abijt, malignitatem eius pertinaciſſimo animi robore ſuperando. Itaq; alterum Demoſthenem mater, alterum induſtria enixa eſt.

DE PYTHAGORA PHILOSOPHO.

Atque vt ad vetuſtiorem induſtriæ actũ tranſgrediar, Pythagoras perfectiſſimum opus ſapiẽtiæ a iuuenta pariter & omnis honeſtatis percipiendæ cupiditatem ingreſſus, (nihil enim quod ad vltimum ſui peruenturum eſt finem, non & mature, & celeriter incepit) Aegyptum petijt, vbi literis gentis eius aſſuefactus, præteriti æui ſacerdotum commentarios ſcrutatus, innumerabilium ſeculorum obſeruationes cognouit. Inde ad Perſas profectus, Magorum exactiſſimæ prudentiæ ſe formandum tradidit: a quibus ſyderum motus, curſuſque ſtellarum, & vniuſcuiuſque rei proprietatem & effectum benigniſſime demonſtratum docili animo ſumpſit. Cretam deinde & Lacedæmona nauigauit: quarum legibus ac moribus inſpectis, ad Olympicum certamen deſcendit. Cumque multiplicis ſcientiæ maximam toti Græciæ admirationem ac ſpecimen exhibuiſſet, quo cognomine cenſeretur interrogatus, non ſe ſapientem (iam enim illud ſeptem ſapientes viri occupauerant) ſed amatorem ſapientiæ, id eſt græce φιλόσοφον edidit. In Italiæ etiam partẽ, quæ tũc maior Græcia appellabatur, perrexit: in qua plurimis & opulentiſſimis vrbibus effectus ſuorũ ſtudiorum approbauit: cuius ardentẽ rogum plenum venerationis oculis Metapontus aſpexit, operũ Pythagoræ, quàm ſuorum cinerũ nobilius clariuſq; monimentum.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Plato autem patriam Athenas, præceptorem So-

cratem sortitus,& locum & hominem doctrinæ fertilissimum,ingenij quoque diuina instructus abundantia,cum omnium iam mortalium sapientissimus haberetur,eo quidem vsq;, vt si ipse Iupiter e cęlo descēdisset,nec elegātiore nec beatiore facundia vsurus videretur: Aegyptū peragrauit,vbi a sacerdotibus eius gētis Geometriæ multiplices numeros,cæleſtium obseruationem rationum percepit:quóq; tempore a studiosis iuuenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur, ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas, vastissimosque campos,effusam barbariem, & flexuosos fossarum ambitus Aegyptiorum senum discipulus lustrabat.Quo minus miror in Italiam transgressum,vt ab Archita Tarenti, a Timæo & Arione & Cæto Locris Pythagoræ præcepta & instituta acciperet. Tanta enim vis,tanta copia literarū vndique colligēda erat,vt inuicem per totum terrarum orbem dispergi & dilatari posset. Altero etiā & octogesimo anno decedens, sub capite Sophronis numeros habuisse fertur.sic ne extrema quidem eius hora agitatione studij vacua fuit.

DE DEMOCRITO PHILOSOPHO.

At Democritus,cū diuitijs censeri posset, quæ tātæ fuerunt,vt pater eius Xerxis exercitui epulū dare facile potuerit:quò magis vacuo animo studijs literarū esset operatus,parua admodū summa retenta,patrimonium suum patriæ donauit. Athenis autē cōpluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam & exer-

cendam doctrinam conferens, ignotus illi vrbi vixit: quod ipse quodam volumine testatur. Stupet mens admiratione tantæ industriæ, & iam transit alio.

DE CARNEADE PHILOSOPHO.

Carneades laboriosus & diuturnus miles sapiẽtię. siquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi ac philosophandi finis fuit. ita se mirificũ doctrinæ operibus addixerat, vt cum cibi capiẽdi causa recubuisset, cogitationibus inhęrẽs, manum ad mẽsam porrigere obliuiscerẽtur. Sed eũ Melissa, quam vxoris loco habebat, tẽperato inter studia animo, non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio, dexterã suam necessarijs vsibus aptabat. Ergo animo tãtũmodo vita fruebatur, corpore vero quasi alieno & superuacuo circũdatus erat. Idem cum Chrysippo disputaturus, helleboro se ante purgabat, ad exprimendũ ingenium suum attentius, & illius refellendum acrius: quas potiones industria solidæ laudis cupidis appetendas effecit.

DE ANAXAGORA PHILOSOPHO.

Quali porro studio Anaxagorã flagrasse credim⁹? qui cum post diutinam peregrinationẽ patriam repetisset, possessionesq; desertas vidisset, Nõ essem, inquit, ego saluus, nisi istæ perijssent. Vocẽ petitæ sapientiæ compotem. Nam si prædiorũ potius q̃ ingenij culturæ vacasset, dominus rei familiaris intra penates mansisset, non tantus Anaxagoras ad eos redijsset.

DE ARCHIMEDE PHILOSOPHO.

Archimedis quoq; fructuosam industriã fuisse di-

cerem,niſi eadem illi & dediſſet vitam,& abſtu liſſet.Captis enim Syracuſis, Marcellus machi-nationibus eius multum ac diu victoriam ſuam inhibitam ſenſerat: eximia tamen hominis pru-dentia delectatus,vt capiti illius parceretur edi-xit,pene tantum gloriæ in Archimede ſeruato, quantum in oppreſſis Syracuſis hoſtis reponēs. At is dum animo & oculis in terram defixis for mas deſcribit:militi,qui prædandi gratia domū irruperat,ſtrictoq; ſuper caput gladio, quiſnam eſſet interrogabat, propter nimiam cupiditatē inueſtigandi quod requirebat,nomen ſuum in-dicare non potuit, ſed protracto manibus pul-uere · Noli, inquit, obſecro iſtum circulum diſ-turbare . ac perinde quaſi negligens imperij victoris ,obtruncatus, ſanguine ſuo artis ſuæ lineamenta confudit. Quo accidit vt propter idem ſtudium modo donaretur vita,modo ſpo-liaretur.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Socratem etiam cōſtat ætate prouectum fidibus tractandis operam dare cœpiſſe, ſatius iudican-tem eius artis vſum ſero,q̄ nunquam percipere. & quantula Socrati acceſſio illa futura ſcientiæ erat? ſed pertinax hominis induſtria,tātis doctri næ ſuæ diuitijs etiā Muſicæ rationis vtiliſſimū elemētum accedere voluit.Ergo dum ad diſcen-dum ſemper ſe pauperem credidit, ad docendū fecit ſe locupletiſſimum.

DE ISOCRATE.

Atque vt longæ & felicis induſtriæ quaſi in vnum aceruū exempla redigamus, Iſocrates nobiliſſi-

mum librũ, qui inscribitur παναθηναϊκός, quartum & octogesimũ annum agens, ita vt ipse significat, composuit, opus ardẽtis spiritus plenũ. Ex quo apparet, senescentibus membris eruditorum, intus animos industriæ beneficio florẽ iuuentæ retinere. neq; hoc stylo terminos vitæ suæ clausit. nãq; admirationis eius fructũ quinquennio percepit.

DE CHRYSIPPO.

Citerioris ætatis metas, sed non tamen parui spatij Chrysippi viuacitas flexit. Nam octogesimo anno, cœptũ ante quadragesimum λογικῶν exactissimæ subtilitatis volumẽ reliquit: cuius studium in tractandis ingenij sui monimentis tantum operis laborisq; sustinuit, vt ad ea quæ scripsit, penitus cognoscenda, longa vita sit opus.

DE CLEANTE PHILOSOPHO.

Te quoq; Cleante tam laboriose haurientem, & tã pertinaciter trahentem sapientiã, numen ipsius industriæ suspexit, cũ adolescentem quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam tuã sustentantem, diurno Chrysippi præceptis percipiendis vacantem, eundemque ad vndecentesimum annum attenta cura erudientem auditores tuos videret. Duplici enim labore vnius seculi spatium occupasti, incertum reddendo, discipulúsne, an præceptor esses laudabilior.

DE SOPHOCLE.

Sophocles quoq; cũ rerum natura glorioſum certamẽ habuit, tam benigne illi mirifica opera sua exhibendo, q̃ illa operibus eius tẽpora liberali-

ter ſum miniſtrando. Prope enim centeſimũ annum attigit, ſub ipſum tranſitum ad mortẽ Oedipode Coloneo ſcripto: qua ſola fabula omniũ eiuſdem ſtudij poetarum præripere gloriã potuit. idque ignotũ eſſe poſteris filius Sophoclis noluit Sophon, ſepulchro patris quæ retuli inſculpendo.

DE SIMONIDE POETA.

Simonides vero poeta octogeſimo anno & docuiſſe ſe carmina, & in eorũ certamen deſcẽdiſſe ipſe gloriatur: nec fuit iniquum, illum voluptatem ex ingenio ſuo diu percipere, cũ eam omni æuo fruendam traditurus eſſet.

DE SOLONE.

Nam Solon quanta induſtria flagrauerit, & verſibus complexus eſt, quibus ſignificat ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere: & ſupremo vitæ die confirmauit, quòd aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis iam preſſum caput erexit: interrogatuſq; quapropter id feciſſet, reſpondit, Vt cum iſtud, quicquid eſt, de quo diſputatis, percepero, moriar. Migraſſet profecto ex hominibus inertia, ſi eo animo vitam ingrederentur, quo eam Solon egreſſus eſt.

DE THEMISTOCLE.

Quàm porrò induſtrius Themiſtocles, qui maximarũ rerum cura diſtrictus, omnium tamen ciuium ſuorũ nomina memoria cõprehendit. Per ſummã nãq; iniquitatẽ patria pulſus, & ad Xerxẽ, quẽ paulo ante deuicerat, cõfugere coactus, prius q̃ in cõſpectũ eius veniret, Perſico ſermo-

ni se assuefecit, vt per laborem parta commendatione, regijs auribus familiarem & assuetum sonum vocis adhiberet.

DE CYRO ET MITHRIDATE.

Cuius vtriusque industriæ laudem duo reges partiti sunt, Cyrus omnium militum suorum nomina, Mithridates duarum & viginti gentium, quæ sub regno eius erant, linguas ediscẽdo: ille vt sine monitore exercitum salutaret, hic vt eos quibus imperabat, sine interprete alloqui posset.

DE OTIO. Caput VIII.

OTtium, quod industrię & studio maxime contrariũ videtur, præcipue subnecti debet, nõ quo euanescit virtus, sed quo recreatur. Alterum enim etiam inertibus vitandũ, alterum strenuis quoq; interdum appetendum est. Illis, ne prope vitam inertem exigant: his, vt tempestiua laboris intermissione ad laborandũ fiant vegetiores.

DE SCIPIONE ET LAELIO.

Par veræ amicitiæ clarissimum Scipio & Lælius, tum amoris vinculo, tum etiam omnium virtutum inter se iunctum societate, vt actuosæ vitæ iter æquali gradu exequebãtur, ita animi quoq; remissioni communiter acquiescebant. Constat nãq; eos Caietæ & Laurenti vagas littoribus cõchulas & calculos lectitasse: idq; se P. Crassus ex socero suo Qu. Scæuola, qui gener Lælij fuit, audisse sæpenumero prædicauit.

DE SCAEVOLA.

Scæuola autem quietę remissionis eorum certissi-

mus teſtis, optime pila luſiſſe traditur, quia videlicet ad hoc diuerticulum animum ſuum forenſibus miniſterijs fatigatum trãsferre ſolebat. Aleæ quoq; & calculis vacaſſe interdũ dicitur, cum bene ac diu iura ciuiũ, & ceremonias deorum ordinaſſet. Vt enim in rebus ſerijs Scæuolã, ita & in ſcurrilibus luſibus hominem agebat, „ quem rerum natura continui laboris patientem „ eſſe non ſinit.

EXTERNA.

DE SOCRATE PHILOSOPHO.

Idq; vidit, cui nulla pars ſapiẽtię obſcura fuit, Socrates: ideoq; non erubuit tunc cum interpoſita arundine cruribus ſuis cum paruulis filiolis ludens, ab Alcibiade riſus eſt.

DE HOMERO POETA.

Homerus quoq; ingenij cæleſtis vates nõ aliud ſenſit vehemẽtiſſimis Achillis manibus canoras fides aptando, vt earum militare robur leni pacis ſtudio relaxaret.

QVANTA SIT VIS ELOQVENTIAE. Cap. IX.

POtentiam vero eloquentiæ etſi plurimum valere animaduertimus, tamẽ ſub proprijs exemplis, quò ſcilicet vires eius teſtatiores fiant, recognoſci conuenit.

DE VALERIO.

Regibus exactis plebs diſcedens a patribus, iuxta ripam fluminis Anienis in colle qui Sacer appellatur, armata conſedit: eratque non ſolum deformis, ſed etiam miſerrimus reipub. ſtatus, a capite eius, cætera parte corporis peſtifera ſeditio-

ne diuisa. ac ni Valerij subueniſſet eloquentia, ſpes tanti imperij in ipſo pene ortu ſuo corruiſſet. Is nanq; populum noua & inſolita libertate temere gaudentẽ, oratione ad meliora & ſaniora cõſilia reuocatum, Senatui ſubiecit, id eſt vrbem vrbi iunxit. Verbis ergo facundis ira, conſternatio, arma ceſſerunt.

DE M. ANTONIO.

Quæ etiam Marianos Cinnanoſq; mucrones ciuilis profundendi ſanguinis cupiditate furẽtes inhibuerunt. Miſſi enim à ſæuiſſimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, ſermone eius obſtupefacti, diſtrictos iam & vibratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt: quibus digreſſis, P. Antonius (is enim ſolus in ambitu expers Antonianæ facundiæ ſteterat) crudele imperium truculẽto miniſterio peregit. Quàm diſertum igitur eum fuiſſe putemus, quem ne hoſtium quidem quiſquam occidere ſuſtinuit, qui modo vocem eius ad aures ſuas voluit admittere?

DE IVLIO CAESARE.

Diuus quoque Iulius quàm cæleſtis numinis, tam etiam humani ingenij perfectiſſimum columen, vim facundiæ propriæ expreſſit dicendo in accuſatione C. Dolabellę, quem reum egit, extorqueri ſibi cauſam optimam L. Cottæ patrocinio. ſiquidem maxima tunc eloquentia queſta eſt. cuius facta mentione, quoniam domeſticum nullum maius adiecerim exemplum, peregrinandum eſt.

EXTERNA.

DE PISISTRATO.

Pisistratus dicendo tantum valuisse traditus est, vt ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent, cum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur. sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores: quo euenit, vt alioqui prudẽtissima ciuitas libertati seruitutem præferret.

DE PERICLE.

Pericles autem felicissimis naturæ incremẽtis sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus & instructus, liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis imposuit. Egit enim illam vrbem & versauit arbitrio suo. Cumq; aduersus voluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus & popularis eius vox erat. Itaque veteris comœdiæ maledica lingua quanuis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris hominis melle dulciorem lepôrem fatebatur habitare: inque animis eorum qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui prædicabat.

DE QVODAM SENE.

Fertur quidam, cum admodum senex primæ concioni Periclis adolescentuli interesset, idemque iuuenis Pisistratum decrepitum iam concionãtem audisset, non temperasse sibi quo minus exclamaret, caueri illũ ciuem oportere, quòd Pisistrati orationi simillima eius foret oratio. nec hominẽ aut æstimatio eloquij, aut morũ augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratũ & Pe-

riclem interfuit, nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit.

DE HEGESIA PHILOSOPHO.

Quantum eloquētia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophum arbitramur, qui sic mala vitæ repræsentabat, vt eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis appetēdæ cupiditatem ingeneraret, ideoq; â rege Ptolemæo vlterius hac de re disserere prohibitus est.

QVANTVM MOMENTVM SIT IN PRONVNCIATIONE, ET APTO MOTV CORPORIS. Cap. x.

ELoquentię autē ornamenta in pronunciatione apta, & conuenienti motu corporis consistunt: quibus cum se instruxerit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum ipsa inuadēdo, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo.

DE CAIO GRACCHO.

Sed propositi fides in personis illustribus exhibeatur. C. Gracchus eloquentiæ quàm propositi felicioris adolescens, quoniam flagrantissimo ingenio cū optime Remp. tueri posset, perturbare impie maluit, quoties apud populū cōcionatus est, seruum post se musicæ artis peritum habuit, qui occulte eburnea fistula pronūciationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos reuocando: quia

ipsum calor atq; impetus actionis attentum huiusce tẽperamẽti æstimatorẽ esse non patiebat.

DE Q. HORTENSIO.

Quintus autem Hortẽsius plurimum in corporis decoro motu repositum credens, pene plus studij in eodem laborando, quàm in ipsa eloquentia affectanda impendit. Itaq; nescires vtrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectãdum cõcurreretur. sic verbis oratoris aspectus, & rursus aspectui verba seruiebant. Constat Aesopũ Roscium que ludicræ artis peritissimos, illo causas agente in corona frequenter astitisse, vt foro petitos gestus, in scenam referrent.

DE M. CICERONE.

Nam M. Cicero quantum in vtraq; re de qua loquimur, momenti sit, oratione quam pro Gallo habuit, significauit, M. Callidio accusatori exprobrando, quòd præparatum sibi à reo venenum, testibus, chirographis, quæstionibus ꝓbaturum affirmans, remisso vultu, & languida voce, & soluto genere orationis vsus esset: pariterque & orationis vitium detexit, & causæ periclitantis argumenta adiecit, totũ hunc locum ita claudendo, Tu istud, M. Callidi, nisi fingeres, sic ageres?

EXTERNA.

DE DEMOSTHENE.

Consentaneum huic Demosthenis iudicium: qui cum interrogaretur quidnã esset in dicendo efficacissimum, respõdit, hypocrisis Iterum deinde & tertio interpellatus, idem dixit, pene totum se illi debere confitendo.

DE AESCHINE.

Recte itaque Aeschines, cum propter iudicialem ignominiam relictis Athenis Rhodum petisset, atq; ibi rogatu ciuitatis suã prius in Ctesiphontem, deinde Demosthenis pro eodem orationẽ clarissima & suauissima voce recitasset, admirantibus cunctis vtriusque columinis eloquentiam, sed aliquanto magis Demosthenis, Quid si, inquit, ipsum audissetis? Tantus orator, & modo tam infestus aduersarius, sic inimici vim ardoremque dicendi suspexit, vt se scriptorum eius parum idoneum lectorem esse prædicaret, expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus. Ego et si operi illius adijci nihil potest, tamen in Demosthene magna pars Demosthenis abest, quòd legitur potius quàm auditur.

QVAM MAGNI EFFECTVS artium sint. Cap. XI.

Effectus etiã artium recogniti possunt aliquid afferre voluptatis: protinusque & q̃ vtiliter excogitatę sunt patebit, & memoratu dignæ res lucido in loco reponẽtur: & labor in his edendis suo fructu non carebit.

DE SVLPITIO GALLO.

Sulpitij Galli maximum in omni genere literarũ recipiendo studium plurimũ Reipu. profuit. Nam cũ L. Pauli bellum aduersum regem Persen gerentis legatus esset, ac serena nocte subito

luna defeciſſet, eoq; veluti diro quodam mõſtro perterritus exercitus noſter, manus cum hoſte conſerendi fiduciam amiſiſſet: de cæli ratione, & ſyderum natura peritiſſime diſputando, alacrem eum in aciem miſit. Itaq; illi inclytæ Paulianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dederunt: quia niſi ille metum noſtrorum militum viciſſet, imperator Romanus vincere hoſtes non potuiſſet.

DE SPVRINA.

Spurinæ quoque in conſectandis deorum monitis efficacior ſcientia apparuit, quàm vrbs Romana voluit. Prędixerat C. Cæſari, vt proximos xxx dies quaſi fatales caueret: quorum vltimus erat idus Martiæ. Et cum forte mane vterque in domum Caluini Domitij ad officium conueniſſet, Cæſar Spurinæ, Ecquid ſcis idus Martias iã veniſſe? Et is, Ecquid ſcis illas nondum præteriiſſe? Abiecerat alter timorem, tanquam exacto tempore ſuſpecto: alter ne extremam quidem eius partem periculo vacuam eſſe arbitratus eſt. Vtinam aruſpicem potius augurium, quàm patriæ parentem ſecuritas fefelliſſet.

EXTERNA.

DE PERICLE.

Sed vt alienigena ſcrutemur, cũ obſcurato repẽte ſole, inuſitatis perfuſæ tenebris Athenę ſolicitudine agerẽtur, interitũ ſibi cæleſti denunciatione portẽdi credẽtes, Pericles proceſſit in mediũ, & quæ à præceptore ſuo Anaxagora pertinẽtia ad Solis & Lunæ curſũ acceperat, diſſeruit: necvlteriꝰ trepidare ciues ſuos vacuo metu paſſus eſt.

DE ALEXANDRO REGE.

Quantum porrò dignitatis a rege Alexandro tributum arti existimamus, qui se & pingi ab vno Apelle, & fingi a Lysippo tantummodo voluit?

DE VVLCANO ALCAMENIS.

Tenet visentes Athenas Vulcanus Alcamenis manibus fabricatus. Præter cætera enim perfectissimæ artis in eo præcurrentia indicia, etiam illud mirantur, quòd stat dissimulatæ claudicationis sub veste leuiter vestigium repræsentãs: vt non tanquam exprobratum vitium, ita tanquam certam propriamque dei notam decore significans.

DE VENERE PRAXITELIS.

Cuius cõiugem Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Cnidiorum collocauit, propter pulchritudinẽ operis à libidinoso cuiusdã cõplexu parum tutam. Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equæ, hinnitum edere coactus est: & canum latratus aspectu picti canis incitatus: tauruſque ad amorem & concubitum æneæ vaccæ Syracusis nimiæ similitudinis iritamento compulsus. Quid enim vacua rationis animantia arte decepta miremur, cum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus?

QVAEDAM NVLLA ARTE EFfici posse. Cap. XII.

CAeterum natura quẽadmodũ sæpenumero æmulã viriũ suarũ artem esse patiť, ita aliquãdo irritã fesso labore dimittit, quod

ſummi artificis Euphranoris manus ſenſerunt. Nam cum Athenis XII deos pingeret, Neptuni imaginem q̃ poterat excellentiſſimis maieſtatis coloribus cõplexus eſt, perinde ac Iouis aliquanto auguſtiorem repræſentaturus. Sed omni impetu cogitationis in ſuperiori opere abſumpto, poſteriores eius conatus aſſurgere quò tendebant nequiuerunt.

DE TIMANTE PICTORE.

Quid? ille alter æque nobilis pictor luctuoſum immolatæ Iphigeniæ ſacrificiũ referens, cum Calchantem triſtem, mœſtum Vlyſſem, clamãtem Aiacem, lamentantem Menelaum circa aram ſtatuiſſet, caput Agamemnonis inuoluẽdo, nonne ſummi mœroris acerbitatem arte exprimi non poſſe confeſſus eſt? Itaq; pictura eius, aruſpicis & amici & fratris lachrymis madet: patris fletũ, ſpectantis affectu æſtimandum reliquit.

DE ALIO PICTORE.

Atq; vt eiuſdem ſtudij adijciam exemplum, præcipuæ artis pictor equum ab exercitatione venientem, modo nõ viuum, labore induſtriæ ſuæ comprehenderat. Cuius naribus ſpumas adijcere cupiens, tantus artifex in tam paruula materia multum ac diu fruſtra tenebatur. indignatione deinde accenſus, ſpongiam omnibus imbutam coloribus forte iuxta ſe poſitam apprehendit, & eam, veluti corrupturus opus ſuum, tabulæ illiſit: quam fortuna ad ipſas equi nares directam, deſiderium pictoris coegit explere. Itaque quod ars adumbrare non valuit, caſus imitatus eſt.

SVAE QVENQVE ARTIS OPTIMVM ET AVTHOREM ESSE, ET DISPVTATOREM.

Caput XIII.

SVæ autem artis vnumquenq; & authorem & disputatorem optimum esse ne dubitemus, paucis exemplis admoneamus.

DE QVINTO SCAEVOLA.

Quintus Scæuola clarissimus legum vates, & certissimus, quotiescunq; de iure Prætorio consulebatur, ad Furium & Cassellium, quia huic scientiæ dediti erant, consultores reijciebat. quo quidem facto moderationem suam magis commendabat, q̃ authoritatem minuebat: ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius vsu callebant. Sapientissimi igitur artis suæ professores sunt, a quibus & propria studia verecunde, & aliena callide æstimantur.

DE PLATONE PHILOSOPHO.

Platonis quoq; eruditissimum pectus hæc cogitatio attigit, qui conductores sacræ arę, modum & formam eius secum sermone conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire iussit, scientiæ eius cedens, imò professioni.

DE ATHENIENSIBVS, & de Philone.

Gloriãtur Athenæ armamẽtario suo, nec sine causa. Est enim illud opus & impensa & elegãtia visendum: cuius architectum Philonem ita facunde rationẽ institutionis suæ in theatrò reddidisse constat, vt disertissimus populus non minorẽ

laudem eloquentiæ eius quàm arti tribueret.

DE QVODAM ARTIFICE.

Mirifice & ille artifex, qui in opere ſuo moneri ſe a ſutore de crepida & anſulis paſſus, de crure etiam diſputare incipientem, ſupra plantã aſcendere vetuit.

DE SENECTVTE.

Caput XIIII.

SEnectus quoque ad vltimum ſui finẽ proiecta, in hoc eodem opere inter exempla induſtriæ in aliquot claris viris conſpecta eſt. Separatum tamen & proprium titulum habeat, ne, cui deorum immortalium præcipua indulgentia affuit, & noſtra ornata mentio defuiſſe exiſtimetur, & ſimul ſpe diuturnioris vitæ quaſi adminicula quædam dentur, quibus inſiſtens alacriorem ſe reſpectu vetuſtæ felicitatis facere poſſit, tranquillitatemq; ſeculi noſtri, qua nulla vnquam beatior fuit, ſubinde fiducia confirmet, ſalutaris principis incolumitatem ad longiſſimos humanæ conditionis terminos prorogando.

DE M. VALERIO CORVINO.

M. Valerius Coruinus cẽteſimum annum compleuit: cuius inter primum & ſextum conſulatum quadragintaſex anni interceſſerũt, ſuffecitq; integris viribus corporis non ſolum ſpecioſiſſimis reip. miniſterijs, ſed etiam exactiſſimæ agrorum ſuorum culturæ, & ciuis & patrisfamiliæ optabile exemplum.

DE METELLO.

Huius vitæ ſpatium æquauit Metellus, quartoque

anno post consularia imperia senex admodum Pont. Max. creatus, tutelam ceremoniarum per duos & viginti annos, neq; ore in votis nuncupandis hæsitante, neq; in sacrificijs faciendis tremula manu gessit.

DE QVINTO FABIO MAXIMO.

Quintus autem Fabius Max. duobus & sexaginta annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta iam ætate id adeptus: quæ vtraque tempora si in vnum conferantur, facile seculi modum expleuerint.

DE MARCO PERPENNA.

Iam de Marco Perpenna quid loquar? qui omnibus quos in senatu rogauerat, superstes fuit, septemq; tantūmodo quos Censor collega Lucij Philippi legerat, e patribus C. reliquos vidit, toto ordine amplissimo diuturnior.

DE APPIO.

Appij vero æuum clade metirer, quia infinitū numerum annorum orbatus luminibus exegit, nisi quatuor filios, quinq; filias, plurimas clientelas, rem deniq; publicā hoc casu grauatus fortissime rexisset. Quinetiā fessus iam viuendo, lectica se in curiā deferri iussit, vt cū Pyrrho deformē pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, a quo patria quod honestum erat per se parum cernens, coacta est prouidere?

DE LIVIA RVTILII, DE TERENtia Ciceronis, & Clodia filia Auli.

Muliebris etiam vitæ spatium non minus longum in compluribus apparuit, quarum aliquas strictim retulisse satis erit. Nam & Liuia Rutilij

ſeptimum & nonageſimum, & Terētia Ciceronis tertium & centeſimum, & Clodia Auli filia quindecim filijs ante enixis, quintumdecimū & centeſimum expleuit annum.

DE MASINISSA REGE NVMIDIAE.

I ungam his duos reges, quorū diuturnitas reip. noſtræ fuit vtiliſſima. Siciliæ rector Hiero ad nonageſimum annum peruenit. Maſiniſſa rex Numidiæ hunc modum exceſſit, regni ſpatiū ſexaginta annis emenſus, & ante omnes homines robore ſenectæ admirabilis. Cōſtat eum, quemadmodum Cicero refert libro quem de ſenectute ſcripſit, nullo vnquam imbri, nullo frigore, vt caput ſuum veſte tegeret, adduci potuiſſe. Eūdem ferunt aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, non ante moto pede, quàm cōſimili labore iuuenes fatigaſſet: ac ſi quid agi a ſedente oporteret, toto die ſępenumero nullam in partē conuerſo corpore in ſolio duraſſe. Ille vero etiā exercitus, equo inſidēs, noctem diei plerūq; iungēdo, duxit: nihilq; omnino ex ijs operibus quæ adoleſcens ſuſtinere aſſueuerat, quo minus in ſenectute ageret, omiſit. Veneris etiā vſu ita ſemper viguit, vt poſt ſextū & octogeſimum annū filiū generaret, cui Methymato nomē fuit. Terram quoque quam vaſtam & deſertam acceperat, perpetuo culturæ ſtudio frugiferam reliquit.

DE GORGIA LEONTINO PHILOSOPHO.

G orgias etiam Leontinus, Iſocratis & cōplurium

magni ingenij virorum præceptor, sua sententia felicissimus. Nam cum centesimum & septimũ ageret annũ, interrogatus quapropter tãdiu vellet in vita remanere: quia nihil, inquit, habeo quod senectutem meam accusem. Quid isto tractu ætatis aut longius, aut beatius? Iam alterum seculum ingressus, neq; in hoc querelam vllam inuenit, neq; in illo reliquit.

DE XENOPHILO CHALcidensi Pythagorico.

Biennio minor Xenophilus Chalcidẽsis Pythagoricus, sed felicitate non inferior. siquidem, vt ait Aristoxenus musicus, omnis humani incõmodi expers, in summo perfectissimæ splendore doctrinæ extinctus est.

DE ARGANTONIO Gaditano.

Argantonius autem Gaditanus tandiu regnauit, quandiu etiam ad satietatem vixisse abunde foret. Octoginta enim annis patriã suam rexit, cũ ad imperium sexaginta annos natus accessisset. cuius rei certi sunt authores. Asinius etiã Pollio non minima pars Ro. styli, in tertio historiarũ suarum libro cẽtum illum & triginta annos expleuisse commemorat, & ipse numerosæ viuacitatis haud paruum exemplum.

DE AETHIOPIBVS ET INDIS.

Huius regis consummationem annorum minus admirabilem faciunt Aethiopes, quos Herodotus scribit centesimum & trigesimum annum transgredi: & Indi, de quibus Ctesias idem tradit.

DE EPIMENIDE CNOSIO.

Et Epimenides Cnosius, quem Theopompus dicit septem & quinquaginta & centum annos vixisse.

DE QVIBVSDAM EPIORVM.

Hellanicus vero ait quosdam ex gente Epiorum, quæ est pars Aetoliæ, ducentos explere annos: eique subscribit Damiates, hoc amplius firmãs, Litorium quendam ex his maximarum virium, staturæque præcipuę trecentesimum annum cumulasse.

DE DANDONE QVODAM.

Alexander vero in eo volumine quod de Illyrico tractu composuit, affirmat Dãdonem quendam ad quingentesimum vsq; annũ nulla ex parte senescentem processisse. Sed multo liberalius Xenophon, cuius περὶ γήρως legitur. Is enim Latinorũ regem octingentis vitæ annis donauit: ac ne pater eius parũ benigne acceptus videretur, ei quoq; sexcentos assignauit annos.

DE CVPIDITATE GLORIAE.

Caput XV.

GLoria vero vnde oriatur, aut cuius sit habitus, aut qua ratione debeat comparari, & an melius a virtute velut non necessaria negligatur, viderint ij quorum in contẽplandis huiusmodi rebus cura teritur, quibusq; etiam quæ prudenter animaduerterunt, facũde contigit eloqui. Ego in hoc opere factis authores, & authoribus facta sua reddere contẽtus, quanta cupiditas eius esse soleat, proprijs exemplis demõstrare conabor.

DE SVPERIORE AFRICANO.

Superior Africanus Ennij poetæ effigiem in monimentis Corneliæ gentis collocari voluit, quòd ingenio eius opera sua illustrata iudicaret: non quidem ignarus, quãdiu Romanum imperium floreret, & Africa Italiæ pedibus esset subiecta, totiusq; terrarum orbis summum culmẽ arx Capitolina possideret, eorum extingui memoriam non posse, si tamen illis literarum quoq; lumen accessisset, magni æstimãs. Vir Homerico, quàm rudi atq; impolito præconio dignior.

DE DECIO BRVTO.

Similiter honoratus animus erga poetam Acciũ Decij Bruti suis temporibus clari ducis extitit: cuius familiari cultu, & prõpta laudatione delectatus, eius versibus templorum aditus, quæ ex manubijs consecrauerat, adornauit.

DE POMPEIO MAGNO.

Ne Pompeius quidem magnus ab hoc affectu gloriæ auersus, qui Theophanem Mitylenæum scriptorem rerum suarum in concione militum ciuitate donauit, beneficium per se amplũ, accurate tamen & testata oratione prosecutus. Quo effectum est, vt ne quis dubitaret quin referret potius gratiam, q̃ inchoaret.

DE LVCIO SYLLA.

Lucius autem Sylla etsi ad neminẽ scriptorem animũ direxit, tamẽ Iugurtha a Boccho rege ad Mariũ perducto, totã sibi laudẽ cupide asseruit, vt annulo quo signatorio vtebatur, sculptã illam traditionem haberet. & quantus postea? ne minimum quidem gloriæ vestigium contempsit.

DE SCIPIONE, ET QVOdam equite.

Atque vt imperatoribus glorioſum militis ſpiritũ ſubnectam, Scipionẽ dona militaria ijs qui ſtrenuam operam ediderant, diuidentem, T. Labienus vt forti equiti aureas armillas tribueret, admonuit: eoq; ſe negante id facturum, ne caſtrenſis honos in eo, qui paulo ante ſeruiſſet, violaretur, ipſe ex pręda Gallica aurum equiti largitus eſt: nec tacite id Scipio tulit. Nam equiti, Habebis, inquit, donum viri diuitis. quod vbi ille accepit, proiecto ante pedes Labieni auro, vultum demiſit. Idem vt audiuit Scipionem dicẽtem, Imperator te argenteis armillis donat, alacer gaudio abijt. Nulla eſt ergo tanta humilitas,
» quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Illa vero
» & a claris viris interdum ex humillimis rebus
» petita eſt.

DE QVINTO FABIO.

Nam quid ſibi voluit Caiús Fabius nobiliſſimus ciuis? qui cum in æde Salutis, quam C. Iunius bubulcus dedicauerat, parietes pinxiſſet, nomen his ſuum inſcripſit. Id enim demum ornamenti familię conſulatibus & ſacerdotijs & triumphis celeberrimæ deerat. Cæterum ſordido ſtudio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem ſuum ſilentio obliterari noluit, videlicet Phidiæ ſecutus exemplum, qui clypeo Mineruæ effigiẽ ſuam incluſit, qua cõuulſa, tota operis colligatio ſolueretur.

EXTERNA.

DE THEMISTOCLE.

Sed melius aliquãto, si imitatione aliena capiebatur, Themistoclis ardorem esset æmulatus: quẽ ferunt stimulis virtutum agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus quid ita eo tempore in publico versaretur, respondisse, Quia metrophæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirum animum eius, & Arthemisium, & Salamis, naualis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabant. Idẽ theatrum petens, cum interrogaretur, cuius vox auditu illi futura esset gratissima, dixit, eius a quo artes meæ optime canentur. Dulcedini gloriæ pene adiecit gloriam.

DE ALEXANDRO REGE.

Nam Alexãdri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex authoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti, Heu me (inquit) miserum, quòd nec vno quidẽ adhuc sum potitus. Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit.

DE ARISTOTELE PHILOSOPHO.

Regis & iuuenis flagrantissimæ cupiditati similẽ Aristotelis in capessenda laude sitim subnectã. Is nãque Theodecti discipulo oratoriæ artis libros, quos ederet, donauerat: molesteque postea ferens titulum eorum sic alij cessisse, proprio volumine quibusdam rebus insistens, planius sibi de his in Theodectis libris dictum esse adiecit. Nisi me tantæ & tam late patentis scientiæ ve-

recundia teneret, dicerem dignum philoſophũ, cuius ſtabiliendi mores, altioris animi Philoſopho traderẽtur. Cæterum gloria ne ab ijs quidẽ qui cõtẽptũ eius introducere conantur, negligitur: quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adijciunt, vt quod profeſſione eleuant, vſurpatione memoriæ conſequantur. Sed qualiſcunq; horum diſſimulatio, propoſito illorum longe tolerabilior eſt, qui dum æternã memoriam aſſequerentur, etiam ſceleribus innoteſcere non dubitarunt.

DE PAVSANIA.

Quorum e numero neſcio an in primis Pauſanias debeat referri. nam cum Hermoclem percontatus eſſet quonam modo ſubito clarus poſſet euadere, atq; is reſpondiſſet, ſi illuſtrem virum aliquem occidiſſet, futurũ vt gloria eius ad ipſum redundaret: continuo Philippum interemit. & quidem quod petierat, aſſecutus eſt. Tam enim ſe parricidio, quàm Philippus virtute notum poſteris reddidit.

DE QVODAM QVI PROPTER GLORIAM incendere voluit templum Dianæ.

Illa vero gloriæ cupiditas ſacrilega. Inuentus eſt enim qui Dianæ Epheſiæ templũ incẽdere vellet, vt opere pulcherrimo cõſumpto, nomẽ eius per totum terrarum orbem diffunderetur. quẽ quidem mentis furorem eculeo impoſitus detexit. Ac bene conſuluerant Epheſij decreto memoriã teterrimi hominis abolendo, niſi Theopompi magnæ facundiæ ingenium in hiſtorijs eum ſuis comprehendiſſet.

QVAE CVIQVE MAGNIFICA CONtigerunt. Cap. XVI.

CAndidis autem animis voluptatem præbuerunt in conſpicuo poſita quæ cuique magnifica merito contigerunt: quia æque præmiorum virtus, atque honorum contemplatio iudicanda eſt, ipſa natura nobis alacritatem ſubminiſtrante, cum honorem induſtriæ appeti & exolui grate videmus. Verum & ſi mens hoc loco protinus ad auguſtam domum beneficentiſſimum & honoratiſſimum templũ omni impetu feratur, melius cohibebitur, quoniam cui aſcenſus in cælum patet, quanuis maxima, debito tamen minora ſunt quæ in terris tribuuntur.

DE SVPERIORE AFRICANO.

SUperiori Africano conſulatus citerior legitimo tempore datus eſt: quod fieri oportere, exercitus Senatum literis admonuit. Ita neſcias vtrum illi plus decoris Patrũ Conſcriptorũ authoritas, an militum cõſilium adiecerit. Toga enim Scipionem ducem aduerſus Pœnos creauit, arma popoſcerunt: cui quæ in vita præcipua aſſignata ſunt, & longum eſt referre, quia multa: & non neceſſarium, quia maiore ex parte iam relata ſunt. Itaq; quod hodie quoq; eximium eius memoria capit, adijciam. Imaginem in cella Iouis Opti. Max. poſitam habet, quæ quotieſcunque munus aliquod Corneliæ gentis celebrandũ eſt, inde petitur: vnique illi inſtar atrij Capitolium eſt, tam hercle, quàm curia, ſuperioris Catonis

effigies,ad eius generis officia expromit. Gratum ordinem, qui vtiliſſimũ Reipublicæ ſenatorem tantum non ſemper ſecum habitare voluit,omnibus numeris virtutis diuitẽ, magiſq; ſuo merito, quàm fortunæ beneficio magnum: cuius prius cõſilio, quàm Scipionis imperio eſt deleta Carthago.

DE SCIPIONE NASICA.

Verum ſpecimen honoris a Scipione quoque Naſica oboritur. eius nanq; manibus & penatibus nondũ quæſtoris Senatus Pythij Apollinis monitu Peſſinunte accerſitam deam excipi voluit: quia eodem oraculo præceptũ erat,vt hæc miniſteria matri deûm a ſanctiſſimo viro præſtarẽtur.Explica totos faſtos,conſtitue omnes currus triumphales: nihil tamen in eorum principatu ſpecioſius reperies.

DE SCIPIONE AEMILIANO.

Tradunt ſubinde nobis ornamenta ſua Scipiones cõmemoranda. Aemilianum enim populus ex candidato ædilitatis,Conſulem fecit,eundemq;, cum quæſtorijs comitijs ſuffragator Qu. Fabij Marci fratris filij in campum deſcendiſſet,Conſulem iterũ reduxit. Eidem ſenatus bis ſine ſorte prius Africam,deinde Hiſpaniam dedit:atq; hæc neque ciui cupido,neq; ſenatori ambitioſo: quemadmodum non ſolum vitæ eius ſeueriſſimus curſus, ſed etiam mors clandeſtinis illata inſidijs declarauit.

DE M. VALERIO.

Marcum quoq; Valerium duabus rebus inſignibus Dij pariter atque ciues ſpecioſum reddiderunt:

illi,cum quodam Gallo cõmunis pugnanti coruum pugnatorem ſubijcientes:ij tertiũ & vigeſimum annum ingreſſo cõſulatum largiti: quorum alterum decus vetuſtæ originis optimi hominis gens Coruina amplexa cognomen vſurpat:alterum ſummo ſubiungitur ornamento,tam celeritate, quàm principio conſulatus gloriando.

DE Q. SCAEVOLA.

At ne Quinti quidem Scæuolæ,quẽ Lucius Craſſus in conſulatu collegam habuit,gloria parum illuſtris: qui Aſiam tam ſancte & tam fortiter obtinuit, vt ſenatus deinceps in eam prouinciã ituris magiſtratibus,exemplum atque formam officij Scęuolam decreto ſuo proponeret.

DE CAIO MARIO.

Inhærent illi voci poſterioris Africani ſeptẽ C. Marij conſulatus,ac duo ampliſſimi triumphi. Ad rogum enim vſq; gaudio exultauit.qui cum apud Numantiam ſub eo duce ſtipendia equeſtria mereret, & forte inter cœnam quidã Scipionẽ interrogaſſet,ſi quid illi accidiſſet, quem nam Reſp.æque magnum habitura eſſet imperatorem, reſpiciens ſe ſupra ipſum cubantem, vel hunc,dixit.quo augurio perfectiſſima virtus maximã oriẽtem virtutẽ viderit ne certius, an efficacius acciderit,perpendi vix poteſt.Illa nimirum cœna militaris ſpecioſiſſimas tãta in vrbe Mario futuras cœnas ominata eſt. Nã poſtq; Cimbros ab eo deletos initio noctis nũcius peruenit,nemo fuit qui non illi tanquam Dijs immortalibus apud ſacra menſæ ſuæ libauerit.

DE CN. POMPEIO.

Iam quæ in Cneum Pompeium & ampla & noua gesta sunt, hinc assensione fauoris, illinc fremitu inuidiæ, literarum monimentis obstrepitur. Eques Romanus proconsul in Hispaniam aduersus Sertorium pari imperio cum Pio Metello principe ciuitatis missus est. Nondum illum honorem auspicatus, bis triumphauit. Initia magistratuum a summo imperio cepit. Tertium consulatum decreto senatus solus gessit. De Mithridate & Tigrane, de multis præterea regibus & gentibus, plurimisque ciuitatibus & prædonibus vnum dixit triumphum.

DE Q. CATVLO.

Quintum etiam Catulum Populus Romanus voce sua tantum non ad sydera vsque euexit. Nam cum ab eo pro Rostris interrogaretur, si in vno Pompeio magno omnia reponere perseuerasset, absumpto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus, summo consensu acclamauit, In te. Vim honorati iudicij admirabilem. siquidem magno Pompeio cum omnibus ornamentis quæ retuli, duarum syllabarum spatio incluſum Catulum æquauit.

DE M. CATONE.

Potest & M. Catonis e Cypro cum regia pecunia reuertētis appulsus ad ripam Tyberis, memorabilis videri: cui naue egredienti Consules & cæteri magistratus, & vniuersus S. P. Q. R. officij gratia præsto fuit, non quòd magnum pōdus auri & argenti, sed quod M. Catonem clas-

sis illa incolumem aduexerat, letatus.

DE LVCIO MARTIO.

Sed nescio an præcipuum sit L. Martij inusitati decoris exemplum, quem equitem Romanum duo exercitus P. & Cn. Scipionum interitu, victoriaque Hasdrubalis lacerati, ducem legerũt: quo tẽpore salus eorũ in vltimas angustias deducta, nullum ambitioni locum relinquebat.

DE SVLPITIA.

Merito commemorationi virorum Sulpitia Seruij Paterculi filia, Qu. Flauij Flacci vxor adijcitur: quæ cum senatus libris Sibyllinis per decẽuiros inspectis censuisset vt Veneris Verticordiæ simulacrum consecraretur, quò facilius virginum mulierumq; mens a libidine ad pudicitiam cõuerteretur, & ex omnibus matronis cẽtum, ex cẽtum autem decem sorte ductæ, de sanctissima fœmina iudicium facerent, cunctis castitate prælata est.

EXTERNA.

DE PYTHAGORA.

Cæterum quia sine vlla diminutione Romanæ maiestatis externa quoque insignia respici possunt, ad ea trãsgrediamur. Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est, vt quæ ab eo acceperãt, in disputationem deducere nefas existimarent. Quinetiam interpellati ad reddendã causam, hoc solum respondebant: ἀυτὸς ἔφα. Magnus honos, sed schola tenus. Illa vrbiũ suffragijs tributa est.

DE EODEM PYTHAGORA.

Enixo Crotoniatæ studio ab eo petierunt, vt se-

natum ipſorum, qui mille hominum numero conſtabat, conſilijs ſuis vti pateretur: opulentiſſimaque ciuitas tam frequenter venerati, poſt mortem domum eius Cereris ſacrarium fecerunt: quamque illa vrbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus eſt.

DE GORGIA LEONTINO.

Gorgiæ vero Leontino ſtudijs literarum ætatis ſuæ cunctos præſtanti, adeo vt primus in conuentu poſcere qua de re quiſque audire vellet, auſus ſit, vniuerſa Græcia in templo Delphici Apollinis ſtatuam ſolido ex auro poſuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocaſſet.

DE AMPHIARAO.

Eadem gens ſummo conſenſu ad Amphiaraum decorandum incubuit, locum in quo humatus eſt, in formam conditionemque templi redigendo, atque inde oracula capi inſtituendo. Eius cineres idem honoris poſſident, quod Pythicæ Cortinę, quod aheno Dodonæ, quod Hammonis fronti datur.

DE PHERENICE, AVT, VT alij legunt, Beronice.

Pherenices quoq; nõ vulgaris honos, cui ſoli omnium fœminarum gymnico ſpectaculo intereſſe permiſſum eſt, cũ ad Olympia filium Euclea certamẽ ingreſſum adduxiſſet, Olympionica patre genita, fratribus eandem palmam aſſecutis latera eius cingentibus.

VALERII MAXIMI LIBER NONVS.

DE LVXVRIA. Cap. I.

RAndum etiam malũ luxuria, quã accuſare aliquãto facilius eſt, quàm vitare, operi noſtro inſeratur: non quidem vt vllum honorẽ recipiat: ſed vt ſeipſam recognoſcens, ad pœnitentiam impelli poſſit. Iungatur illi libido, quoniam ex ijſdem vitiorum principijs oritur: neque aut a reprehenſione, aut ab emendatione ſeparentur, gemino mentis errore connexæ.

DE C. SERGIO ORATA.

Caius Sergius Orata pẽſilia balnea primus facere inſtituit: quæ impenſa leuibus initijs cœpta, ad ſuſpenſa calidæ aquæ tantum non æquora penetrauit. Idem videlicet ne gulã Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit, æſtuarijs intercipiendo fluctus, piſciumq; diuerſos greges ſeparatis molibus includẽdo, vt nulla tam ſæua tempeſtas incideret, qua nõ oneratæ menſæ varietate piſciculorum abundarent. Aedificijs etiam ſpatioſis & excelſis deſerta ad tempus ora Lucrini lacus preſſit, quò recentiore vſu conchyliorum frueretur: vbi dum ſe publicę aquæ cupidius immergit, Conſidij publicani iudicium nactus eſt: in quo Lucius Craſſus aduerſus illum cauſam agens, errare amicũ ſuum Cõſidium dixit, quòd putaret Oratam remotum a lacu cariturum oſtreis. nãq; ea ſi inde petere nõ

licuiſſet, in tegulis reperturum. Huic nimirum magis Aeſopus Tragœdus in adoptionem dare filium ſuum, quàm bonorum ſuorum hæredem relinquere debuit, non ſolum perditæ, ſed etiam furioſæ luxuriæ iuuenem: quem conſtat cantu commendabiles auiculas immanibus emptas pretijs, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ ſummæ vniones potionibus aſpergere ſolitum, ampliſſimum patrimonium tanquam amaram aliquam ſarcinam quamcelerrime abijcere cupiẽtem: quorum alterius ſenis, alterius adoleſcentis ſectam ſecuti, longius manum porrexerunt. neque enim vllum finitur vitium ibi, vbi oritur. Inde ab Oceani littoribus attracti piſces, inde infuſæ culinis arcæ, cenſibuſque edendi atque bibendi voluptas reperta eſt.

DE MVLIERIBVS ROMANIS.

Vrbi autem noſtræ ſecundi belli Punici finis, & Philippus rex Macedoniæ deuictus, licentioris vitæ fiduciam dedit: quo tempore matronę Brutorum domum auſæ ſunt obſidere, qui abrogationi legis Oppiæ intercedere parati erant, quã fœminæ tolli cupiebant, quia his nec veſte varij coloris vti, nec auri plus ſemuncia habere, nec iuncto vehiculo propius vrbem mille paſſibus, niſi ſacrificij gratia, vehi permittebat. Et quidem obtinuerunt, vt ius per continuos viginti annos ſeruatum, aboleretur. nec enim prouiderunt ſeculi illius viri, ad quem cultum tenderet inſoliti cœtus pertinax ſtudium, aut quò ſe vſq; effuſura eſſet legum victrix audacia. quod

si animi muliebris apparatus intueri potuissent, quibus quotidie aliquid nouitatis sumptuosius adiectum est, in ipso introitu ruenti luxuriæ obstitissent. Sed quid ego de fœminis vlterius loquor? quas & imbecillitas mentis, & grauiorum operum negata affectatio, omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre: cum tẽporum superiorum & nominis & animi excellentes viros in hoc priscæ continentiæ ignotum diuerticulum prolapsos videã, idq; iurgio ipsorum pateat?

DE CN. DOMITIO, ET L. CRASSO.

Cneus Domitius Lucio Crasso collegæ suo altercatione orta obiecit, quòd columnas Hymettias in porticu domus haberet: quem cum continuo Crassus quanti ipse domum suam æstimaret interrogaret, atq; vt respondit, sexagies sestertio: quo ergo eã, inquit, minoris fore æstimas, si decem arbusculas inde succidero ipse? tricies sestertio, inquit Domitius. Tunc Crassus, Vter igitur luxuriosior est? egó ne, qui decẽ colũnas C. millibus nummûm emi? an tu, qui decem arbusculaarum vmbrã tricies sestertiûm summa compẽsas? Sermonem oblitum Pyrrhi, immemorem Hannibalis, iamq; transmarinorũ stipendiorũ abundantia oscitantem: & quanto tamen insequentiũ seculorum ædificijs & nemoribus augustiorem ritum introduxerunt? Atqui inchoatam a se lautitiam posteris relinquere, q̃ a maioribus acceptam continentiam retinere maluerunt.

DE METELLO PIO.

Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius, tunc cum in Hispania aduentus suos ab hospitibus aris & thure excipi patiebatur? cum Attalicis aulæis contectos parietes læto animo intuebatur? cum immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? cum palmata veste conuiuia celebrabat? demissasque lacunaribus aureas coronas velut cælesti capite recipiebat? & vbi ista? non in Græcia, neque in Asia, quarum luxuria seueritas ipsa corrumpi poterat, sed in horrida & bellicosa prouincia, cum præsertim acerrimus hostis Sertorius Romanorum exercituum oculos Lusitanis telis perstringeret. adeo patris illi sui Numidica castra exciderant. Patet igitur quàm celeri transitu luxuria affluxerit. Nã cuius adolescentia priscos mores vidit, senectus nouos orsa est.

DE CVRIONIBVS.

Consimilis mutatio in domo Curionum extitit. Siquidem forum nostrum, & patris grauissimũ supercilium, & filij sexcenties sestertiũ æris alieni aspexit, contractum famosa iniuria nobilium iuuenum. Itaq; eodem tempore, & in ijsdem penatibus diuersa secula habitarunt, frugalissimũ alterum, alterum nequissimum.

DE PVBLIO CLODIO.

Publij autem Clodij iudicium quanta luxuria & libidine abundauit? in quo vt euidenter incesti crimine nocens reus absolueretur, noctes matronarum & adolescentium nobilium magna

ſumma emptæ mercedis loco iudicibus erogatæ ſunt. quo in flagitio tam tetro tamq; multiplici neſcias primũ quem deteſtere, an qui iſtud coruptelæ genus excogitauit, an qui pudicitiã ſequeſtrem periurij fieri paſſi ſunt, an qui religionem ſtupro permutarunt.

DE GEMELLO TRIBVNITIO.

Aeque flagitioſum illud conuiuiũ, quod Gemellus Tribunitius viator ingenui ſanguinis, ſed officij intra ſeruilem habitũ deformis, Metello & Scipioni conſulibus ac tribunis plebis magno cum rubore ciuitatis comparauit. Lupanari enim domi ſuæ inſtituto, Mutiam & Fuluiam, tum a patre tum a viro vtrãq; inclytam, & nobilem puerum Saturninũ in eo proſtituit. Probroſa proſapiæ corpora, ludibrio temulentæ libidinis futura. Epulas conſulibus & tribunis non celebrandas, ſed vindicandas.

DE CATILINA.

Verum præcipue Catilinæ libido ſceleſta. nam veſano amore Aureliæ Oreſtillæ correptus, cum vnum impedimentum videret quo minus nuptijs inter ſe iungerentur, filium ſuum, quem & ſolum, & ætate iam puberem habebat, veneno ſuſtulit, protinuſque ex rogo eius maritalem facem accendit, ac nouæ maritę orbitatem ſuam loco muneris erogauit. Eodem deinde animo ciuem gerens, quo patrem egerat, filij pariter manibus & nefarie attẽtatę patriæ pœnas dedit.

DE HANNIBALE.

At Campana luxuria perquam vtilis ciuitati no-

ſtræ fuit. Inuictum enim armis Hannibalem, illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantiſſimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, veneris vſu laſciuiore ad ſomnum & delicias euocauit. Actum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Seplaſia ei & Albana, caſtra eſſe cœperunt. Quid ergo his vitijs fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ lãgueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnãtur, adeo vt neſcias, ab hoſtibúsne, an ab illis capi, pernicioſius habendum ſit.

DE VOLSCINIENSIBVS.

Quæ etiam Volſciniẽſium vrbem grauibus & erubeſcendis cladibus implicarunt. Erat opulenta, erat moribus & legibus ornata. Hetrurię caput habebatur. ſed poſtquã luxuria prolapſa eſt, in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit, vt ſeruorũ ſe inſolentiſſimæ dominationi ſubijceret: qui primum admodum pauci ſenatorium ordinem intrare auſi, mox & vniuerſam rempublicam occupauerunt, teſtamenta ad arbitrium ſuum ſcribi iubebant, conuiuia cœtuſque ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimoniũ ducebant: poſtremo lege ſanxerunt, vt ſtupra ſua in viduis pariter atq; nuptis impunita eſſent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet.

DE XERXE.

Age, Xerxes opum regiarum ostẽtatione eximia eousq; luxuria gaudens, vt edicto præmium ei proponeret, qui nouum voluptatis genus reperisset: quãta, dum delicijs nimijs capitur, amplissimi imperij ruina euasit?

DE ANTIOCHO REGE SYRIAE.

Antiochus quoq; Syriæ rex nihilo contemptioris exempli: cuius cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit, argenteaque vasa ad vsum culinæ comparauit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Auaro potius hosti præda optabilis, quàm vlla ad vincendum strenuo mora.

DE PTOLEMAEO REGE AEGYPTI.

Iam Ptolemæus rex accessione vitiorum suorum vixit, ideoque Physcon appellatus est: cuius nequitia quid nequius? Sororem natu maiorem communi fratri nuptam, sibi nubere coegit. postea deinde filia eius per vim stuprata, ipsam dimisit, vt vacuum locum nuptijs puellæ faceret.

DE POPVLO AEGYPTI.

Consentaneus igitur regibus suis, gẽtis Aegyptiæ populus, qui ductu Archelai aduersus Aulum Gabinium mœnibus vrbis egressus, cum castra vallo atque fossa cingere iuberet, vniuersus succlamauit, vt id opus publica pecunia faciendum locaretur. quapropter delicijs tam enerues animi spiritum exercitus nostri sustinere non potuerunt.

DE CYPRIIS.

Sed tamen effœminatior multitudo Cypriorum, qui reginas ſuas, mulierũ corporibus velut gradibus conſtructis, quò mollius veſtigia pedum ponerent, currus conſcendere æquo animo ſuſtinebant. Viris enim, ſi modo viri erant, vita carere, q̃ tam delicato imperio obtemperare ſatius fuit. Hæc eſt ſocietas vitiorum laſciui vultus, & nouæ cupiditati inhærentium oculorum, ac delicato vultu affluentis, perq̃ varios illecebrarum motus volitantis animi.

DE CRVDELITATE.

Caput II.

CRudelitatis vero horridus habitus, truculenta ſpecies, violenti ſpiritus, vox terribilis, omnia minis & cruentis imperijs referta: cui ſilentiũ donare, incrementum eſt adijcere. Etenim quem modum ſibi ipſa ſtatuet, ſi ne ſuggillationis quidem frenis fuerit reuocata? Ad ſummam, cum penes illam ſit timeri, penes nos ſit odiſſe.

DE LVCIO SYLLA.

Lucius Sylla, quem neq̃ laudare neq̃ vituperare quiſquam ſatis digne poteſt, quia dũ quærit victoriam, Scipionem ſe Po. Romano: dũ exercet, Hannibalem repræſentauit. Egregie nãq̃ authoritate nobilitatis defenſa, crudeliter totam vrbẽ atque omnes Italiæ partes ciuilis ſanguinis fluminibus inundauit. Quatuor legiones contrariæ partis, fidem ſuam ſecutas, in publica villa, quæ in Martio campo erat, nequicq̃ fallacis dextræ miſericordiam implorãtes, obtrũcari iuſſit: qua-

rum lamentabiles quiritatus trepidæ, ciuitatis aures receperunt, lacerata ferro corpora Tyberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. Quinq; millia Prenestinorum spe salutis per P. Cethegum data, extra mœnia municipij euocatos, cum abiectis armis humi corpora prostrauissent, interficienda, protinusq; per agros dispergenda curauit. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos, in tabulas publicas retulit, videlicet ne memoria tam præclaræ rei diluueretur. Nec contentus in eos sæuire, qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi ciues propter pecuniæ magnitudinem per nomenclatorem conquisitos, proscriptorum numero adiecit. Aduersus mulieres quoque gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: Abscissa miserorũ capita, modo non vultum ac spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, vt oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. Quàm porro crudeliter se in Mar. Mario prætore gessit? quẽ per ora vulgi ad sepulchrum Luctatiæ gentis pertractum, non prius vita priuauit, quàm oculos infelicis erueret, & singulas corporis partes confringeret. Vix mihi verisimilia narrare videor. At ille etiam M. Pletoriũ, quòd ad eius supplicium exanimis ceciderat, cõtinuo ibi mactauit: nouus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelꝰ admittere fuit. Sed mortuorum vmbris saltem pepercit? Minime. Nã C. Marij, cuius etsi postea hostis, Quæ-

ſtor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alueum ſparſit: ex quibus actis felicitatis nomen aſſerendum putauit.

DE CAIO MARIO.

Cuius tamē crudelitatem, C. Marij inuidia leuat, nam & ille nimia cupiditate perſequendi inimicos, iram ſuam nefarie diſtrinxit, C. Cæſaris Cōſularis & Cenſorij nobiliſſimum corpus ignobili ſæuitia trucidando, & quidem apud ſeditioſiſſimi & abiectiſſimi hominis Varij buſtū. Id enim malorum miſeriæ tunc Reipublicæ deerat, vt Varij Cæſar piaculo caderet. Pene tanti victoriæ eius non fuerunt: quarum oblitus, plus criminis domi, quàm laudis in militia meruit. Idem caput M. Antonij abſciſſum ſuis manibus inter epulas per ſummam animi ac verborum inſolentiā aliquandiu tenuit, clariſſimiq; & ciuis & oratoris ſanguine contaminari menſæ ſacra paſſus: atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in ſinum ſuum recentis cædis veſtigijs adſperſum recepit.

DE DAMASIPPO.

Damaſippus nihil laudis habuit quod corrumperet. Itaque memoria eius licentiore accuſatione perſtringitur, cuius iuſſu principum ciuitatis capita hoſtiarum capitibus permiſta ſunt: Carboniſque Aruinæ truncum corpus patibulo affixum geſtatum eſt: adeo aut flagitioſiſſimi hominis prætura multum, aut Reipublicæ maieſtas nihil potuit.

DE NVMATIO FLACCO ROMANO.

Numatius enim Flaccus Põpeiani nominis acrior quàm probabilior defensor, cum ab imperatore Cæsare in Hispania inclusus mœnibus Attinguensium obsideretur, efferatam crudelitatem suam truculentissimo genere vesaniæ exercuit. Omnes enim eius oppidi ciues, quos studiosiores Cæsaris senserat, iugulatos, muris præcipitauit: fœminas quoq; , citatis nominibus virorũ qui in contrarijs castris erant , vt cædes coniugum suarum cernerent, & maternis gremijs superpositos liberos trucidauit. Infantes, alios in conspectu parentum humo infigi, alios superiectos pilis excipi iussit: quæ auditu etiam intolerabilia , Romano iussu, Lusitanis manibus administrata sunt, cuius gentis præsidio Flaccus vallatus , diuinis operibus vecordi pertinacia resistebat.

EXTERNA.

DE CARTHAGINENSIBVS.

Trãsgrediamur nunc ad illa, quibus vt par dolor, ita nullus nostræ ciuitatis rubor inest. Carthaginienses Attiliũ Regulum palpebris resectis, machina in qua vndiq; præacuti stimuli eminebãt, inclusum, vigilantia pariter & continuo tractu doloris necauerũt. Tormẽti genus, indignũ passo, autoribus digniſſimum. Eadem crudelitate vsi in milites nostros, Martis certamine in suã potestatẽ redactos nauibus substrauerũt, vt earũ carinis ac pondere elisi, inusitata ratione mortis barbaram feritatẽ satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi.

DE HANNIBALE.

Horum dux Hannibal, cuius maiore ex parte virtus sæuitia constabat, in flumine Gelo corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit, vt æque terrestrium scelestum Carthaginensium copiarũ egressum terra, quàm maritimarum Neptunus experiretur. Idem captiuos nostros oneribus & itinere fessos, iam prima pedum parte succisa relinquebat. Quos vero in castra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat: neque ante sanguine explebatur, quàm ad vnum victorem omnes redegisset. Iusto ergo illum odio, veruntamen tardo supplicio, Senatus, Prusiæ regi factum supplicem, ad voluntariam mortem compulit.

DE REGE MITHRIDATE.

Tam hercle, quàm Mithridatem regem, qui vna epistola octoginta millia ciuium Romanorum in Asia per vrbes negotiandi gratia dispersa interemit: tãtæq; prouinciæ hospitales deos iniusto, sed non inulto cruore respersit: quoniam cũ maximo cruciatu veneno repugnantem spiritũ suum tandem succumbere coegit: simulque piacula crucibus illis dedit, quib⁹ illos amicos suos authore Gauro spadone libidinosus obsequio, scelestus imperio affecerat.

DE GENTIS THRACIAE REGINA.

Numulisinthis Diogiridis filię Thracię regis etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies sæuitiæ facit, cui neque viuos homines medios secare, neque

parentes liberorum vesci corporibus nefas fuit.

DE PTOLEMAEO REGE AEGYpti, & de Cleopatra.

Iterum Ptolemæus Physcon emergit, pauloante libidinosæ amentiæ teterrimum exemplum, idē etiam inter præcipua crudelitatis indicia referendus. Quid enim hoc facto truculentius? Filium suum nomine Memphitem, quē ex Cleopatra eadem sorore & vxore sustulerat, liberalis formæ, optimæ spei puerum, in cōspectu suo occidi iussit: pedes eius præcisos, & caput, & manus, in cistam chlamyde opertos pro munere natalitio matri misit, perinde quasi ipse cladis quā illi inferebat, expers, ac non infelicior, quòd in cōmuni orbitate Cleopatram miserabilem, cunctis se inuisum redderet. Adeo cæco furore summa quæq; efferuescit crudelitas, cui munimentum ex seipsa reperit. Nam cum animadueterteret quanto suo odio patria teneretur, timori remedium scelere petiuit: quòque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circundedit, omnesque qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necauit.

DE OCHO DICTO DARIO.

Ochus autē, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurādo obstrictus, ne quem ex coniuratione quæ septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitauit, quæ hos iunctos sibi, non perruptovinculo religionis tolleret. Septū enim

altis parietibus locum cinere compleuit, suppositoq; tigno prominente, benigno cibo & potione exceptos, in eo collocabat: e quo, somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebāt.

DE OCHO ARTAXERXE.

Apertior & tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham sororē, atq; eandem socrum, viuam capite defodit, & patruum cum centum & amplius filijs ac nepotibus vacua area destitutum, iaculis confixit, nulla iniuria lacessitus, sed quòd in his maximam apud Persas probitatis & fortitudinis laudem consistere videbat.

DE ATHENIENSIBVS.

Consimili genere æmulationis instincta ciuitas Athenienſium, indigno gloriæ suæ decreto Aeginenſiū iuuentuti pollices abscidit, vt classe potens populus, in certamen maritimarum virium secum descendere nequiret. Non agnosco Athenas, timori remedium à crudelitate mutuantes.

DE INVENTORE AENEI TAVRI.

Sæuus etiam ille æneitauri inuentor, quo inclusi, subditis ignibus, lōgo & abdito cruciatu mugitus resonantem spiritum edere cogebantur, ne eiulatus eorū humanæ sono vocis expressi, Phalaridis tyranni misericordiam implorare possent: quam, quia calamitosis deesse voluit, teterrimum artis suæ opus primus artifex inclusus merito auspicatus est.

DE HETRVSCIS.

At ne Hetrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui viuorum corpora cadaueribus

aduerſa aduerſis alligata atq; conſtricta, ita vt ſingulæ membrorum partes ſingulis eſſent accommodatæ, tabeſcere ſimul patiebantur: amari vitæ pariter ac mortis tortores.

DE BARBARIS.

Sicut illi Barbari, quos ferunt mactatarum pecudum inteſtinis & viſceribus egeſtis homines inſerere, ita vt capitibus tantummodo eminent: quóque diutius pœnæ ſufficiant, cibo & potione infelicem ſpiritum prorogãt, donec intus putrefacti, laniati ſint ab animalibus quæ tabidis in corporibus naſci ſolent. Queramur nũc cum natura rerum, quòd nos multis & aſperis aduerſæ valetudinis incommodis obnoxios eſſe voluerit: habitumq; cæleſtis roboris, humanæ conditioni denegatũ moleſte feramus, cum tot cruciatus ſibimet ipſa mortalitas impulſu crudelitatis excogitauerit.

DE IRA ET ODIO. Cap. III.

IRa quoq; aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant, procurſu celerior illa nocendi cupidine, hoc pertinacius. vterq; conſternationis plenus affectus, ac nunq̃ ſine tormento ſui violentus: quia dolorem cum inferre vult, patitur, amara ſolicitudine, ne non contingat vltio, anxius. ſed proprietatis eorum certiſſimæ ſunt imagines, quas dij ipſi in claris perſonis aut dicto aliquo aut facto vehemẽtiore conſpici voluerunt.

DE LIVIO SALINATORE.

Cum aduerſus Haſdrubalem Liuius Salinator bellum geſturus vrbe egrederetur, monente Fabio

Maxima, ne ante descenderet in aciem, q̃ hostiũ vires animumq; cognosceret, primam occasionẽ pugnandi nõ omissurum se respõdit: interrogatusque ab eodem, quid ita tam festinãter manũ conserere vellet, Vt quam celerrime (inquit) aut gloriam ex hostibus victis, aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam. Ira tunc atq; virtus sermonẽ eius inter se diuiserunt: illa iniustæ damnationis memor, hæc triũphi gloriæ intẽta. Sed nescio an eiusdẽ fuerit hoc dicere, & sic vincere.

DE CAIO FIGVLO.

Ardentis spiritus virum, & bellicis operibus assuetum, huc iracundiæ stimuli egerũt. C. autem Figulum mansuetissimum, pacato iuris ciuilis iudicio celeberrimum, prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eo quidem magis, quôd illũ bis patri suo datum meminerat, cum ad eum postero Comitiorum die multi cõsulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus, Omnes cõsulere scitis, Consulem facere nescitis. dictum grauiter & merito, sed tamen aliquanto melius non dictum.

DE PATRICIIS ROMANIS.

Nam quis Populo Ro. irasci sapiẽter potest? Itaq; ne illi quidem probandi, quanuis factum eorum nobilitatis splendore protectũ sit, qui quod Cn. Flauius humillimæ quondam sortis præturam adeptus erat, offensi, annulos aureos sibimet ipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt, doloris impotentia tantum nõ luctum profecto testati. Talis irę motus, aut singulorũ, aut pau-

corum aduersus populum vniuersum: multitudinis autem erga principes ac duces, eiusmodi.

DE IVVENIBVS ROMANIS, & Manlio Torquato.

Manlio Torquato amplissimã & glorioſissimã ex Latinis & Campanis victoriam in vrbẽ referẽti, cũ seniores omnes lætitia ouãtes occurrerẽt, iuniorum nemo obuiam proceſſit, q̃ filiũ adoleſcentem fortiſſime aduersus imperium ſuum præliatum, ſecuri percuſſum occidiſſet. Miſerti ſunt æquales nimis aſpere puniti: nec factũ eorũ defendo, ſed iræ vim indico, quæ vnius ciuitatis & ætates & affectus diuidere valuit. Eadẽq̃ tantũ potuit, vt vniuersum Populi Romani equitatum a Fabio conſule ad hoſtium copias perſequendas miſſum, cũ & tuto & facile eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorẽ, immobilem retineret.

DE APPIO CLAVDIO CONSVLE.

Illa vero etiam Appio duci, cuius pater dum pro ſenatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrime impugnauerat, infenſum exercitum faciendo, volũtaria fuga terga hoſti, ne triumphũ imperatori quẽreret, dare coegit. Quoties victoriæ victrix, congratulationem eius in Torquato ſpernendam, in Fabio pulcherrimam partem omittendam, in Appio totam fugæ poſtponendam reddidit?

DE EODEM, ET POP. ROM.

Age quàm violẽter ſe in pectore vniuerſi po. Roma. geſſit eodẽ tempore, quo ſuffragijs eius dedicatio ædis Mercurij M. Pletorio primipili cẽ-

turioni data est? præteritis consulibus, Appio, quòd obstitisset quo minus ære suo alieno succurreretur: & Seruilio, quòd susceptam causam suam languido patrocinio protexisset. Negas efficacem iram, cuius hortatu miles summo imperio prælatus est? quæ quidem non proculcauit tantum imperia, sed etiam gessit impotẽter.

DE METELLO.

NAnque Metellus cum vtranque Hispaniam consul prius, deinde proconsul pene iam subegisset, postquam cognouit Qu. Pomp. cõsulem inimicum suum successorem sibi mitti, omnes qui modo militiam voluerunt finire, dimisit: commeatus petentibus, nec causis excussis, nec constituto tempore, dedit: horrea, custodibus remotis, opportuna rapinæ præbuit. Arcus, sagittasque Cretensium frangi, atque in amnem abijci iussit. Elephantis cibaria dari vetuit. quibus factis, vt cupiditati suæ indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit, meritumq; honorem, triumphi hostium, quàm iræ fortior victor, amisit.

DE L. SYLLA.

Quid Sylla? dũ huic vitio obtẽperat, nonne multo alieno sanguine profuso, ad vltimum & suum erogauit? Puteolis enim ardẽs indignatione, q; Granius princeps eius coloniæ, pecuniam a decurionibus ad refectionẽ Capitolij promissam cunctãtius daret, animi concitatione nimia, atq; immoderatæ vocis impetu cõuulso pectore, spiritum cruore ac minis mistum euomuit, nec senio iam prolapsus, vtpote sexagesimum ingre-

diens annum, sed alita miseriis populi Romani impotentia furens. Igitur in dubio est, Syllane prior, an iracundia Syllæ sit extincta. Neque ab ignotis exempla petere iuuat, & maximis viris exprobrare vitia sua, verecundiæ est. Cæterũ cũ propositi fides excellentissima quæq; complecti moneat, voluntas operi cedat, dum præclara libenter probando, necessaria narrandi conscientia non desit.

EXTERNA.

DE ALEXANDRO REGE.

Alexandrum iracũdia sua propemodum cœlo deripuit. Nam quid obstitit quo minus illuc assurgeret, nisi Lysimachus leoni obiectus, & Clytꝰ hasta traiectus, & Calisthenes mori iussus? quia tres maximas victorias, totidem amicorum iniustis cædibus victor edidit.

DE HAMILCARE.

Quàm vehemẽs deinde aduersus populũ Romanum Hamilcaris odiũ? Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, eiusdẽ numeri catulos leoninos in perniciem imperij nostri alere se prędicabat, digna nutrimenta, quæ in exitium patriæ suæ, vt euenit, conuerterentur.

DE HANNIBALE.

E quibus Hannibal mature adeo patris vestigia subsecutus est, vt eo exercitum in Hispaniam traiecturo, & ob id sacrificante, octo annorum natus altaria tenens iuraret, se, cum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem po. Rom. futurum, vt pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret.

Idē ſignificare cupiens quanto inter ſe odio Carthago & Roma diſſiderent, inflicto in terram pede, ſuſcitatoq; puluere, tunc inter eas fore finem belli dixit, cum alterutra pars in habitum pulueris eſſet redacta. In puerili pectore tantum vis odij potuit: ſed in muliebri quoq; æque multum valuit.

DE SEMIRAMIDE REGINA Babylonis.

NAnque Semiramis Aſſyriorum regina, cum ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum eſſet Babylonem, defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam expugnandam cucurrit: nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm tantam vrbem in poteſtatem ſuam redegit. Quocirca ſtatua eius Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad vltionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.

DE AVARITIA. Cap. IIII.

PRotrahatur etiam in mediū Auaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ auidiſſima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miſerrima.

DE M. CRASSO, ET Q. HORTENSIO.

CUm admodum locupleti L. Minutio Baſilio falſum teſtamentū quidam in Græcia ſubieciſſet, eiuſdemq; confirmandi gratia potentiſſimos ciuitatis noſtræ viros M. Craſſum, & Q. Hortenſium, quibus Minutius ignotus fuerat, tabulis hæredes inſeruiſſet: quanquā euidens fraus erat,

tamen vterq; pecuniæ cupidus, facinoris alieni munus non repudiauit. Quãtam culpam quàm leuiter retuli? Lumina curię, ornamẽta fori, quod ſcelus vindicare debebãt, inhoneſti lucri captura inuitati, authoritatibus ſuis texerunt.

DE Q. CASSIO.

Verũ aliquanto maiores vires in Q. Caſſio exhibuit, qui in Hiſpania Siliũ & Calpurniũ occidẽdi ſui gratia cum pugionibus deprehẽſos, quinquagies ſeſtertiũm ab illo, ab hoc ſexagies pactus dimiſit. At quis dubitet ſi alterum tantum daretur, iugulum quoq; ſuum æquo animo illis fuiſſe præbiturum?

DE L. SEPTIMVLEIO.

Cæterũ auaritia ante omnes L. Septimuleij præcordia poſſedit, qui cum C. Gracchi familiaris fuiſſet, caput eius abſcindere, & per vrbem pilo fixum ferre ſuſtinuit, quia Opimius conſul auro id ſe repenſurum edixerat. Sunt qui tradant liquato plumbo eũ cauatam partem capitis, quo ponderoſius eſſet, expleſſe. Fuerit ille ſeditioſus, bono perierit exemplo: clientis tamen ſceleſta fames in has vſque iacentis iniurias eſurire non debuit.

DE PTOLEMAEO REGE CYPRIORVM.

Odio meritò Septimulei auaritia, Ptolemæi autem regis Cypriorum, riſu proſequẽda. nam cũ anxijs ſordibus magnas opes corripuiſſet, propterq; eas periturũ ſe videret, & ideo omni pecunia impoſita nauibus, in altũ proceſſiſſet, vt claſſe perforata ſuo arbitrio periret, & vt hoſtes præda carerent, non ſuſtinuit mergere aurum,

& argentum, ſed futurum ſuæ necis præmium domum reuexit. Proculdubio hic non poſſedit diuitias, ſed a diuitijs poſſeſſus eſt, titulo rex inſulæ: animo autem, pecuniæ miſerabile mancipium.

DE SVPERBIA, ET IMPOTENTIA. Cap. V.

De M. Fuluio Flacco.

ATq; vt ſuperbia quoq; & impotentia in conſpicuo ponãtur, Marcus Fuluius Flaccus conſul, Marci Planci Hipſei collega, cũ pernicioſiſſimas reipublicæ leges introduceret, de ciuitate dãda, & de prouocatione ad populum, eorum qui ciuitatem mutare voluiſſent, ægre compulſus eſt vt in curiam veniret: deinde partim monenti, partim oranti ſenatui, vt inceptо deſiſteret, reſponſum non dedit. Tyrannici conſul ſpiritus haberetur, ſi aduerſus vnum ſenatorem hoc modo ſe geſſiſſet, quo Fuluius in totius ampliſſimi ordinis contemnenda maieſtate verſatus eſt.

DE M. DRVSO TRIBVNO.

Quæ a M. quoq; Druſo Tri. Pleb. per ſummã contumeliam vexata eſt. parum enim habuit L. Philippum Conſulẽ, quia ſe interpellare concionãtem auſus fuerat, obtorta gula, & quidem nõ per viatorem, ſed per clientem ſuum, adeo violenter in carcerem præcipitem egiſſe, vt multus e naribus eius cruor perfunderetur. Verum etiam cũ ſenatus ad eũ miſiſſet vt in curiã veniret, Quare non potius, inquit, ipſe in Hoſtiliam propinquam Roſtris ad me venit? Piget adijcere quod

sequitur Tribunus Senatus imperiũ despexit, senatus Tribuni verbis paruit.

DE CN. POMPEIO.

Cn. autem Pompeius quàm insolenter egit? qui balneo egressus, ante pedes suos prostratum Hipseum ambitus reum, & nobilem virum, & sibi amicum, iacentem reliquit, contumelioſa voce proculcatum. Nihil enim eum aliud agere, quàm vt conuiuium suum moraretur, respõdit: & huius dicti cõscius, securo animo cœnare potuit. Ille vero etiam in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum legibus noxium quas ipse tulerat, in maxima quoque reorum & illustrium ruina, muneris loco a iudicibus deposcere, maritalis lecti blanditijs statum reipublicæ temperando.

DE MARCO ANTONIO.

Tetrum facto pariter ac dicto M. Antonij conuiuium. Nam cum ad eũ triumuirum Cesetij Rufi senatoris caput allatum esset, auersantibus id cæteris, propius admoueri iussit, ac diu diligẽterque considerauit. cunctis deinde expectantibus quidnam esset dicturus, hunc ego, inquit, notum non habui. Superba de senatore, impotens de occiso confessio.

EXTERNA.

DE ALEXANDRO REGE.

Satis multa de nostris, aliena nũc adijciãtur. Alexandri regis virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultauit euidẽtissimis. Fastidio enim

Philippi, Iouem Hammonem patrẽ aſciuit. Tę-dio morum & cultus Macedonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit. Spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus eſt: nec fuit ei pudori, filium, ciuem, hominem, diſſimulare.

DE XERXE REGE.

IAm Xerxes, cuius in nomine ſuperbia & impotẽtia habitat, ſuo iure q̃ inſolenter vſus eſt, quod græciæ indicturus bellũ, adhibitis Aſiæ principibus, Ne viderer, inquit, meo tantũmodo vſus conſilio, vos contraxi: cæterũ memẽtote parendum magis vobis, q̃ ſuadendũ. Arroganter, etiã ſi victori repetere ei regiam contigiſſet. tam deformiter victi neſcias vtrum inſolentius dictum, an impudentius.

DE HANNIBALE.

HAnnibal autẽ Cannenſis pugnæ ſucceſſu elatus, nec admiſit quenquã ciuium ſuorũ in caſtra, nec reſponſum vlli niſi per interpretẽ dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculũ ſuum clara voce affirmantem proſpexiſſe ſe quonam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aſpernatus eſt. Adeo felicitatis & moderationis diuiduum contubernium eſt.

DE CARTHAGINIENSIbus & Campanis.

INſolentiæ vero inter Carthaginienſem & Campanum Senatum quaſi æmulatio fuit. Ille enim ſeparato a plebe balneo lauabatur, hic diuerſo foro vtebatur. quem morem Capuæ aliquandiu retentum, C. quoq; Gracchi oratione in Plautiũ ſcripta patet.

DE PERFIDIA. Cap. VI.

OCcultũ iam & insidiosum malum perfidia latebris suis extrahatur, cuius efficaciſſimę vires sunt, mentiri, ac fallere. fructus in aliquo admisso scelere consistit, tum certus, cum crudelitatem nefarijs vinculis circundedit: tantum incõmodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quàm illa laudis consequitur.

DE TATIO SABINO.

Romulo regnãte Spurius Tarpeius arci præerat: cuius filiam virginẽ aquam sacris petitũ extra mœnia egressam, Tatius, vt armatos Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus quæ in sinistris manibus gerebant. Erãt autẽ his armillæ & annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen Sabinorũ, puellam præmium flagitantem, armis obrutam necauit, perinde quasi promissum, quòd ea quæ lęuis gestauerant, soluit. Absit reprehensio, quia impia proditio celeri pœna vindicata est.

DE SERVIO GALBA.

Seruius quoque Galba summæ perfidiæ. Trium enim Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquã de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa, & armis exuta, partim trucidauit, partim vẽdidit: quo facinore maximam cladem barbarorũ magnitudine criminis anteceſſit.

DE CN. DOMITIO.

Cn. autem Domitiũ ſummi generis & magni animi virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidũ exiſtere coegit. Iratus nãq; Bituito regi Aruernorum, quod tum ſuam, tum etiam Allobrogum gentem, ſe etiam tum in prouincia morante, ad Q. Fabij ſucceſſoris ſui dexteram confugere hortatus eſſet: per colloquij ſimulationem accerſitum, hoſpitioque exceptum, vinxit, ac Romam naue deportandum curauit. Cuius factum Senatus neque probare potuit, neque reſcindere voluit, ne remiſſus in patriam Bituitus bellum renouaret. Igitur eum Albam cuſtodiæ cauſa relegauit.

DE Q. SERVILIO CEPIONE.

Viriati etiam cædes duplicem perfidię accuſationem recepit: in amicis, quòd eorum manibus interemptus eſt: in Q. Seruilio Cepione Conſule, q̃ is ſceleris huius author impunitate promiſſa fuit, victoriamq; non meruit, ſed emit.

EXTERNA.

DE CARTHAGINIENSIBVS.

Verum vt ipſum fontem perfidiæ cõtemplemur, Carthaginienſes Xantippum Lacedæmonium, cuius optima opera primo Punico bello vſi fuerant, & quo iuuante Attiliũ Regulum ceperãt, ſimulantes ſeſe domum reuehere, in alto merſerunt. Quid tanto facinore petentes? an ne victoriæ eorum ſocius ſupereſſet? Extat nihilominus, & quidem cum opprobrio, quem ſine vlla gloriæ iactura inuiolatum reliquiſſent.

DE HANNIBALE.

Hannibal porrò Nucerinos hortatu ſuo cũ binis veſtimẽtis vrbem inexpugnabilibus muris cinctam egreſſos, vapore & fumo balnearum ſtrãgulando, & Acerranorum ſenatum eadem ratione extra mœnia euocatum in profundũ puteorum abijciendo, nonne bellum aduerſus populum Ro. & Italiam profeſſus, aduerſus ipſam fidem acrius geſſit, mendacijs & fallacia quaſi præclaris artibus gaudens? Quo euenit, vt alioqui inſignem nominis ſui memoriam relicturus, in dubio, maior ne, an peior vir haberi deberet, poneret.

DE VI ET SEDITIONE, ET DE Populo Ro. Cap. VII.

SEd vt violentiæ & ſeditionis tam togatæ, q̃ etiam armatæ facta referantur, L. Equitium, qui ſe Gracchi filium ſimulabat, tribunatumq; aduerſus leges cũ L. Saturnino petebat, a Mario quintum conſulatum gerente in publicam cuſtodiam ductum, populus clauſtris carceris conuulſis, raptũ humeris ſuis, per ſummam animorum alacritatem portauit. Idemque Q. Metellum Cenſorem, quòd ab eo tanquam Gracchi filio cenſum recipere nolebat, lapidibus proſternere conatus eſt, affirmantem tantũmodo tres filios T. Graccho fuiſſe, e quibus vnum in Sardinia ſtipendia merẽtem, alterũ infantem Preneſte, tertiũ poſt patris mortẽ natũ Romæ deceſſiſſe: nec oportere clariſſimæ familiæ ignotas ſordes inſeri: cũ interĩ improuida cõ

citatæ multitudinis temeritas pro imprudentia & audacia aduersus consulatum & censuram tetendit, principesq; suos omni petulantiæ genere vexauit. Vesana hæc tantummodo: illa etiam cruenta seditio. Populus enim Mumium cõpetitorem Saturnini, nouem iam creatis tribunis, vnoq; loco candidatis duobus restante, vi prius in ædes priuatas compulit: extractũ deinde interemit, vt cæde integerrimi ciuis, facultas adipiscendæ potestatis teterrimo ciui daretur.

DE CERTIS CREDITORIBVS, & L. Cassio.

Creditorum quoque cõsternatio, aduersum Sempronij Asellionis prætoris vrbani caput intolerabili modo exarsit: quem, quia causam debitorum susceperat, concitati à L. Cassio Trib. Plebis pro æde Concordiæ sacrificium facientem, ab ipsis altaribus fugere extra forum coactum, intraque tabernacula latitantem, prætextatum discerpserunt. Detestanda fori conditio: sed si castra respicias, æque magna orietur indignatio.

DE MILITIBVS L. SYLLAE, & morte Gratidij.

Cum C. Mario lege Sulpitia, prouincia Asia, vt aduersus Mithridatem bellum gereret, priuato decreta esset, missum ab eo Gratidium legatum ad L. Syllam Consulem accipiendarũ legionũ causa, milites trucidarũt, proculdubio indignati, quòd a summo imperio ad eum qui nullo in honore versaretur, trãsire cogerentur. Sed quis ferat militem scita plebis exitio legati corrigẽ-

tem? Pro Consule istud tam violenter exercitus: illud aduersus Consulem.

DE MILITIBVS CN. POMPEII, & morte Q. Pompeij.

Quintum enim Pompeium Syllæ collegam, senatus iussu ad exercitum Cn. Pompeij, quem aliquandiu inuita ciuitate obtinebat, contendere ausum, ambitiosi ducis illecebris corrupti milites sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactauerunt: tantumq; scelus Curia castris cedere se confessa, inultum habuit.

DE QVODAM EXERCITV, ET morte C. Carbonis.

Ille quoque exercitus nefarie violentus, qui C. Carbonem fratrem Carbonis ter Consulis, propter bella ciuilia dissolutam disciplinam militarem præfractius & rigidius astringere conatum, priuauit vita, satiusque duxit maximo scelere coinquinari, quãm prauos ac tetros mores mutare.

DE TEMERITATE. Cap. VIII.

TEmeritatis etiam ita subiti, vt vehementes sunt impulsus: quorum ictibus hominum mentes concussæ, nec sua pericula respicere, nec aliena facta iusta æstimatione prosequi valent.

DE SVPERIORE AFRICANO.

Quàm enim temere se Africanus superior ex Hispania duabus quinqueremibus ad Siphacẽ traiecit, in vnius Numidæ infidis præcordijs suã pariter & patriæ salutem depositurus? Itaque exiguo momento maximę Reipublicę casus flu-

ctuatus est, vtrum interfector, an captiuus Scipio Siphacis fieret.

DE C. CAESARE.

NAm C. Cæsaris anceps conatus etsi cęlestium cura protectus est, tamẽ vix sine horrore animi referri potest. siquidem impatiens legionum tardioris â Brũdusio Apolloniam traiectus, per simulationem aduersæ valetudinis cõuiuio egressus, maiestate sua seruili veste occultata, nauiculam conscendit e flumine, ac maris Adriatici sęua tempestate fauces petijt: protinusq; in altum dirigi iusso nauigio, multũ ac diu contrarijs iactatus fluctibus, tandem necessitati cessit.

DE MILITIBVS ALBINI DVCIS.

AGe, illa quàm execrabilis militum temeritas? fecit enim vt Aulus Albinus, nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione ciuis eximius, propter falsas & inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrueretur: quodq; accessionem indignationis non recipit, oranti atq; obsecranti duci â militibus causæ dicendæ potestas negata est.

EXTERNA.

DE HANNIBALE CARTHAginiensi.

ITaq; minus miror apud trucem & sæuũ Hannibalis animum defensionis locũ innoxio gubernatori fuisse, qui à Petilia classe Africã repetens freto appulsus, dum tam paruo spatio Italiam Siciliamque inter se diuisas non credidit, veluti insidiosum cursus rectorẽ interemit. postea diligentius inspecta veritate, tunc absoluit, cum

eius innocentiæ nihil vltra ſepulchri honorem dari potuit. Igitur anguſti atq; æſtuoſi maris ex alto tumulo ſpectatrix ſtatua, tam memoriæ Pelori, quàm Punicæ temeritatis, vltra citraq; nauigantium oculis collocata, indicium eſt.

DE ATHENIENSIBVS.

I am Athenienſium ciuitas ad veſaniam vſque temeraria, quæ decem imperatores ſuos, & quidē à pulcherrima victoria venientes, capitali iudicio exceptos necauit, q̄ militum corpora, ſæuitia maris interpellante, ſepulturæ mandare non potuiſſent: neceſſitatem puniens, cum honorare virtutem deberet.

QVANTVM VALET ERROR.

Cap. IX.

TEmeritati proximus eſt error, quēadmodū ad lædēdū par, ita cui facilius q̄s ignouerit, quia non ſua ſponte, ſed vanis concitatus imaginibus, culpę ſe implicat: qui q̄ late in pectoribus hominum vagetur, ſi complecti coner, vitio de quo loquor, ſim obnoxius. Paucos igitur eius lapſus referemus.

DE ERRORE POPVLI ROMANI in Caium Heluium.

C aius Heluius Cinna Tri. Ple. ex funere C. Cęſaris domum ſuam petens, populi manibus diſceptus eſt pro Cornelio Cinna, in quem ſæuire ſe exiſtimabat, iratus ei, quòd cum affinis eſſet Cęſaris, aduerſus eum nefarie raptū, impiam pro Roſtris orationē habuiſſet: eoq; errore propulſus eſt, vt caput Heluij perinde atq; Cornelij circa rogum Cæſaris fixum iaculo ferret, officij ſui

& alieni erroris piaculum miſerabile.

DE C. CASSIO.

NAm C. Caſſium error a ſemetipſo pœnas exigere coegit. Inter illum enim pugnæ quatuor exercituum apud Philippos, varium, ipſiſq; ducibus ignotum euentum, miſſus ab eo Titinius centurio nocturno tẽpore vt ſpecularetur quonam in ſtatu res M. Bruti eſſent: dum crebros exceſſus viæ petit: quia tenebrarum obſcuritas hoſtes ne an cõmilitones occurrerent, dignoſcere non ſinebat, tardius ad Caſſium redijt. Quem is exceptũ ab hoſtibus, omniaque in eorum poteſtatem recidiſſe exiſtimans, finire vitam properauit, cum & caſtra hoſtium inuicem capta, & Bruti copiæ magna ex parte incolumes eſſent.

DE TITINIO CENTVRIONE.

TItinij vero non obliteranda ſilentio virtus: qui oculis pauliſper hæſit inopinato iacentis ducis ſpectaculo attonitus: deinde profuſus in lachrymas, Etſi imprudens, inquit, imperator cauſa tibi mortis fui, tamẽ ne id ipſum impunitum ſit, accipe me fati tui comitem. Superque exanime corpus eius iugulo ſuo gladiũ capulo tenus demiſit: ac permiſto vtriuſq; ſanguine, duplex victima iacuit, pietatis hæc, erroris illa.

DE SATELLITIBVS REgis Veientum.

CÆterum falſa opinatio neſcio an præcipuam iniuriam Laertis Tolumnij Veientum Regis penatibus intulerit. nam cũ in teſſerarum proſpero iactu per iocum colluſori dixiſſet, occide: &

forte legati Romanorum interueniſſent, ſatellites eius errore vocis impulſi, interficiẽdo legatos, luſum ad imperium tranſtulerunt.

DE VLTIONE.

Caput. X.

VLtionis autẽ quemadmodũ acres, ita iuſti aculei ſunt, qui laceſſiti cõcitantur, acceptum dolorem penſare cupientes: quos latius complecti non attinet.

DE TRIBV POLLIA.

Trib. pleb. M. Fuluius ad populum de Tuſculanis retulit, quòd eorum conſilio Veliternos Priuernateſq; rebellaturos diceret: qui cum cõiugibus ac liberis ſqualore obſiti, cum ſupplices Romã veniſſent, accidit, vt reliquis tribubus ſalutarem ſententiã ſecutis, ſola Pollia iudicaret oportere publice eos verberatos ſecuri percuti: imbellem multitudinem ſub corona venire. quã ob cauſam Popilia tribus, in qua plurimum poſtea Tuſculani in ciuitatem recepti potuerũt, neminẽ vnquam candidatum Polliæ tribus fecit magiſtratum: ne ad eam vllus honor ſuis ſuffragijs peruenirẽt, quæ illis vitam ac libertatem, quantũ in ipſa fuit, ademerat. Illam vero vltionẽ & ſenatus & conſenſus omnium approbauit.

DE VLTIONE ROMANORVM in Adrianum.

Cum etiam Adrianus ciues Romanos qui Vticæ conſiſtebant, ſordido imperio vexaſſet, idcircoque ab his viuus eſſet exuſtus: nec quæſtio vlla in vrbe hac de re habita, nec querela verſata eſt.

EXTERNA.

DE REGINIS TOMYRI & Beronice.

Claræ vltionis vtraque regina, & Tomyris, quæ caput Cyri abscissum in vtrem humano sanguine repletum demitti iussit, exprobrans illi insatiabilem cruoris sitim, simulque pœnas occisi ab eo filij sui exigẽs. & Beronice, quę & Laodice, insidijs interceptum sibi filium grauiter ferens, armata currum conscendit, persecutaque satellitem regium crudelis operis ministrum, nomine Ceneum, quoniam hasta nequicquam petierat, saxo ictum prostrauit: ac super eius corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur, perrexit.

DE MORTE IASONIS.

Iasonem Thessalum Persarum regi bellũ inferre parãtem, an satis iusta vltio absumpserit, ambiguæ æstimationis est. Taxillo enim Gymnasiarcha a quibusdam iuuenibus pulsatum se cõquesto, permisit vt aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas singulis imponeret. quo posteriore vindicta vso, qui vapulauerãt, Iasonem interfecerunt, animi nõ corporis dolore pœnæ modum æstimantes. Cæterum paruo iritamento ingenui pudoris, maximæ rei expectatio subruta est, quoniam opinione Græciæ tantum in spe Iasonis, quantum in effectu Alexãdri reponebatur.

DICTA IMPROBA, AVT FACTA SCELERATA.

Caput XI.

De Tullia Seruij filia.

NVnc, quatenus vitæ humanæ tum bona tum etiam mala ſubſtitutis exemplorum imaginib⁹ proſequamur, dicta improba, & facta ſcelerata referãtur. Vnde autem potius quàm a Tullia ordiar? quia tẽpore vetuſtiſſimũ, conſcientia nefarium, voce mõſtri ſimile exemplum eſt. Cum carpento veheretur, & is qui iumenta agebat, ſuccuſſis frenis conſtitiſſet, repẽtinæ moræ cauſam requiſiuit: & vt cõperit corpus patris Seruij Tullij occiſi ibi iacere, ſupra id duci vehiculum iuſſit, quò celerius in cõplexum interfectotis eius Tarquinij veniret. Qua tã impia, tamq; probroſa feſtinatione, nõ ſolũ ſe æterna infamia, ſed ipſum etiam vicum cognomine ſceleris commaculauit.

DE FIMBRIA.

Non tam atrox C. Fimbriæ & dictum, & factum: ſed ſi per ſe æſtimetur, vtrũq; audaciſſimum. id egerat, vt Scæuola in funere C. Marij iugularetur. quem poſtquam ex vulnere recreatum comperit, accuſare apud populũ inſtituit. interrogatus deinde quid de eo ſecus dictur⁹ eſſet, cui pro ſanctitate morum ſatis digna laudatio reddi nõ poſſet, reſpõdit obiecturum ſe illi quòd parcius corpore telum recepiſſet. Licentiã furoris ægræ reipublicæ gemitu proſequendam.

DE L. CATILINA.

L. vero Catilina in ſenatu M. Cicerone incendium ab ipſo excitatum dicente, Sẽtio, inquit: & quidẽ illud ſi aqua non potero, ruina extinguã. Quem quid aliud exiſtimemus, q̃ conſcientiæ ſtimulis actum, ſimulacrum a ſe inchoati parricidij peregiſſe?

DE MAGIO CHILONE.

Conſternatum etiam Magij Chilonis amentia pectus: qui M. Marcello datum a Cæſare ſpiritum ſua manu eripuit, vetus amicus, & Pompeianæ militiæ comes, indignatus aliquos ſibi amicorũ ab eo præferri. Vrbem enim a Mitylenis, quò ſe contulerat, repetẽtem, in Athenienſiũ portu pugione confodit: protinuſq; ad iritamenta veſaniæ ſuæ trucidanda tetendit, amicitæ hoſtis, diuini beneficij interceptor, publicæ religionis, quod ad ſalutem clariſſimi ciuis recuperandam attinuit, acerba labes.

DE C. TVRANIO.

Hanc crudelitatem, cui nihil adijci poſſe videtur, C. Turanius atrocitate parricidij ſuperauit. Nãque triumuirũ partes ſecutus, proſcripti patris ſui prætorij & ornati viri latebras, ætatem, notaſque corporis, quibus agnoſci poſſet, centurionibus edidit, qui eum perſecuti ſunt. Senex de filij magis vita & incrementis, quàm de reliquo ſpiritu ſuo ſolicitus, an incolumis eſſet, & an imperatoribus ſatisfaceret, interrogare eos cœpit. e quibus vnus, Ab illo, inquit, quẽ tantopere diligis, demõſtratus, noſtro miniſterio, filij

indicio occideris. protinusq; pectus eius gladio traiecit. collapsus itaq; est infelix, authore cædis quàm ipsa cæde miserior.

DE FILIO TVLLII HANNALIS.

Cuius facti acerbitatem L. Tullius Hannalis fortitus, cum in campum ad quæstoria comitia filij descendens, proscriptum se cognosceret, ad clientem suum confugit. sed ne fide eius tutus esse posset, scelere nefarij iuuenis effectum est. siquidem per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo obiecit, bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo.

DE VXORE VECTII SALLASSI.

Ne Vectius quidẽ Sallassus proscriptus parũ amari exitus, quem latentẽ, vxor interficiendũ, quid dicam? tradidit, an ipsa iugulauit? Quanto enim leuius est scelus, cui tantummodo manus abest? Illud autem facinus, quia externum, tranquilliore affectu narrabitur.

EXTERNA.

DE DVOBVS FRATRIBVS filijs regijs.

Scipione Africano patris & patrui memoriã gladiatorio munere Carthagine noua celebrante, duo regij filij nuper patre mortuo in arenã processerunt, pollicitiq; sunt ibi se de regno prælaturos, quò spectaculũ illud illustrius pugna sua facerẽt. eos cum Scipio monuisset, vt verbis cõtẽdere, q̃ ferro dimicare mallẽt vter regnare deberet, ac iam maior natu consilio eius obtemperaret, minor corporis viribus fretus, in amentia

perſtitit, initoq; certamine pertinacior impietas fortunæ iudicio morte multata eſt.

DE MITHRIDATE.

Mithridates autem multo ſceleratius, qui nō cum fratre de paterno regno, ſed cum ipſo patre bellum de dominatione geſſit: in quo qui aut homines vllos adiutores inuenerit, aut deos inuocare auſus ſit, pro admiratione habetur.

DE SARIASTRE FILIO Tigranis regis.

Quanquam quid hoc quaſi inuſitatum illis gentibus miremur? cum Sariaſter aduerſus patrem ſuum Tigranem Armeniæ regem ita cum amicis conſenſerit, vt omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atq; eum inuicem ſorberent. Vix ferrent pro ſalute parentis tam cruenta cōſpiratione fœdus facientem.

DE SEIANO QVI INTERFICERE voluit Tyberium.

Sed quid ego iſta conſector? aut quid in his immoror? cum vnius parricidij cogitatione cuncta ſcelera ſuperata cernam? Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus ad id lacerandum pio magis quàm valido affectu rapior. Quis enim amicitiæ fide extincta, genus humanum cruentis in tenebris ſepelire conatum, profundo execrationis debitæ ſatis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferatæ Barbariæ immanitate truculentior, habenas Romani imperij, quas princeps parenſque noſter ſalutari dextera continet, capere potuiſti? Haud te cōpote furoris, in ſuo ſtatu mun-

dus manſiſſet. Vrbem a Gallis captam, & trecentorum inclytæ gentis virorum ſtrage fœdatam Allienſem diem, & oppreſſos in Hiſpania Scipiones, & Thraſimenum lacum, & Cannas, bellorumq; ciuiliũ domeſtico ſanguine manantes furores, amentibus propoſitis furoris tui repræſentare & vincere voluiſti. Sed vigilarunt oculi deorum, ſydera ſuum vigorem obtinuerunt: aræ, puluinaria, templa, præſenti numine vallata ſunt. Nihil quod pro capite Auguſti, ac patria excubare debuit, torporem ſibi permiſit, & in primis author & tutela noſtræ incolumitatis Iupiter, ne excellentiſſima merita ſua totius orbis ruina collaberentur, diuino conſilio prouidit. Itaque ſtat pax, valent leges, ſyncerus priuati ac publici officij tenor ſeruatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentauit ſubuertere, omni cum ſtirpe ſua Populi Romani viribus obtritus, etiam apud inferos, ſi tamen illuc receptus eſt, quæ meretur ſupplicia pendit.

DE MORTIBVS NON VVLgaribus. Caput XII.

HVmanæ autem vitæ conditionẽ præcipue primus & vltimus dies cõtinet, quia plurimum intereſt quibus auſpicijs inchoetur, & quo fine claudatur: ideoq; eum demum felicem fuiſſe iudicamus, cui & accipere lucem proſpere, & reddere placide contigit. Medij temporis curſus prout fortuna gubernaculum regit, modo aſpero, modo tranquillo motu peragitur, ſpe ſemper minor, dum cupide vo-

tis extenditur, & fere sine ratione consumitur. Nam & si eo bene vti velis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, si magis exigas vitã, quàm approbes? Sed ne longius euager, eorum mentionem faciam, qui non vulgari genere mortis absumpti sunt.

DE TVLLO HOSTILIO.

Tullus Hostilius fulmine ictus, cũ tota domo cõflagrauit. Singularem fati sortem, qua accidit, vt columen vrbis in ipsa vrbe raptum, ne supremo quidẽ funeris honore a ciuibus decorari posset, cælesti flamma in eam conditionem redactum, vt eosdem penates & regiam & rogũ & sepulchrum haberet.

DE DVABVS MVLIERIBVS.

Vix verisimile est in eripiendo spiritu idem gaudium potuisse, quod fulmen: & tamen idem valuit. Nũciata enim clade quæ ad lacum Thrasimenum inciderat, altera mater sospiti filio ad ipsam portam facta obuia, in cõplexu eius expirauit: altera cũ falso mortis filij nuncio mœsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus inusitatum: quas dolor non extinxerat, lætitia comsumpsit.

DE M. IVVENCIO TALVA consule.

Sed minus miror, quod mulieres. Marcus Iuuencius Talua consul, collega Tiberij Gracchi consulis, cũ in Corsica, quam nuper subegerat, sacri-

ficaret, receptis literis deretas ei a senatu supplicationes nunciantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapsus mortuus humi iacuit. quem quid aliud quàm nimio gaudio enectũ putemus? En cui Numantia aut Carthago excidenda traderetur.

DE Q. CATVLO.

Maioris aliquanto spiritus dux Quintus Catulus, Cimbrici triumphi cũ Mario particeps a senatu datus, sed exitus violentioris. nanq; ab hoc eodẽ Mario postea propter ciuiles dissensiones mori iussus, recenti calce illito, multoq; igni percalfacto cubiculo se inclusum peremit: cuius tã dira necessitas maximæ Marianę glorię rubor extitit.

DE LVCIO CORNELIO MERVLA.

Qua tempestate Reipu. Lucius quoque Cornelius Merula cõsularis, & Flamen Dialis, ne ludibrio insolentissimis victoribus esset, in Iouis sacrario venis incisis, contumelioſæ mortis denunciationẽ effugit, sacerdotisq; sui sanguine vetustissimi foci maduerunt.

DE HERENNIO SICVLO.

Acer etiam & animosus vitæ exitus Herennij Siculi, quo C. Gracchus & aruspice & amico vsus fuerat. nam cum eo nomine in carcerem duceretur, in postem illiso capite, in ipso ignominiæ aditu concidit, ac spiritum deposuit, vno gradu à publico supplicio manuque carnificis citerior.

DE CAIO LICINIO.

Cõsimili impetu mortis Caius Licinius Macervir Prætorius Calui pater repetundarũ reus, dũ sen-

tentiæ dicerentur, in Mænianum conscendit. siquidē cum Marcum Ciceronem, qui id iudiciū cogebat, prætextam ponentē vidisset, misit ad eum qui diceret, se non damnatū, sed reum perisse, nec sua bona hastæ posse subijci. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucib⁹ suis coartatis incluso spiritu, pœnā morte præcurrit. qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciauit. Igitur illustris ingenij orator ab inopia rei familiaris, & a crimine domesticæ damnationis inusitato paterni fati genere vindicatus est. Fortis huius mors, illorū perridicula.

DE CORNELIO GALLO, ET Tito Aetherio.

Cornelius enim Gallus Prætorius, & Titus Aetherius eques Ro. inter vsum puerilis Veneris absumpti sunt. quanquā quorsum attinet eorum cauillari fata, quos nō libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit? Fine nanq; vitæ nostræ varijs & occultis causis exposito, interdum immerentia supremi fati titulum occupant, cum magis in tempus mortis incidant, quàm ipsam mortem accersant.

EXTERNA.

DE COMA FRATRE DIOGENIS.

Sunt & externæ mortes dignæ annotatu: qualis in primis Comæ, quē ferunt maximi latronū ducis Diogenis fratrē fuisse. Is enim ad Rutiliū Consulē, Ennā, quā prædones tenuerāt, in potestatē nostrā redactā, perductus, cū de viribus & conatib⁹ fugitiuorū interrogaretur, sūpto tēpore ad se colligēdū, caput operuit, ĩnixusq; genib⁹

cõpresso spiritu, inter ipsas custodũ manus, inq; conspectu summi imperij exoptata securitate acquieuit. Torqueant se miseri, quibus extingui quâm supereſſe vtilius est, trepido & anxio cõsilio, quanã ratione vita exeant quærentes: ferrũ acuant, venena tẽperent, laqueos apprehendãt, vastas altitudines circunspiciant, tanquã magno apparatu aut exquisita molitione opus sit vt corporis atq; animi infirmo vinculo cohærens societas dirimatur. Nihil horum Coma, sed intra pectus inclusa anima finem sui reperit. Enimuero minimo studio retinendum bonum, cuius caduca possessio tam leui afflatu violentiæ cõcussa dilabi potuit.

DE AESCHYLO POETA.

Aeschyli vero poetæ excessus quẽadmodũ nõ voluntarius, sic propter nouitatẽ casus referẽdus. In Sicilia mœnibus vrbis in qua morabat, egressus, aprico in loco resedit: super quẽ Aquila testudinẽ ferẽs, eluſa splendore capitis (erat enim capillis vacuũ) perinde atq; lapidi eam illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur: eoq; ictu origo & principiũ fortioris tragœdiæ extinctũ est.

DE HOMERO POETA.

Non vulgaris etiam Homeri mortis causa fertur: qui in insula, quia quæstionẽ â piscatoribus propositam soluere non potuisset, dolore absumptus creditur.

DE EVRIPIDE POETA.

Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est. Ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domũ hospitalem repetens, canum morsibus laniatus

obijt. Crudelitas fati tanto ingenio non debita, fuit ſicut illi exceſſus illuſtrium poetarum & moribus & operibus indigniſſimi.

DE SOPHOCLE.

Sophocles vltimæ iam ſenectutis, cũ in certamen tragœdiam dimiſiſſet, ancipiti ſententiarũ euẽtu diu ſolicitus, aliquando tamen vna ſententia victor, cauſam mortis gaudium habuit.

DE PHILOMENE.

Philomenem autem vis riſus immoderati abſtulit. paratas ei ficos, atq; in cõſpectu poſitas aſello conſumẽte, puerum, vt illum abigeret, inclamauit. qui cum iam comeſtis omnibus ſuperueniſſet: quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nũc merum aſello. Ac protinus vrbanitatẽ dicti crebro anhelitu cachinnorũ proſecutus, ſenile gutur ſalebris ſpiritus prægrauauit.

DE PINDARO.

At Pindarus cum in Gymnaſio ſuper gremium pueri quo vnice delectabatur, capite poſito quieti ſe dediſſet, non prius deceſſiſſe cognitus eſt, quàm Gymnaſiarcha claudere eum iam locum volente, nequicquam excitaretur. Cui quidem crediderim eadem benignitate deorum & tantum poeticæ facundiæ, & tam placidum vitæ finem attributum.

DE ANACREONTE.

Sicut Anacreonti quoq;, quẽ bis tantũ humanæ vitę modũ ſupergreſſum, dũ paſſæ vuæ ſucco tenues & exiles viriũ reliquias foueret, vni⁹ grani pertinacior ĩ aridis faucib⁹ humor abſumpſit. Iũ gã illos, quos & propoſitũ & exitus pares fecit.

DE MILONE CROTONIATE.

Milo Crotoniates, cum iter faciens quercũ in agro cuneis adactis fissam vidisset: fretus viribus, accessit ad eam, insertisq; manibus, diuellere conatus est: quas arbor, excussis cuneis in suam naturam reuocata compressit, eumq; cũ tot Gymnicis palmis lacerandum feris præbuit.

DE POLYDAMANTE.

Item Polydamas athleta tempestate spelũcam subire coactus, nimio & subito incursu aquę labefactata ea ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egressis, solus restitit, tanquã humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus. sed pondere omni corpore humano potẽtiore pressus, imbribus petitam latebram, dementis fati sepulchrum habuit. Possunt ij præbere documẽtum, nimio robore membrorum vigorem mentis hebescere, quasi abnuente natura vtriusque boni largitionem, ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse, & sapientissimum.

DE CVPIDITATE VITAE. Cap. XIII.

VErum quia excessus e vita & fortuitos, & viriles, quosdã etiã temerarios oratione attigimus: subijciamus nũc ęstimationi enerues & effœminatos, vt ipsa cõparatione pateat quanto non solũ fortior, sed etiam sapiẽtior mortis interdum quàm vitæ sit cupiditas.

DE MARCO AQVILIO.

Marcus Aquilius, cũ sibi glorioſe mortẽ cõscisceret

posset, Mithridati maluit turpiter seruire. quem quis non immerito dixerit Pontico supplicio, quàm Romano imperio digniorem: quoniam commisit vt priuatum opprobrium publicus rubor existeret.

DE CNEO CARBONE.

Cn. quoque Carbo magnæ verecundiæ est latinis annalibus. tertio in consulatu suo iussu Pompeij in Siciliam ad supplicium ductus, petijt à militibus demisse & flebiliter vt sibi aluum leuare, prius quàm expiraret, liceret: quò miserrimæ lucis vsu diutius frueretur, eousq; moram trahens, donec caput eius sordido in loco sedētis abscinderetur. Ipsa verba tale flagitium narrantis secum luctantur, nec silentio amica, quia occultari nō merētur: neque relatione familiaria, quia dictu fastidienda sunt.

DE DECIO BRVTO.

Quid! Brutus exiguum & infelix momētum vitæ quāto dedecore emit! qui a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum ceruicem gladio subtraxit, sed & cōstantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis iurauit: Ita viuam, dabo. Cunctationem fati erumnosam. O iurandi stolidam fidem. Sed hos tu furores immoderata retinēdi spiritus dulcedo subijcis, sanæ rationis modum expugnando, quæ vitā diligere, mortē non timere præcipit.

DE XERXE REGE.

Eadem Xerxem regē pro totius Asiæ armata iuuentute, quòd intra centum annos esset obitura, profundere lachrymas coegisti: qui mihi in spe-

cie aliena reuera ſuam conditionem deploraſſe videtur, opum magnitudine, quàm altiore animi ſenſu felicior. Quis enim etiam mediocriter prudens mortalem ſe natum fleuerit?

QVAM EXQVISITA CVSTODIA vſi ſint quibus ſuſpecti domeſtici fuerunt. Cap. XIIII.

REferam nunc eos, quibus aliquos ſuſpectos habentibus exquiſitior ſui cuſtodia quæſita eſt: nec a miſerrimo, ſed ab eo qui inter paucos feliciſſimus fuiſſe creditur, incipiam.

DE MASINISSA REGE.

Maſiniſſa rex Numidarum, & Po. Ro. amiciſſimus, parum fidei in pectoribus hominum reponens, ſalutem ſuam cuſtodia canum vallauit. Quò tam late patens imperium, quò tantus liberorum numerus, quò denique tam arcta beneuolentia conſtricta Romana amicitia, ſi ad hæc tuenda nihil canino latratu ac morſu valentius duxit?

DE ALEXANDRO PHERAEO.

Hoc rege infelicior Alexander: cuius præcordia hinc amor, hinc metus torſerunt. nam cum infinito ardore coniugis Thebes teneretur, ad eandem ex epulis in cubiculum veniens, barbarum compunctum notis Threicijs ſtricto gladio iubebat anteire: nec prius ſe idem lecto cõmittebat, quâm a ſtipatoribus diligenter eſſet ſcrutatus. Suppliciũ irato deorũ numine cõpoſitũ, nec libidini, nec timori poſſe imperare. Cuiꝰ timori

eadem & cauſa & finis fuit. Alexandrum enim Thebe pellicatus ira mota interemit.

DE DIONYSIO REGE SYracuſanorum.

A ge, Dionyſius Syracuſanorum tyrãnus huiuſce tormenti quãm longa fabula: qui duodequadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit. Summotis amicis, in eorũ locum ferociſſimarum gentiũ homines, & a familijs locupletum electos præualidos ſeruos, quibus latera ſua cõmitteret, ſubſtituit. Tonſorum quoq; metu, tondere filias ſuas edocuit: quarum ipſarum, poſtquam adultæ ætati appropinquabãt, manibus ferrũ non auſus cõmittere, inſtituit vt candentium iuglandium aut nucum putaminibus barbam ſibi & capillum adurerent. Nec ſecuriorem ſe maritum egit, quàm patrem. Duarum enim eodem tempore Ariſtomaches Syracuſanę, & Locrenſis Doridis matrimonijs alligatus, neutrius vnquam niſi excuſſæ complexum petijt: atq; etiam cubicularem lectũ, perinde quaſi caſtra, lata foſſa cinxit: in quem ſe ligneo ponte recipiebat, cum forem cubiculi extrinſecus â cuſtodibus opertam, interiorem clauſtro ipſe diligenter obſeraſſet.

DE SIMILITVDINE FORMAE Cap. XV.

DE ſimilitudine autem oris, & totius corporis, altiore doctrina præditi ſubtilius diſputãt: eorũq; alij i ea ſunt opinione, vt exiſtimẽt illã origini & cõtextui ſanguinis re-

ſpondere. Nec paruũ argumentũ ex cæteris animalibus trahũt, quæ fere gignẽtibus ſimilia naſcuntur. Alij negant certam hanc eſſe naturæ legem, ſed ſpecies mortaliũ, prout fortuita ſors cõceptionis obtulit, attribui: atq; ideo plerunq; ex ſpecioſis deformes, ex robuſtis inualidos partus edi. Verũ quoniam iſta quæſtio in ambiguo verſatur, pauca inter alienos conſpectæ ſimilitudinis exempla referemus.

DE VIBIO INGENVO ET PVBLIcio libertino ſimilibus Pompeio Magno.

Magno Pompeio Vibius ingenuę ſtirpis, & Publicius libertinus ita ſimiles fuerunt, vt permutato ſtatu, & Pompeius in illis, & illi in Põpeio ſalutari poſſent. Certe quocunq; aut Vibius aut Publicius acceſſerant, ora hominum in ſe obuertebant, vnoquoq; ſpeciem ampliſſimi ciuis in perſonis mediocribus annotante. Quod quidem fortuitum ludibrium, quaſi hæreditarium ad eum penetrauit.

DE MENOGENE COCO SIMILI patri Pompeij Magni.

Nam pater quoq; eius eouſq; Menogenis coci ſui ſimilis eſſe viſus eſt, vt vir & armis præpotẽs, & ferox animo, ſordidum eius nomen repellere a ſe non valuerit.

DE CORNELIO SCIPIONE, cognomento Serapione.

Eximiæ vero nobilitatis adoleſcẽs Cornelius Scipio, cum plurimis & clariſſimis familiæ ſuæ cognominibus abundaret, in ſeruilem Serapionis appellationẽ vulgi ſermone impactus eſt, quòd

huiuſce nominis victimario ſimilis erat. nec illi aut morum probitas, aut reſpectus tot imaginũ, quo minus hac contumelia aſpergeretur, opitulata eſt.

DE LENTVLO ET METELLO ſimilibus hiſtrionibus.

Grauiſſimus conſulatus collegio Lẽtuli & Metelli fuit, qui ambo in ſcena propter ſimilitudinem hiſtrionum propemodum ſpectati ſunt. Sed alter ex quodam affectatarum cognomẽ Spintheris traxit: alter niſi Nepotis a moribus acceſſiſſet, Pamphili retiarij, cui ſimillimus eſſe ferebatur, habuiſſet.

DE M. MESSALA SIMILI MENOgeni, & Curione ſimili Burbuleio.

At M. Meſſala conſularis & cẽſorius, Menogenis: Curioq; omnibus honoribus abundans, Burbulei: ille propter oris aſpectum, hic propter parẽ corporis motum, vterque ſcenici nomẽ coactus eſt recipere. Abunde ſint hæc domeſticis, quoniam perſonis ſunt excellentia, & non obſcura notitia celebrantur.

DE REGE ANTIOCHO, ſimili Artenioni.

Regi Antiocho vnus ex æqualibus, & ipſe regiæ ſtirpis, nomine Artenio, perquam ſimilis fuiſſe traditur: quem Laodice vxor Antiochi, interfecto viro, diſſimulandi ſceleris gratia in lectulo perinde quaſi ipſum regem ægrum collocauit, admiſſumque vniuerſum populum & ſermone eius & vultu conſimili fefellit: crediderunteque

homines ab Antiocho moriente Laodicen & natos eius sibi commendari.

DE HIBREA MILESIO SIMILI cuidam seruo Gymnicorum.

Hibream autem Milesium copiosæ atque concitatæ facundiæ oratorem, Gymnicorum seruo stramenta Gymnasij colligenti tam similem ferunt, vt tanquam Germanum fratrem totius Asiæ oculi assignarent: ita lineamentis oris & omnium membrorum compares erant.

DE QVODAM PRAETORE ROmano simili cuidam Siculo.

Ille vero quem in Sicilia Prætoris admodum similem fuisse constat, petulantis animi. Procõsule enim dicente mirari se quapropter sui tam similis esset, cum pater suus in eam prouinciam nunquam accessisset, At meus, inquit, Romam frequenter accessit. Ioco nãque lacessitam matris suæ pudicitiam, inuicem suspicione in matrem eius reiecta, audacius q̃ virgis & securibus subiecto conueniebat, vltus est.

DE IIS QVI INFIMO LOCO NATI, MENDACIO SE CLARISSIMIS FAMILIIS INSERERE CONATI SVNT. Cap. XVI.

SEd tolerabilis hęc, & vni tãtũmodo anceps temeritas. quod sequitur impudẽtię genus, nec ferendũ vllo modo, periculiq; tũ priuatim tum etiã publice late patẽtis. Nã vt Equitiũ Firmo Piceno mõstrũ veniẽs relatum iam in huiusce libri superiore parte prætereã, cuius in am-

plectendo Tiberio Graccho patre euidens mẽdacium turbulento vulgi errore ampliſſima tribunatus poteſtate vallatum eſt.

DE HEROPHILO EQVARIO.

Herophilus Equarius medicus C. Marium ſeptiesconſulem auum ſibi vendicãdo, ita ſe extulit, vt coloniæ ſe veteranorum complures, & municipia ſplendida, collegiaq; fere omnia patronum adoptarent. Quinetiam cum C. Cæſar Cn. Pompeio adoleſcẽte in Hiſpania oppreſſo, populum in hortos ſuos admiſiſſet, proximo intercolũnio pene pari ſtudio frequentiæ ſalutatus eſt. quod niſi diuinæ Cæſaris vires huic erubeſcendę procellę obſtitiſſent, ſimile vulnus reſpu. excepiſſet, atque in Equitio acceperat. Cæterum decreto eius extra Italiam relegatus, poſtquam ille cælo receptus eſt, in vrbem redijt, & conſilium interficiendi Senatus capere ſuſtinuit: quo nomine iuſſu patrum necatus in carcere, ſeras prompti animi ad omne moliẽdum ſcelus pœnas pependit.

DE QVODAM QVI SE FECIT filium Octauiæ ſororis Auguſti.

Nec diui quidem Auguſti etiamnum terras regẽtis excellentiſſimum numen intentatum ab hoc iniuriæ genere extitit, cum quidam clariſſimæ ac ſanctiſſimæ ſororis eius Octauiæ vtero ſe genitum fingere auderet: propter ſummam autem imbecillitatem corporis, ab eo cui datus erat, perinde atq; ipſius filium retentum, ſubiecto in locum ſuum proprio filio, diceret: videlicet vt eodẽ tẽpore ſanctiſſimi penates & veri ſangui-

nis memoria ſpoliarentur, & falſi ſordida contagione inquinarentur. Sed cum plenis impudentiæ velis ad ſummum audaciæ gradum fertur, imperio Auguſti remo publicæ triremis affixus eſt.

DE QVODAM QVI SE DICEBAT filium Quinti Sertorij.

Repertus eſt etiam qui ſe diceret eſſe Qu. Sertorij filium: quem vt agnoſceret vxor eius, nulla vi compelli potuit. Quid Trebellius Calcaſ quàm aſſeueranter ſe Clodium tulit? & quidem dum de bonis eius contendit, in centumuirale iudicium adeo fauorabilis deſcendit, vt vix iuſtis & æquis ſententijs conſternatio populi vllum relinqueret locum. Illa tamen quæſtione neque calumniæ petitoris, neque violentiæ plebis iudicantium religio ceſſit. Multo fortius ille, qui Cornelio Sylla rerũ potiente, in domũm Cn. Aſſidionis irrupit, filiumque eius patrijs penatibus expulit, vociferando non illum, ſed ſe Aſſidione eſſe procreatum. Verum poſtquam a Sylla na violentia Cæſariana æquitas reduxit gubernacula Romani imperij, iuſtiore principe obtinente Rempub. in publica cuſtodia ſpiritum poſuit. Eodem præſide reipu. in conſimili mendacio muliebris temeritas Mediolani repreſſa eſt. Siquidem cum ſe pro Rubria quædam, perinde ac falſo credita eſſet incendio perijſſe, nihil ad ſe pertinẽtibus bonis inſereret, nec ei aut tractus eius ſplendidi teſtes, aut cohortis Auguſti fauor deeſſet: propter inexpugnabilem Cæſaris cõſtãtiam irrita nefarij propoſiti abijt. Idem

barbarum quendam ob eximiam similitudinem Cappadociæ regnum affectantem tanquã Ariarathes esset, quem a M. Antonio interemptum luce clarius erat, quanquam penè totius orientis ciuitatum & gentium credula suffragatione suffultum caput, imperio dementer imminens, iusto impendere supplicio coegit.

LIBRI NONI VALERII MAXIMI FINIS.

In multis codicibus, tum recentibus, tum etiam Aldinis librum decimum hunc non reperi. In antiquiss. tamen codicibus duobus sese obtulit: quem nobis in lucem C. Tit. Probum retulisse, & corruptum in epitomen redegisse puto: cuius hæc est præfatiuncula subsequens. an stylum Valerij redoleat, necne, emũctarum aurium iudicio relinquo.

IN EPITOMEN SVAM CAII Titi Probi præfatio.

Decimus huius operis liber, qui & vltimus est, vel ex negligentia aut maleuolẽtia librariorũ deperijt, abbreuiator vero titulos eius habebat integre fortassis: tamen de vno tantum, hoc est de prænomine epitoma repræsentabat

DECIMI HVIVS OPERIS LIBRI, per Caium Titum Probum Epitome.

DE PRAENOMINE.

Varro simplicia in Italia fuisse nomina ait, existimationisq; suæ argumẽtum refert, q; Romulus & Remus & Faustulus neq; prænomen vllũ, neq; cognomẽ habuerũt. Qui ab eo dissentiũt, aiunt matrẽ eorũ Rheã Syluiã vocatã: auũ Syluiũ Numitorẽ: fratrẽ eius Amuliũ Syluiũ: & superiores Albanorũ reges, Capetum Syluiũ, Agrippam Syluiũ: posterioresq; duces, Metiũ Suffetium, & tutorem Clodiũ, vocatos: nec cõtenti ijs, ad Sabinos transgrediuntur:

& Titum Tatium, Numam Pompiliũ, & patrẽ eius Pompium Pompiliũ: eius deniq; regionis principes enumerãt, Putilianum Lauianũ, Volesium Valẽsium, Metium Curtium, Alium Sumusilleaticum. Hetruscis, recitãt Lartem Porsenam. Ab Equiculis, Septimium medium, primum regem eorũ, & Sertorẽ Resium, qui primus Ius Feciale instituit. In hunc modum Varronis sententia subruitur.

Romanos autem arbitrandum est ab Albanis & Sabinis multiplicandorum nominum cõsuetudinem traxisse: quoniã ab illis orti sunt. Omnia autem quæ ad vnumquenq; nostrum diffinien-dum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatẽ dicitur, hoc distat, quia eo gẽs cognoscit, ideoq; dicitur gentilitium. Cætera ordine variãtur. Nam quod præponitur, prænomen: quod post fertur, cognomen: quod ad vltimum dicitur, agnomen: quorum series non ita vt exposui semper seruata est. Animaduerto enim in consulum fastis perplexum vsum prænominum & cognominum fuisse, dictum Posthumum Cominium Arontium, & Posthumum Ebutium Heluam, & Vopiscum Iulium, & Opitrem Virginium Tricoscum, & Paulum Fabium Maximum. Quinetiam quædam cognomina in nomen versa sunt, vt Cepio. nanque hoc in Bruto nominis locum obtinuit.

Gentilium nomina Varro putat fuisse numero & prænomina circa triginta. Pueris non priusquã togam virilem sumerent, puellis non antequam

nuberēt, prēnomina imponi moris fuisse, Quintus Scæuola author est. Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt, vt Posthumius, Agrippa, Proculeus.

C ęsar Opiter, qui patre mortuo, auoviuo gigneba tur : vt Opiscus, qui in vtero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat.

H ospes prænomē fuit in eo qui peregre apud hospitem natus erat: idq; habuit Lucretius Tricipiti⁹, collega Lucij Sergij. Volero enim in prænomen abijt, quia nolētibus nasci liberis parentibus videbatur· quo vsus est Publ. Philo.

L aertis prænomen est sumptū à laribus. Tuscum ante creditum esse, fuitq; consularis. Heriminus est prænomen Tito Virgineo Casto. Statius, à stabilitate, Faustus a fauore prænomina ceperunt. Tullius prænominatus est ominis gratia, quasi tollendus, o litera in u conuersa. Sertor, qui per sationem natus erat, appellatus est. Ancum prænomen Varro a Sabinis translatū putat. Valerius autem scribit quòd cubitum vitiosum habuit, quod græce vocatur ἀγκών. Lucij cœperūt appellari, qui ipso initio lucis orti erant, aut (vt quidam arbitrātur) a Lucumonibus Hetruscis. Manij, qui mane editi erant: vel ominis causa, quasi boni. Manum enim antiqui bonum dicebāt. Cneus, ob insignem rem appellatus, quod vnū prænomen varia scriptura notat. alij enim Neum, alij Gneum, alij Cneum scribūt. qui glitera in hoc prænomine vtuntur, antiquitatē sequi videntur, quæ multum ea litera vsa est. olim

enim dicebant frugmentum, nunc frumentũ refertur: & gnatura, modo natura. Igitur etiã qui in corporibus gigni ſolet Gneus appellatur. Qui C, corruptione ſyllabæ delectari videntur. Qui Neus, leuitatem Gaij indicant, à gaudio parentum dicti. Auli, qui dijs alentibus naſcuntur. Marci, qui Martio menſe geniti. Publij, qui prius pupilli facti erant, quàm prænomina haberent: alij ominis cauſſa, ex pube Tiberij vocitari cœperunt, qui ad flumen Tiberim naſcebãtur. Titus, a Sabino nomine Tito fluxit. Appius ab Actæo eiuſdem regionis prænomine. Cæſones appellati ſunt, qui mortuis matribus execti erant. Seruius, qui mortua matre in vtero ſeruatus eſt. Spurij, patre incerto geniti. quaſi Epopa aliter numeri, ſola patricia familia vſa eſt. Fabia idcirco, quòd CCCVI. apud Tremiam flumen cæſis, qui vnus ex ea ſtirpe extiterat, ducta in matrimonium vxore filia Numeri Iotalicij Malemitani, ſub eo pacto, vt quem primũ filium ſuſtuliſſet, ei Numeri prænomen imponeret, obtemperauit. Antiquarum mulierum frequenti in vſu prænomina fuerunt, Rutilia, Ceſellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra, a colore dicta. Iſta prænomina a viris tracta ſunt, Caia, Lucia, Publia, Mœrea. Cæterum Caia vſu ſuper omnes celebrata eſt. Fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinij Priſci regis vxorem, optimam lanificam fuiſſe: & ideo inſtitutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ quænam vocarentur, Caiam eſſe ſe dicerent.

INDEX COPIOSISSIMVS, FACILI CONTEXTV OMNIVM NOMINA DE QVIBVS passim in hac hiſtoria agitur, ſigillatim complectens. Cuius prior numerus librum, poſterior caput ſignificat.

ACcius poeta 3.7
Admet⁹ rex Theſſaliæ. 4.6
Aegles Samius 1.8
Aelia familia 4.4
Aelius Mantia Formianus 6.2
Aelius prætor 5.6
Aemilia virgo 1.1
Aemilianus Scipio 2.5 & 3.2
Aemilius Lepidus 3.1
Aemilius Paulus 5.10
Aenei tauri inuentor. 9.2
Aeſchines 8.10
Aeſculapij ædes 1.8
Aethiopes 8.14
Afrania vxor Licinij Bructionis 8.3
Africanus ſuperior 2.2 & 4.1.& 2.5. & 4.1 & 5.4. & 5.6.& 6.6 & 6.9. & 8. 15. & 8. 16.& 9.7.& 4.2
Africanus poſterior 2.2 & 4.1.& 5.1. & 5.3.
Africanus & Tiberius 4.2
Agathocles rex Syracuſarum 7.4
Ageſilaus 7.2
Agrigentinus Gillias. 4.8
Albanus lacus 1.6
Alcibiades 1.7. & 3.1 & 6.11
Alexander rex 1.4.& 4.7. & 5.1. & 9.3.& 9.5.& 9.14. & 6.4. & 8.11.& 8.15
Alexãder ſeruus Fannij 8.4.
Alexander rex Macedoniæ. 1.7.& 5.1.& 7.3. & 7.4. & 3.3. & 3.8.
Amicitia 4.7

Amilcar 1.7.& 9.3
Amor cuiuſdã patris in filium 7.3
Amor filiæ erga matrẽ 5.4
Amor & indulgẽtia parentũ in liberos 5.7
Amphiaraus 8.16
Amphinomus frater Anapi 5.4
Anacharſis 7.2
Anacreontes 9.12
Anapus frater Amphinomi 5.4
Anaxagoras philoſoph⁹ 5.10. & 7.2. & 8.7.
Anaxarchus 3.3
Anaximenes præceptor Alexandri 7.3
Antigonus 5.1
Antiochus 4.1
Antiochus rex 2.5.& 4.1.& 9.15
Antiochus rex Syriæ 9.1
Antij Reſtionis ſeruus 6.8
Antipater poeta 1.8
Antiquior cibi capiendi mos 2.1
Antonia 4.3
Apolloniatæ 1.5
Apollo vindicãs ſe de ſacrilegio 1.2
Appius 8.14
Appius Claudius 7.2 & 8.1. & 9.3
Arcades duo 1.7
Arcę duæ 2.1
Archilochus poeta 6.3
Archimedes philoſoph⁹ 8.7
Architas Tarentinus.4.1.
Areopagus 2.1
Argantonius Gaditan⁹. 8.14
Ariobarzanes rex Cappadociæ 5.7
Ariſtides Athenienſis 6.5
Ariſtides Romanus 7.3
Ariſtides 5.3
Ariſtophanes 7.2
Ariſtogitones 2.5
Ariſtoteles 5.6.&.7.2 & 8.15
Artemiſia 4.6
Artifex quidam 8.13
Artorius medicus 1.7
Aſdrubalis vxor 3.2
Aſinarius quidam 7.3
Athenarũ vir quidã eru-

ditissimus 1.8
Athenienses 2.1. & 5.3. & 6.3. & 8.13. & 9.2. & 9.8
Athenienſiũ religio 1.2
Atheniẽſis cuiuſdam ſenis hiſtoria 4.5
Athenienſis quidam 7.3
Athletarũ certamẽ 2.1
Attalus rex 5.2
Atterius Rufus 1.7
Attilius 1.8
Attilius Calatinus 4.4 & 8.1
Attilius Philiſcus 6.1
Attilius Regulus 4.4
Auguſtus Cæſar 1.7
Aulus Attilius Calatinꝰ 8.1
Aulus Fuluius 5.8
Aulus Gabinius 8.1
Aulus Poſthumius 1.8

BArbari 9.2
Bebius Pamphilꝰ conſul. 1.1
Berenice 8.16
Bias Prienẽſis 7.2 & 7.3
Biton frater Cleobi 5.4
Blaſius 3.8
Brutia vxor L. Menenij Agrippæ 7.8
Brutus primus conſul. 5.6
Brutus 9.13
Bruſa fœmina 4.8

CAecilia vxor Metelli. 1.5. & 2.1
Cæliꝰ Rufus 4.2
Cælij fratres, & filij Titi Cælij. 8.1. Cęſar. 5.1
C. Bloſius 4.7
C. Calpurnius Piſo 7.7
C. Carbonis mors 9.7
C. Cæſar 6.11. & 9.8
C. Claudius pulcher 2.1
C. Caſſiꝰ 1.5. & 3.1. & 9.9
C. Corneliꝰ Hiſpalꝰ. 1.4
C. Cotta 2.2
C. Coſconius 8.1
C. Duellius 3.6
C. Heluius 9.9
C. Fabius 1.1. & 1.8
C. Fabricius 1.8. & 4.4
C. Flaminius. 1.6. & 5.4
C. Eeſcẽninꝰ triũuir 6.1
C. Flauius vulgans ius ciuile 2.1
C. Gracchus 1.7. & 6.3. & 4.7. & 8.10.
C. Hoſtilius 1.6
C. Iulius Cæſar 4.5
C. Iunius 2.4
C. Licinius 9.12

C.Mallius conſul 2.1
C.Marius 1.5.& 2.1. & 2.5.& 3.6.& 4.5.& 5.2. & 6.1. & 8.2. & 8.6.& 8.16.& 9.2.
C. Marius Candidatus. 6.11
C.Marius ſenex 3.2
C.Martius 4.3
C.Meuius 3.8
C.Numenius Fabiꝰ 4.3
C.Plautius 4.6
C.Plotinus 6.6
C.Plotini plãcij ſerui 6.8
C.Scipio 3.8
C.Sempronius 3.2
C.Sergius Orata 9.1
C.Sulpitius Gallus 6.3
C.Valerius Flaccus 6.9
C.Vatienus 6.3
C.Viſellius 8.2
C.Volumnius 1.6
Cato Vticenſis 3.2
C.Turanius 9.11
Calanus Indus 1.8
Caliguritani 7.6
Callidiꝰ Bononiẽſis 8.1
Calpurnius Piſo 4.3. & 7.7
Cambyſes rex 6.3
Camillꝰ 1.5.& 2.4 & 5.3
Campani 5.1.& 9.5
Caninius Gallus 4.2
Carneades philoſop. 8.7
Carthaginienſes 5.3 & 9.2. & 9.5. & 9.6
Caſilinates 7.6
Caſſius 5.8
Catilina 9.1
Cato 6.2
Cato inferior 8.7
Cato poſter. 4.1.& 4.3
Cato ſuperior 3.7& 4.3 & 8.7
Cato Vticenſis 3.2
Cecinna 2.3
Celtiberi 2.1
Ceres quomodo placatur 1.1
Cereris vindicta ĩ Alexãdri milites exercita 1.2
Certi creditores 9.7
Ceſelius 6.2
Ceſetus Romanus 5.7
Charõdas Thurius 6.5
Chlœlia virgo 3.2
Chryſippus 8.7
Cicero 4.2
Cimon Atheniẽſis 6.11
Cimonis pietas erga patrem 5.4
Cinna 2.3
Ciuitas Romana 7.6
Ciuitas Spartana 2.1

Claudia virgo Veſtalis. 5.4
Claudia filia Auli 8.14
Claudia 8.1
Claudius Marcellus 6.1
Claudius Nero 2.4
Claudius Pulcher 2.1
Cleãthes philoſophꝰ 8.7
Clearchꝰ Lacedęmoniorum dux 2.2
Cleopatra 9.2
Clodia Auli filia 8.14
Cn. Carbo 9.12
Cn. Corneliꝰ Scipio Aſina 6.11
Cn. Corneliꝰ Scipio 6.3
Cn. Cornelius Scipio cognomento Serapio. 9.15
Cn. Domitiꝰ 9.1. & 9.6.
Cn. Domitius Tribunus plebis 6.5
Cn. Fuluiꝰ Flaccus 2.3
Cn. Lẽtulus Marcellinꝰ conſul 6.2
Cn. Martius 4.3
Cn. Piſo 6.2
Cn. Põpeius 1. 6. & 2.1 & 5.1. & 8.16. & 9.5
Cn. Pompeij miles 5.5
Cn. Popiliꝰ Lenates. 5.3
Cn. Scipio 3.7
& 4.4. & 4.5
Codrus rex Atheniẽſium 5.6
Cœlij fratres 8.1
Collegiũ Tribunorum. 6.5
Coma frater Diogenis. 9.12
Coriolani pietas 5.4
Cornelia 4.4. & 4.6
Cornelius Balbus 7.9
Cornelius Caſcus 3.2
Cornelius Gallus 9.12
Cornelius Scipio 6.3
Cotta 8.1
Craſſus dictus diues. 6.11
Cretenſes 7.2. & 7.6
Crœſus 1.7
Crœſi filius 5.4
Curio 9.15
Curiones 9.1
Curtius Romanus 5.6
Cynegirus 3.2
Cyprij 9.1
Cyrus 8.7
Cyrus ſuperior 1.7

D Amaſippus 9.2
Damon 4.7
Dandones quidã 8.14
Daphida 1.8

Darius 5.2
Darius rex 5.4.&7.3
Decius Brutus 8.15
Decius Lælius 4.7
Demades 7.2
Democrit⁹ philoſo.8.7
Demoſthenes 3.4.& 7.3.&.8.7.& 8.10
Deiotarus rex 1.4
Deorum cultus 1.1
Deorũ Troianorum mira hiſtoria 1.8
Diogenes 4.3
Diomedon 1.2
Dion Syracuſanus 3.8 & 4.1
Dionyſius 1.2. & 1.7
Dionyſius rex Syracuſanorum 9.14
Dionyſius tyrãnus 6.11
Diphilus Tragœdus 6.2.
Diuus Auguſtus 7.6
Diuus Iulius 1.8. & 3.2 & 7.6
Domini ſeruorum, Equites & Cẽturiones 5.6
Druſus Germanic⁹ 4.3
Duæ mulieres 9.12
Duo fratres filij regij 9.11
Duorũ fratrũ pietas erga parentes 5.4

EGnatius Metellus 9.3
Epaminondas 3.2.
Ephialtes 3.8
Epimenides Cnoſius 8.14.
Epiori quidam 8.14
Equa parit leporem 1.6
Equeſtris ordo 2.1
Equites & Cẽturiones, domini ſeruorum. 5.6
Erius Pamphilus 1.8
Eſchylus poeta 9.12
Eubucia vxor L. Meneníj Agrippæ 7.8
Eumenes rex Aſiæ 2.1
Euporus ſeruus Gracchi 6.8
Euripides 3.4
Euripides philoſo. 3.7
Euripides poeta 9.12

FAbius Labeo 7.3
Fabius maxim⁹. 1.1 & 4.1.& 4.8.& 5.2.& 7.3
Fabritius Lucinus 2.4 & 4.3
Fides publica 6.6
Fides ſeruorum erga dominos 6.8

Fides vxorũ in viros 6.7
Figulus 9.3
Filia Mithridatis reg. 1.8
Filię pietas in patrẽ 5.4
Filię Clodij Pulchri 3.5
Filius Crœsi 5.4
Filius P. Decij 5.6
Filię Qu. Fabij degener 3.5
Fimbria 9.11
Flaminius 5.2
Fœminæ Indicæ 2.1
Fœminę memorabile factũ poticnẽ mortiferam bibentis 2.1
Fœminæ Punicæ 2.1
Fortunę simulachrũ 1.8
Fuluius 5.9
Fulię Flaccę 3.8. & 8.4
Furius Camillus 1.8. & 4.1. & 5.3
Furti damnatus 8.2

GAlli 2.1
Gallorũ mos 2.1
Gemellus Tribunitius 9.1
Gemitius quidam 7.7
Genitius Cippus prætor. 5.6
Geta 2.4
Gobria 3.2
Gorgias Epirota 1.8
Gorgias Leontinus philosophus 8.16
Gratidij mors 9.7
Grauiter dicta aut facta 9.4
Cyges 7.1.

HAla Seruilius 5.5
Hannibal 1.7.& 3.7.& 5.1. & 7. 3.& 7.4. & 9.1.& 9. 2.&.9.3.& 9.5.
Hanno 7.2
Harmodius 2.5
Hegesia philoso. 8.9
Herẽnius Pontius Samnites 7.2
Herennius Siculus 9.12
Hetrusci 2.9
Herophilę Equarię 9.16
Hibrea Milesius 9.15
Hiero Syracusanus 4.8
Hippoclides 1.8
Hippo fœmina 6.1
Hipsicratea vxor Mithridatis 4.6
Homerus poeta 8.8
Honoris templum 1.1
Horatius 6.3
Horatius Cocles 3.2
Horatius Puluillus 5.10
Hortẽsia filia Q. Hortẽsij 8.3

Hortenſius Corbio 3.5
Iaſon quidam 1.8
Iaſonis mors 9.10
Indi 8.14
Indicæ fœminæ 2.1
Indorum patientia 3.3
Infames rei 8.1
Iſocrates 8.7
Iulia C. Cæſaris vxor 4.6
Iulius 1.8
Iulius Cæſar 8.9
Iunius Brutus 7.3
Iuſtitia 6.5
Iuuenes Romani 9.3
Iuuenis dict⁹ Pluto 5.4
Lacedæmon 4.6
Lacedæmonij 6.4
Lælius 8.8
Lectorius 4.7
Lentulus 5.3.& 7.9
Lentulus & Metellus 9.15
Leonidas Spartanus 3.2
Libere dicta aut facta 6.2
Licinia 6.3
Licinius Fimbria Cõſularis 7.2
Lynceus 1.8
Liuia Rutilij 8.14
Liuius Druſus 8.7
Liuius Salinator 3.7 & 9.3
L.Aemilius Paulus 1.4 & 7.5
L.Brutus 5.8
L.Calphurnius 2.2
L.Catilina 9.11
L.Cinna 4.3
L.Cornelius 5.1
L.Corneli⁹ Merula 9.12
L. Craſſus 3.7.& 4.5.& 6.2. & 6.5.& 8.5. & 9.1.& 9.7
L.Domitius prætor 6.3
L.Flaccus 12.4
E.Furius 2.4
L.Furius Bibaculus 1.1
L.Gellius 5.9
L.Hortenſius 5.9
L.Iunius 1.4
L. Lentulus 1.8.& 6.11
L.Lucullus 7.9
L. Manlius Torquatus 5.4
L.Martius 1.8.& 8.16
L.Marcus 8.5
L.Martius tribunus militum 2.2
L.Paulus 5.1
L.Paulus & filia 1.5
L.Petronius 4.7
L.Piſo 8.1

L.Põtius eques Ro. 8.7
L.Quintiꝰ Cincinnatus 2.2.& 4.1
L.Reginus 4.7
L.Salinator 2.4.& 3.7
L.Scipio 3.6.& 3.7 & 8.1
L.Sextilius 8.1
L.Septimuleius 9.4
L.SiciniusDẽtatus 3.2
L.Sylla 1.2.& 1.6.& 3.6. & 5.2.& 6.5. & 6.9.& 7.5.& 8.15. & 9.2.& 9.3
L.Sylla consul 1.6
L.Tarquinius 1.4
L.Valerius 7.9
Luctatius 1.4
Luctatius consul 2.3
Lucretia 6.1
Ludorum mos 2.1
Lyciorum ritus & mos 2.1
Lycurgus 5.3
Lycurgus Lacedęmoniorum legislator 1.3
MAgiꝰ Chilo 9.11
Maiores quem morẽ in vrbe obseruabant 2.1
Maiores quomodo dabant exemplum virtutis iuuenibus 2.1
Manlius 6.4
Manlius Torquatus 2.2 & 5.8.& 6.4.& 9.3
Mãliꝰ Torquatꝰ filiꝰ L. Mãlij Torquati 6.9
Marcellus 1.1.& 1.6
Marcus Aemilius Lepidus 4.2
M.Aemiliꝰ Porcina 8.1
M.Aemilius Scaurus 8. 1.& 8.5.
M.Agrippa 4.7
M.Anci Carseolani filiꝰ 7.7
M.Antonius 2.4.& 3.7 & 7.3.& 5.1. & 8.9. & 9.5
M.Aquilius 9.13
M.Attilius regulus 1.1 & 2.4.& 3.2
M.Bibulus 4.1
M.Brutus 1.4.& 1.5 & 5.1.& 6.4
M.Cato 3.1. & 3.6. & 4.3.& 8.16
M.Castritius 6.2
M.Cicero 8.5.& 8.10 & 1.7
M. Claudius Marcellus ædilis, & filius suus. 6.1

M.Clodius 6.3.
M.Cornelius 1.1
M.Cotta 5.4
M.Craſſus 1.6.&.9.4
M.Curius 4.3
M.Curius conſul 6.3
M.Druſus Tribun⁹. 9.5
M.Fabius 5.5
M.Flaccus 6.3
M.Fuluius Flaccus. 9.5
M.Horatius 8.1
M.Iuuencius cõſul 9.12
M.Lepidus 8.5
M.Licinius Stolo 8.6
M.Marcellus 1. 6.&2.3 & 3.2. & 4.1.& 5.1.
M.Manlius 6.3
M.Marius 2.1
M.Meſſala 9.15
M. Menenius Agrippa 4.4
M.Palicanus 3.8
M.Perpẽna 3.4.& 8.14
M.Plancius 4.6
M.Popilius 7.9
M.Porcius Cato 7.5
M.Rutili⁹ Cẽſorin⁹ 4.1
M.Scæua 3.2
M.Scæuola 3.2.
M.Scaurus 4.4 & 5.8.& 3.8
M.Torquatus 1.7
M. Tul. Cicero 1.4.& 1.7
M.Valerius 8.16
M.Valeri⁹ Maxim⁹ 2.4
M. Valeri⁹ Meſſala 2.4
M. Valeri⁹ Coruinus 8. 14
M. Voluſius ædilis 7.3
Martius 1.6
Martius Coriolanus. 5.2
Maſiniſſa rex. 1.2 & 5.2 & 8.14.& 9.14
Maſſilienſes 2.1
Maſſilienſium ritus 2.1
Menogenes cocus 9.15.
Metellus 1.1.& 1.4 & 2.2.&.3.8. & 5.2. & 8.14.& 9.3
Metellus Celer 6.1
Metell⁹ Macedonic⁹ 4.1
Metell⁹ Numidicus 4.1
Metellus pius 9.1
Metellus pontifex 1.1
Midas 1.6
Miles quidam 7.7
Miles Cn. Pompeij 5.5
Milites Albani ducis 9.8
Milites Cn. Põpeij 9.7
Milites L.Syllæ 9.7
Militius Cn.Lolius 8.1.
Milo Crotoniates 9.12
Miltiades 5.3

Minos Cretę īſulę rex. 1.3
Minutius conſul 5.2
Minutius magiſter equitum 5.2
Minyiæ 4.6.
Mithridates. 5.2 & 8.7. & 9.2. & 9.11
Mithridatis regis filia 1.8
Moderatio parentum in ſuſceptos liberos 5.9
Mulier matrem interficiens 8.1
Mulier quædam 6.2
Mulier virum & filium interficiens 8.1
Mulieres Romanæ 9.1
Munatius Flaccus 9.2
Mutius Scæuola 3.3.

NAuſimenis vxor 1.8
Numa Põpilius 1.3
Numantini 7.6
Numidæ 2.1
Nuptiæ quomodo celebrantur 2.1

OCtauiæ ſororis Auguſti falſò dictus filius: quiq; ſe eius filium mentiebatur 9.16
Octauius Balbus 5.7
Octauius Conſul 1.6
Ochus dictus Darius 9.2
Ochus Artaxerxes 9.2.
Omen 1.5
Ordo equeſtris 2.1
Orgiagõtis Reguli vxor 6.1
Othrydes 3.2

PAnopionis ſeruus 6.8
Papyrius 2.2
Papyrius Curſor cõſul. 7.2
Papyrius Maſſo 3.6
Parentũ amor & indulgentia in liberos 5.7
Parẽtum ſeueritas erga liberos 5.8
Pater ignotus 5.9
Patricij Romani 9.3
Patris amor in filiũ 7.3
Paulus Aemilius 2.5 & 4.3
Pauſania ciuitas 2.1
Pauſanias 2.1. & 8.15
Pedanius Centurio 3.2
Peletini 6.6
Pericles 4.3 & 8.9. & 8.11.
Pericles princeps Athenienſis 5.10
Perſarum in Apollinẽ religio 1.2

Perſarum inſtitutũ probabile 2.1
Peſtilentia 1.8
Petilius 1.5
Pherenice 8.18
Phidias 3.7
Phileni fratres Carthaginienſes 5.6
Philemon 9.12
Philippus Macedo rex. 1.8
Philippus rex 5.2.& 1.8
Philippus rex pater Alexandri 7.2
Philocrates ſeruus Gracchi 6.8
Philon 8.13
Phocion 3.8.& 5.3
Pictor quidam 8.2
Pietas erga fratres 5.5
Pietas erga patriam 5.6
Pindarus 9.1
Pindarus ſeruus Caſſij. 6.8
Pirithous 4.7
Piſiſtratus 1.3 & 8.9.& 5.1
Piſiſtratus Athenienſis tyrannus. 1.3.& 5.1
Pittacus 4.1
Pittacus mitylenęus 6.5
Plato 1.6.& 4.1
Plato philoſophus 4.1 & 7.2.& 8.7.& 8.13
Pleminius legatus Scipionis 1.2
Pluto iuuenis 5.4
Polemon Atheniẽſis philoſophus 6.11
Poliſtratus 1.8
Polycrates tyrãnus Samiorum 6.11
Polydamas 9.12
Pompeius 1.5.& 5.3.& 4.5.& 4.7.& 8.15
Pompeij patientia 3.3
Pompeius Rheginus. 7.8
Pompilius legatus 6.4
Pontius 3.8
Pontius Aufidianus 6.1
Populus Aegypti 9.1
Populus Romanus 4.8 & 9.7
Populi Romani error in C.Heluium 9.9
Populus Romanus in Camillum 5.3
Populi verecundia 4.5
Populus Cininiẽſis 6.4
Porcia Catonis filia 3.2 & 4.6
Porcius Cato 2.4.& 3.2

Posthumius 2.4
Posthumiꝰ Tiburtꝰ 2.2
Potitius sacra nõ obser-
uans 1.2
Prænestini 7.6
Prætor quidã Ro. 9.15
Prienenses 1.5
Princeps priuernatũ 6.2
Prusa filia regis Bithy-
niæ. 1.8
Ptolemęus rex Aegypti
9.1.& 9.2
Ptolemæus rex Cyprio-
rum 9.4
Publicani 6.5.
Publicia 6.3.
Publiciꝰ libertinus 9.15
Publius Attilius Phili-
scus 6.1
P.Bilius triumuir 8.1
P.Cælius 1.1
P.Claudius 1.4
P.Claudius pulcher 4.2
P.Clodius 9.1
P. Cornelius consul 1.1
P.Cornelius Scipio 2.2
P.Crassus 3.2.& 8.7
P.Decius 1.7.& 5.6
P.Decij filius 5.6
P.Furius 8.1
P.Furius Philo. 3.7
P.Lentulus 5.3
P.Licinius 1.1
P.Meuius 6.1
P.Mutius 6.3
P.Pulcher 4.2
P.Rutilius 2.1 & 2.5.
& 6.4
P.Scipio 3.6.& 8.8
P. Scipio Africanus 6.2
P.Scipio Nasica 3.2
& 3.5.& 3.7.& 7.5
P. Sempronius Sophus
6.3
P.Senator 8.7
P.Seruiliꝰ Cõsularis 8.5
P.Sextilius 5.3
P.Valeriꝰ Publicola 2.1
& 4.1
P.Vatinius 1.8
P.Ventidius 6.10
Pudicitia 6.1
Pyrrhus 4.3.& 5.1
Pythagoras 8.7.& 8.16
Pythias 4.7

Quædã fœmina Sy-
racusana 6.2
Quædam mulier
6.2
Quatuor Tribuni Ple-
bis 6.5
Quidam antistes Roma
nus 7.3
Quidam Epiorum 8.14

Quidam glorię cupidus 8.15
Quidam puerũ inordinate amans 8.1
Quidã ſeruus Caij Marij 6.8
Quidã ſeruus Panopionis 6.8
Quidam volens incẽdere tẽplũ Dianæ 8.15
Quidã volẽs interficere Octauiũ auguſtũ 9.11
Quintꝰ Aelius Tubero. 7.5
Q.Aemilius 4.4
Q.Antiſtius Vetus 6.3
Q.Cæcilius 7.9
Q.Cæciliꝰ Metellus 7.5
Q.Caſſius 9.4
Q.Catulus 2.1.& 2.3 & 6.9.& 8.16.& 9.12
Q.Cepio 6.11
Q.Cincinnatus 4.4
Q.Conſidius 4.8
Q.Conſul 5.2
Q.Cotius 3.2
Q.Criſpinus 5.1
Q.Fabius 8.15
Q. Fabij filius degener 3.5
Q.Fabius Gurges 4.3
Q.Fabius Labeo 7.3
Q.Fabius Maximus 1.1 & 2.2.& 3.2.& 3.8. & 4.1.& 4.8.& 5.2 & 6.9.& 8.15
Q.Fabius Maximus Seruilianus 6.1
Q.Flauius 8.1
Q.Fuluius 1.2.& 2.2 & 2.3
Q.Hortenſius 8.10 & 8.5.& 9.4
Q.Marcus Lepidus 8.4
Q.Marius rex 5.10
Q. Martius Philippus. 6.3
Q. Metellus.2.2.& 2.5 & 5.1.& 7.1. & 7.2. & 7.8.
Q.Metellus Conſul.7.4
Q.Metellus Pius 8.5
Q.Pompeij mors 9.7
Q.Scæuola 3.8 & 4.1.& 8.13.& 8.16
Q.Seruilius 8.5
Q. Seruilius Cepio 9.6
Q.Sertorius 1.3
Q.Sertorius mentitus ſe eſſe filiũ Octauiæ ſororis Auguſti 9.16
Q. Tubero Catelio 4.3
Q.Varius Tribunus 8.6
Q.Vgolinus 4.3

REgina gentis Thraciæ 9.2
Regina Tomyris 9.10
Remigis cuiuſdam miraculum 1.8
Repudium primũ 2.1
Rex quidam 7.2
Romæ peſtilentia maxima 1.8
Romani 7.4
Romanæ gentis humanitas 5.1
Romani populi verecũdia 4.5
Romanorũ vltio in Adrianum 9.10
Romanorũ legatorũ mira conſtantia 2.1
Romanus populus 4.8
Romulus 3.2
Roſcius 8.7
SAcellũ deæ viriplacæ 2.1
Saguntini 6.6
Samij 1.5
Sariaſter filius Tigranis regis 9.11.
Satellites regis Veientũ 9.9
Saturninus Vetulio 7.3
Scæuola 8.8
Scipio. 2.2. & 3.2. & 4.3
Scipio Aemilianus 2.5 & 3.7. & 4.3. & 6.4. & 8.16
Scipio Africanus 1.3 &. 2.5
Scipio Aſiaticus 5.3
Scipio ignobilis filiꝰ Africani 3.5
Scipio maior. 5.3. &. 5.5
Scipio Naſica 3.7. & 5.3. & 8.16
Scipio quidam eques 8. 15
Scipio ſuperior 7.3
Scriba Cicereius 4.5
Seleucus 1.3
Seleucus rex 5.7
Semiramis regina Babylonis 9.3
Sempronia 3.8
Senatus 6.5. & 7.2
Senatus & Fabriciꝰ 6.5
Senatus & pop. Ro. 6.6
Senatus Romani clemẽtia in diuerſos 5.1
Senatus Ro. 3.7. & 5.1
Senex quidam 8.9
Senex quidam Atheniẽſis 4.5
Senibus quantum honoris impendebatur a iu

uenibus 2.1
Seniores quẽ morẽ obſeruabãt in vrbe 2.1
Seniores quomodo dabãt exemplũ virtutis iuuenibus 2.1
Septem ſapientes 4.1
Septitia 7.7
Sergius Galba 8.1
Serpentis mirabilis magnitudo & lõgitudo 1.8
Sertorius 7.3
Seruiꝰ Galba. 6.2. & 9.6
Seruius Terentius 4.7
Seruius Tullus 1.6
Seruius Sulpitius ibidẽ.
Seruus Antijꝫ Reſtionis 6.8
Seruus M. Antonij 6.8
SextꝰLiuiꝰſalinator 4.2
Sextus Tarquinius 7.4
Sidonius 1.8
Simonides ibidem.
Simonides poeta 1.7. & 8.7
Simulacrũ Fortunæ 1.8
Siphax rex 6.11
Socrates 3.4. & 3.8. & 6 4. & 7.2. & 8.8
Solon 5.3. & 7.2. & 8.7
Sophocles 4.3. & 8.7. & 9.11
Spartana ciuitas 2.1
Spartani 5.3
Spartanus quidam 6.4
Spartanus vterꝙ 3.7
Spurina 4.5. & 8.11
Spurius Caſſius 6.3
Spurius Melius 6.3
Spurius poſthumius Albinus 6.3
Staſippus Tegeates 4.1
Statua prima ĩ Italia 2.1
Sulpitia 8.16
Sulpitia vxor Lẽtuli 6.7
Sulpitius 1.1
Sulpitius Gallus 8.11
Syracuſana fœmina 6.2
Syracuſanorum puellæ duæ 3.2
Syracuſanus Dion 4.1

T Arquinius rex 1.1
Tarquiniꝰ priſcus 3.4
Tatius Sabinus 9.6
Tectius filiꝰ Tectij 7.7
Terẽtia Ciceronis 8.14
Terentius Culeo 5.2
Terẽtiꝰvarro 4.5. et 8.7
Thales philoſophus 7.2
Themiſtocles 5.3. & 5.6 & 6.11. & 7.2. & 8.7 & 8.15
Theodorus 3.3

Theodorus Cyrenæus. 6.2
Theopompus 4.1
Theramenes 3.2
Theſeus 4.7
Thracia 2.1
Thraſybulus 4.1.& 5.6
Thymaſitheus princeps Liparitanorum 1.2
Tiberius Cæſar 5.5
Tiberius Gracchus 1.1 & 1.4.& 4.1. & 4.2. & 4.6.& 4.7.& 6.3 & 6.5
Timantes pictor 8.12
Titinius Centurio 9.9
Titius Sextus 8.1
Titus Aetherius 9.12
Titus Aufidius 6.10
T. Barrulus 7.9
T. Cælij filij 8.1
T. Gracchus 1.6. & 4.6
T. Iubilei9 Cãpanus 3.2
T. Manlius Torquatus. 3.2
T. Publi9 Rutilius 6.10
T. Quĩti9 Flamini9 4.8
T. Veturius filius Veturij 6.1
Tribunus plebis ſiue populus Romanus 6.1
Tribuni plebis 2.2
Tribus Pollia 9.10
Triũphandi ius 2.3
Tutia virgo deæ Veſtæ 8.1
Tullij Hannalis filiꝰ 9.11
Tullus Seruius rex. 3.4
Tullus dux Volſcorum. 7.3
Tullus Hoſtilius 7.4 & 9.12
Turia vxor Quinti Lucretij 6.7
Turulius 1.2
Tuſculani 7.3

V Alerius 8.9
Valerius Coruinus 8.14
Valerius Flaccus 3.2
Valerius Publicola 1.8 & 4.4
Valeſius quidam 2.1
Varro 3.4
Varro dimicans cũ Carthaginienſibus 1.2
Velitum vſus primo repertus 2.1
Veneficia primũ orta in vrbe 2.1
Veneris fanum 2.1
Venus Praxitelis 8.11
Vetilius leno 7.7
Vibius 3.2.& 9.15

Vini vſus mulieribus interdictus 2.1
Virginius vir plebeius 6.1
Virgo Aemilia 1.1
Viriplacæ deæ ſacellum 2.1
Vitij Salaſſi vxor 9.11
Volſinienſe 9.1
Vxor Africani prioris 6.7
Vxores Theutonicorũ 6.1
Vulcanus Alcamenis 8.11

XEnocrates 2.5.& 4.3.& 7.2
Xenophilus Chalcidenſis Pythagoricus 8.14
Xenophon 5.10
Xerxes 9.1.& 9.5 & 9.13

z Aleucus Locrenſis 6.5
Zenon Eleates 3.3
Zenon alius ibidem.
Zeuſis pictor 3.7

FINIS.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE





loriosus
tis
in maiesta te
iens pdigia.
Dextera tua
mine glori
tu
xtera manus
a con
et in

nit excite o
surrexerun
ille: Mornai
des suas. Fa
pientib; dy
nobis de ole
pades nr̄e e
Responder
dicente. Si
ciat nobis
cius aduen
te uobis. D
emere: ue
& q̄ parate
uerunt cū
& clausa es
sime autē
lique uirg
Dn̄e: dn̄e:
respo